HIEROLOGIA,
SIVE
DE SACRO SERMONE,
CONTINENS SVMMAM ATQVE COMPENDIVM POSITIVÆ THEOLOGIÆ, ferè omnia quæ in sacra Scriptura tractantur attingens, innumera eius loca linguæ Hebraicæ præsidio explicans, & tamen ea methodo omnia tradens, quâ tam Hebræi sermonis periti, quàm expertes in studio Theologiæ positiuæ multùm proficere possint.

OMNIA VERO QVÆ IN EA TRACTANTVR, quatuor libris continentur.


I. De substantia diuina.
II. De substantia corporea non viuente.
III. De substantia corporea vegetatiua.
IV. De substantia corporea sensitiua.

Auctore LVDOVICO BALLESTER *Societatis IESV Valentino, quondam sacræ Scripturæ Professore in Collegio Valentino eiusdem Societatis.*



LVGDVNI,
Sumptibus Horatij Cardon.

M. DC. XVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



PROLOGVS HIEROLOGIÆ.



TRIVSQVE Teſtamenti Scriptura, quæ & Dei cognitionem, & diuinę voluntatis ſuggerit notitiam, firma ſanè & indubia eſt, quod ſatis manifeſtū eſt ex ipſis, quæ manibus noſtris terimus, ſacræ Scripturæ monumentis, quæ ſunt ſcripta iuſſu Dei, conſignata à Sanctis Patribus, propagata ad nos temporis diuturnitate, & confirmata miraculorum virtute, vt latè probat Driedo lib. 1. de Eccleſiaſticis Scripturis. Eſt etiam idem apertum ex totius Eccleſiæ Catholicæ iudicio: nam, vt D. ſentit Auguſtinus lib. 28. contra Fauſtum cap. 2. & 4. & lib. 13. cap. 4. & 5. Scripturam eſſe diuinam per ſuccedentium ſibi inuicem Eccleſiarum & Sanctorum Patrum demonſtramus teſtimonia. Eſſe autem Scripturam ſacram theſaurum pretioſiſſimum, docet D. Chryſoſto-

mus in Commentariis super primum cap. Genes. *Meritò* (inquit) *thesauro cuipiam confertur diuinarum Scripturarum lectio: nam sicut ex illo quisquis vel paruum frustũ capere valet, multas sibi parat diuitias, ita & in sacra Scriptura, etiã in breui dictione variam sententiarum vim, & indicibiles diuitias inuenire licet; & non solùm thesauro similia sunt diuina eloquia; sed fonti quoque largis perennibúsque scaturienti fluentis.* sic Chrysostom. Rectè ergo D. Hieronymus ad Demetriadem scribens: *finem* (inquit) *iungo principio, nec semel monuisse contentus sum, ama Scripturas sanctas, & amabit te sapientia.* Et, vt rectè notat Isidorus lib. 3. sententiarum de summo bono, geminum confert donum lectio sanctarum Scripturarum, & intellectum mentis erudit, & à mundi vanitate abstractum hominem ad amorem Dei perducit. Auget autem lectionis studium (vt idem dicit Isidorus loco citato) meditatio Scripturarum. *Omnis* (inquit) *profectus ex lectione & meditatione procedit: quæ enim nescimus, lectione discimus; quæ autem didicimus, meditatione conseruamus.* Quòd si lectioni & meditationi iungatur oratio, vt rectè notat D. Hieronymus ad Paulinam scribens, maximus fiet in sanctis Scripturis progressus. Sacræ Scripturæ intellectum vt haberent multi, magis profecisse leguntur per orationem, quàm per studij simplicis

exer

exercitationem. Quare Isidorus eodem lib. 3. c. 8. *Orationibus* (inquit) *mundamur, lectionibus instruimur: vtrumque bonum est si licet; si non liceat, melius est orare, quàm legere.*

Conducere autem alias scientias & artes ad studium sacræ Scripturæ, docet D. Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 4. *Philosophi* (inquit) *si fortè vera, & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidanda non sunt: sed ab eis etiam tamquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Sicut enim Ægyptij non solùm idola habebant, & onera grauia, quæ populus Israël detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestes, quæ ille populus exiens de Ægypto sibi potiùs tanquam ad vsum meliorem clanculò vendicauit, non authoritate propria, sed præcepto Dei, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus, & quibus non bene vtebantur. Sic doctrinæ omnes Gentilium non solùm simulata & superstitiosa figmenta, grauésque sarcinas superuacanei laboris habent, quæ vnusquisque nostrùm, duce Christo, de societate Gentilium exiens debet abominari, atque deuitare: sed etiam liberales disciplinas vsui veritatis aptiores, & quædam morum præcepta vtilissima continent, déque ipso vno Deo colendo nonnulla vera inueniuntur apud eos, eorum tamquam aurum & argentum, quod non ipsi instituerunt, sed de quibus-*

dam quasi metallis diuinæ prouidentiæ, quæ vbique infusa est, eruerunt, & quo peruersè atque iniuriosè ad obsequia dæmonum abutuntur, debet ab eis auferre Christianus ad vsum iustum prædicandi Euangelij. Nam quid aliud fecerunt multi boni fideles nostri? nónne adspicimus quanto auro & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus Doctor suauissimus, & Martyr beatissimus? quanto Lactantius, quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, vt de viuis taceam? quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus Dei famulus Moyses fecerat, de quo scriptum est, quòd eruditus fuerit in omni sapientia Ægyptiorum. Hactenus Augustinus.

Sunt porrò multa in sacris literis quæ sine adminiculo externarum scientiarum (qualis est Arithmetica, Musica, Physica, Geographia, & Astrologia) intelligi non commodè possunt: est enim materia subiecta sacri eloquij omnis res. Hinc fit, vt in nostra hac Hierologia, in qua sacri sermones tractantur, non solùm de Deo instituamus disputationẽ; sed de aliis etiam rebus physicis & astrologicis: multa enim de cœlo, planetis & astris tractamus, multa etiam de elementis, lapidibus, metallis, plantis, animalibus, quatenus ad intelligentiam sacrarum literarum iuuant, quæ omnia quatuor libris comprehendere decreuimus. Esse autem hęc omnia summopere necessa

ceſſaria diuinarum Scripturarum ſtudio, docet expreſsè Auguſtinus in Exod. lib. 2. cap. 29. de Scriptura differens. *Eſt etiam*, inquit, *narratio demonſtrationi ſimilis, qua non præterita, ſed præſentia, indicantur ignaris: in quo genere ſunt quæcumque de ſitu locorum, naturíſque animalium, lignorum, lapidum, herbarum, aliorúmque corporum ſcripta ſunt. Namque rerum ignorantia facit obſcuras figuratas locutiones, cùm ignoramus, vel animalium, vel lapidum, vel herbarum naturas, aliarúmque rerum quæ plerunque in Scripturis ſimilitudinis alicuius gratiâ ponuntur*. Hæc Auguſtinus. Vt autem noſtri inſtituti operíſque acerrimo defenſore Deo opitulante, bono aggredimur animo noſtram Hierologiam, ſiue de ſacro Sermone tractationem; tu interim, ſtudioſe Lector, noſtram operam laborémque boni conſule, & harum noſtrarum lucubrationum ſudore fruere. Vale.

INDEX



INDEX CAPITVM

QVATVOR HIEROLOGIÆ LIBRORVM, SIVE SERMONIS SACRI DE SVBSTANTIA diuina.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

De substantia corporea non viuente.

Cap.

** LIBER

LIBER TERTIVS.

De substantia vegetatiua.

LIBER QVARTVS.

De substantia sensitiua.

Col





HIEROLOGIA.

SIVE SERMO SACER DE SVBSTANTIA DIVINA.

Liber Primus.

Caput I. *DE DEO.*



OMNE datum optimum,& omne donum perfectum 1
de sursum est, descendens à patre luminum, vt docet Iacobus Apostolus cap. 1. in homine autem qui μικροκόσμος, idest, paruus mundus nuncupatur, præstantissimi pulcherrimique ac omnium actuum moderatores sunt oculi: Pręclarè ergo Deus optimus maximus quasi mũdi oculus, pater luminum nominatur, quod omnia pulchritudine transcendens, & virtute gubernans atque sapientia, cùm sint nuda, & aperta oculis eius cuncta quoque speculetur, & videat, neque vt homo ea solùm quæ extrinsecus posita sunt, sed quæ delitescunt, & in corde interiori versantur, prospiciat; Hinc nata sapientum opinio qui θεὸν, idest, Deum ἀπὸ τοῦ θεάομαι, siue θεωρεῖν, id est, aspicere, dictum scripserunt. Quare Anastasius Sinaita martyr Patriarcha Antiochenus lib. 7. in Exameron Deum θεωρητὴν mundi, idest, contemplatorem,& inspectorem vocat, quem lib 1. πολυόφθαλμον, idest, multos oculos habentem nominauerat: vnde Cyrillus lib. 9. Apologiæ aduersus Iuliani maledicta, & cauillationes docet Ægyptios per oculum adiuncto scipione Deum intelligere voluisse, idest, summam super omnia naturam, quæ vniuersa conspiceret, & cunctorum dominaretur, ita vt per sceptrum supremam potestatem, per oculum diuinam notitiam designarent: Illud enim natura comparatum est, vt oculus humanus mistura suæ materiæ aliquid lucis possideat: Nam in nonnullis hominibus experimento est comprobatum, per medias noctis tenebras oculis repente patefactis clare vidisse: id quod præcipuè Tiberio contigisse imperatori memoriæ proditum est; propterea Gregorius Nazianzenus in Apologetico, hac diuini oculi luce inaccessibili illustratus, quacunque in re ad ipsum Deum recurrendum esse docet: *Quisquis*, inquit, *vel orationem aliquam, vel negocium auspicatur, non alium meliorem commodiorémque ordinem tenere potest, quàm vt à Deo incipiat, & in Deo conquiescat:* Quod ad verbum fere à Demosthene Gregorius sumpsit ex principio Epistolarum, cuius verba Tullius 2. de legibus expressit:

DEVS.

A Diis, inquit, immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia. Et Plato ipse in Timæo ait omnes qui quoquo modo mentis compotes sunt, in operis cuiuslibet, vel magni, vel parui principio deum inuocare solere. Neque enim isti licet Ethnici atque Gentiles hoc lumine priuati sunt: Est enim Deus lux, quæ in tenebris lucet, & illuminat omnem hominé venientem in hunc mundum.

2 Diuinitatem autem ipsam significat vox ista θειότης, quam Græci à θεῖος, id est, diuinus deriuant: Et quia vox, *diuinitas*, Christianis hominibus tam late patere visa est, quam nomen ipsum diuinus, idcirco volentes propriam Dei naturam appositiore vocabulo significare, tã Anastasius, quàm vterque Gregorius, & alij Græci cum ipsis magis permitteretur ex linguæ Græcæ licentia, quàm Latinis pro θειότητα, id est, diuinitatem, θεότητα, id est, Deitatem nominarunt: sed nec Latini postea deterriti sunt arctis suæ linguæ, rigidisque præceptis quominus ipsi pro diuinitatem, dicerent Deitatem, naturam Dei significantes: vox enim, *Deitas*, Deo propriè conuenit, nec ad alia transit, ad quæ se diuinitas extendit, cùm tribuatur diuinitas orationi, tribuatur libro, & rebus gestis, & aliis huiusmodi quæ diuina dicuntur quibus deitas nulli ratione competit non enim dicuntur dij, licet diuina vocari possint. Cæterùm cùm idem qui Deus latinè, dicatur græcè θεός, non desunt ex Latinis nonnulli, qui à dando deductum nomen arbitrentur: quòd scilicet Deus omnia det; Alij quòd ei nihil desit. Sunt etiam qui ἀπὸ τοῦ δέους, hoc est, à metu, & timore inflexum velint, id quod Statius Papinius in theb. Et in Satyrico Petronius Arbiter innuere videntur, cùm ita canant. *Primus in orbe Deos fecit timor*, seu metus, vt alij legunt. Verum Plato in Cratylo, & eius interpres Proclus ἀπὸ τοῦ θεῖν, hoc est, à currendo deduci arbitrantur: Nam cùm homines viderent solem, lunam, astra, cœlum ipsum currendo semper circumuolui, Deos putauerunt, & ab huiusmodi currendi natura, vt idem Plato docet, Deos nuncuparunt: Alij verò à θεάομαι, id est, speculor; ideò nomen Dei deduci existimant, quoniam in Deo ipso, & eius diuinitate tanquam in speculo cuncta cernãtur cognitione beata, de qua Christus Dominus apud Ioannem, *hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.*

3 Deum ita, & naturam diuinam siue Deitatem, vt plurimum sacræ literæ per nomen אלהים ELOHIM significare solent: ex variis autem scripturæ locis, in quibus hoc nomine scriptura vtitur, obseruatum est cognomentum hoc, ELOHIM, eam vim, auctoritatem, & efficientiam significare, quam nobis latina illa nomina, conditor, rector, gubernator, Iudex, princeps, & quæcunque his similia: Quas omnes ad publicam vtilitatem spectantes munerum rationes Deus proprias, & æternas atque perfectissimas continet, Angelis, & hominibus ex tempore communicatas. Deus autem sub hac voce ELOHIM, cùm de vero, & vnico Deo effertur in sacris bibliis ex consuetudine linguæ sanctæ fere semper pluraliter ponitur: Est enim huic linguæ consuetum, etiam in prophanis nominibus, quæ potestatem, & dominium significant, amplificandi honoris gratia, pluralem numerum pro singulari vsurpare, vt ארנים ADONIM, בעלים BAALIM, id est, Domini, cùm de singulari aliqua persona dicantur, quæ etsi pluraliter sumantur, fere singulari verbo, & interdum

dum ſingulari adiectiuo reperies. Cùm ergo Deus ſub hac voce ſumptus, nomen ſit poteſtatem,& dominium ſignificans,ſacræ literæ ad ſignificandũ Deitatem pluraliter eo vtuntur, non quod plures in ea ſint dij, ſed ad eius maieſtatem indicandam,& gloriam ſingularem, propter quam ſummus etiam honor ei ab omnibus ſit exhibendus.

Præterea ipſa nominis hebraici ſignificatio poſtulare videtur, vt quotieſcunque in ſacris literis verus Deus nominatur in numero proferatur multitudinis; ſignificat enim hoc nomen Elohim, vt dictum eſt, Gubernationem, Iudiciariam poteſtatem, & prouidentiam in ipſa Deitate; eſt autem familiare ſacris literis multitudinem,& magnitudinem rei,etſi ipſa ſit ſingularis,pluraliter ſignificare,vt Iob 40. *Ecce Behemoth quem feciſti tecum:* vbi ad ſignificandum magnitudinem,& immenſitatẽ beſtiæ illius,ponitur in hebraico בהמות Behemoth in plurali, cùm בהמה Behema ſit nomen eius ſingulare: ſic etiam Prouerbiorum 1. ad ſignificandam vberrimam copioſamque ſapientiam in Deo contentam,cùm legimus: *ſapientia foris prædicat in plateis dat vocem ſuam:* non חכמה Chocma,id eſt, ſapientia,ſed חכמות Chocmoth, id eſt, ſapientiæ in numero multitudinis in hebraico fonte ſcriptum reperies: Cùm ergo in ipſa Deitate ſit ſumma poteſtas, ſumma ſapientia, & ſumma prouidentia,hinc fit vt in ſacris literis quotieſcunque de Deo agitur ſub hac ſignificatione,non ſingulari nomine Eloha pronuncietur, licet ipſe vnus ſit, ſed plurali nomine Elohim,immenſam eius ad iudicandum,puniendum,atque gubernandum poteſtatem ſapientiámque ſignificante. Petrus Lombardus in 1. ſententiarum propterea dicit pluraliter ſumi hoc nomen Dei in principio Geneſeos,quia in eo pluralitas perſonarum in vna eſſentia ſubintelligitur, & ideò verbum ברא Bara creauit,in numero ſingulari eſſe adiunctum: Quem ſecutus eſt poſtea Paulus Burgenſis in ipſo etiam Gene.initio,quod ibi Caietanus,Thomas de Vio non admittit:ait enim nomen Dei Elohim,in lingua ſancta carere numero ſingulari,ex quo colligit non eſſe notandum myſteriũ, quòd pluraliter ibi ponatur, quia natura huius nominis eſt, vt plurale ſit: ſed cùm falſum ſit,quod ipſe tanquam certum ſumit.falſum etiam eſſe conſtabit, quod concludit. Eſt autem certum, quatuor locis in ſacris literis hoc nomen reperiri in ſingulari numero: Nempe cap. 1. Abacuch,& cap. 3. Tum, & cap. 12. Iob,& cap. etiam 36. vbi non Elohim in plurali, ſed אלה Eloha legimus in ſingulari. Cùm ergo Deus verus vnus ſit, & hæc vox dicatur de eo fere ſemper pluraliter,non poteſt non notare myſterium aliquod. Non ignoro alios etiam extare viros,& in hebraicis literis ſatis peritos qui etiam Caietani ſententiæ conſentiant, dicunt non obſtare quod nomen Dei ſit ibi plurale,& verbum Bara, ſiue creauit ſingulare, tribuentes hoc linguæ conſuetudini,in qua ſæpe nomini plurali verbum iungitur ſingulare, quod etiã idiomati græco familiare eſt quotieſcúnque verbum neutro plurali ſociatur. Addunt præterea, etiam in ſacris literis cùm hoc nomen Elohim pluraliter de falſis diis dicitur,habere interdum verbum ſingulare, vt Exodi 20. *non habebis Deos alienos*, ad verbum eſt in hebraico: *Non erit tibi Dij alieni*. Idipſum quoq; ex eo confirmant,quòd lingua hebraica non ſemper eundem ordinem ſeruet

in coniunctione adiectiuorum cum substantiuis, aut verborum nominibus, vnde Isaias vbi legimus: *& tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium*, ad verbum est in hebraico: *& tradam Ægyptum in manu dominorum crudelis, siue duri.*

5 Propter has rationes Episcopus Abulensis censet non posse ex illo Genes. loco efficax afferri argumentum, quo Iudæos conuincamus plures in Deo esse personas: Non tamen audet negare Moysen ibi demonstrare voluisse hypostaseõ pluralitatem in ipsa Deitate, etsi obscurè, & velatè; sed vt apertè dicam quod sentio, non solùm in illo loco Geneseos, vt Petrus Lombardus, & Paulus Burgensis verissimè senserũt, pluralitas personarum subindicatur, sed vbicunque in sacris literis hoc nomen de Deo vnico, & vero pluraliter ponitur. Certè si in Deo sola essentiæ vnitas reperiretur, nullaque esset personarum distinctio, quòd huius nominis pluralitas fere semper in sacra scriptura de vero Deo annunciaretur, posset ac deberet cõsuetudini linguæ tribui, vel ad aliam causam ex supra memoratis referri: Cùm autem nobis constet ex fide catholica ex sacris literis in Deo præter vnitatem esse plures hypostases, quæ alia ratio aptior se offerre potest (quod fere semper, & constantissimè, & fere vbiq; sacra scriptura pluraliter Deum verum & vnicum nominet) quàm pluralitas hypostaseon: eam enim in Deo fides Catholica certissimè credit, & confitetur, quam pluralitatem Iudæi non admittunt in sua cæcitate persistentes: Non ergo mirum si eam in nomine Dei pluraliter audito toties & prælato non cernant. Significat itaque hoc nomẽ ELOHIM vnicum Deum Patrem, & filium, & spiritum sanctum qui creauit cœlum, & terram, qui cuncta gubernat, & regit, ana enuntiatum quidem de eo pluraliter in sacris literis, quia pater est Deus, filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. Sacræ itaque literæ nomen Dei veri plurale admittunt, damnantes Deorum pluralitatem, quia ipsæ solæ hypostaseon pluralitatem in vna essentia agnoscunt, & prædicant, quam semper, & vbique fere sub hoc nomine ELOHIM pluraliter sumpto subindicare non cessant.

Quoniam verò populus Iudæorum maximè ad Idololatriam pronus erat, ad quam euitandam lex illa vetus condita fuit, ne in eorum qui plures Deos colebant, errorem inciderent, cautè à diuina prouidentia factum est, vt ipsum diuinæ trinitatis arcanum non explicitè, sed implicitè eis traderetur. At verò quoniam Idololatria per Christum penitus explodenda erat, vniuersúsque orbis ad vnius Dei cultum reducendus, idcirco sacramentum hoc Trinitatis explicitè, & apertè reuelandum, ad dies, & aduentum Christi fuit reseruatum. Quia tunc, vt inquit Isaias, replenda erat terra scientia Dei, sicut aquæ mare operientes. Id ergo quod implicitè continebatur in nomine Dei pluraliter à Iudæis pronunciato, Christus apertè variis in locis exposuit in nouo Testamento: Hinc Dauid cùm ait Psal. 75. *notus in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius*, fit allusio ad nomen ELOHIM, quod patrem, filium, & spiritum sanctum implicitè significat, per Christum manifestandum, quo respicere videtur ipse Christus Ioan. 17. cùm ait Patrem alloquens: *ego nomen tuum*, inquit, *manifestaui hominibus*, quasi dicat non nomen ELOHIM, quod passim plu-

pluraliter Iudæi proferunt, manifestaui pluribus personis conuenire, sunt enim varia loca noui Testamenti, in quibus Christus manifestat & docet Patrem esse Deum, Filium esse Deum, & Spiritum sanctum esse Deum. Fit præterea allusio ad hoc nomen, cùm dicit Christum Ioan. 12. *Pater clarifica nomen tuum*, quasi dicat: Pater nomen tuum Deus est, quod etiam mihi conuenit: clarifica ergo hoc nomen tuum, ita vt omnes intelligant, mihi quoque conuenire, & me Deum esse sicut tu: cui respondit Pater: *Et clarificaui, & iterum clarificabo.* Quod iam fecerat in Iordane, cùm baptisaretur, & in monte, quando resplenduit facies eius sicut sol, & audita est vox de cœlo..

Notanda etiam illa sunt quæ legimus Ioann. 10. statim enim cùm dixisset 7
Christus: *Ego & pater vnum sumus*, id est, ego & Pater sumus vnus & idem Deus: sustulerunt enim lapides Iudæi, vt lapidarent eum, nam arbitrati sunt illa verba audientes, vocare se Deum sicut & Patrem, & ponere plures Deos: non enim nouerant mysterium Trinitatis, quibus respondet Christus: *Multa bona opera ostendi vobis ex patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis?* Responderunt ergo Iudæi: *de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & tu homo cùm sis facis teipsum Deum: si enim tu vnum es cum Patre, & ipse Deus est, tu ergo Deus es.* Itaque putabant sibi vsurpare nomen ELOIM siue Dei, & blasphemare: cùm tamen ei essentialiter conueniret. Quod Paulus respiciens, Philip. 2. ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo:* Et paulò post subiicit: *Propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen*, vt esset homo Deus, *vt in nomine Iesu omne genu flectatur:* Quod duplicem potest habere sensum, primum: *in nomine Iesu*, id est, ad hoc nomen, quod est Iesus, *omne genu flectatur, cœlestium*, &c. vel, *in nomine Iesu*, id est, ad hoc nomen Deus, quod est nomen hominis dicti Iesus, essentialiter ei competens, quod ei datum est per vnionem hypostaticam, *omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum*, quasi dicat, exaltauit hunc hominem Iesum, vt Deus dicatur, & sit sicut Pater. Est enim nomen Iesu filij Mariæ, non solùm Iesus, sed Deus; ad quod nomen debet flecti omne genu, quamuis adoratio non solùm Christo vt Deo, sed etiam vt homini debeatur.

Impropriè autem & nuncupatiuè hoc nomen ELOIM, siue Deus, aliis re- 8
bus creatis conuenit in sacro eloquio: Ac primùm ipsis Angelis psalm. 137. *in conspectu*, inquit, *Angelorum psallam tibi.* & psal. 8. *minuisti eum paulo minùs ab Angelis*: his enim duobus locis Angeli nomine Dei, nempe ELOIM significãtur. Dicuntur autem Angeli Dij, non natura, sed participatione, quia diuinæ facti sunt consortes naturæ. Sancti etiam ac beati homines vocantur Dij, *Deus*, inquit, *Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram*, psalm. 49. Tribuitur etiam hoc diuinum nomen hominibus adhuc in terra degentibus, quales sunt Iudices hinc Exod. 22. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices*, & psal. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat, vsquequo iudicatis iniquitatem?* Exodi etiam 21. seruus offerri iubetur à suo domino diis, id est, Iudicibus. Quibus sanè locis manifestissimè Dei nomen tribuitur Iudicibus, quia loco Dei hominibus præsunt. Conuenit etiam nomen Dei viris tyrannis, & Magnatibus, propter robur & potentiam, vt psal. 46. *Principes*

populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Præterea Moyses dictus est Deus Pharaonis, & psalm. 81. iusti homines Dei nomine insigniuntur: *Ego*, inquit, *dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes.* Postremò ipsis simulachris, & diis fictis ac falsis hoc diuinum nomen in sacris literis interdum tribuitur, quòd illis sui cultores vim etiam diuinam cõuenire putent, variis excæcati erroribus, vt psl. 95. *Quoniam omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit.* Hinc Apostolus, 2. Cor. 4. Diabolum vocat Deum huius sæculi.

Vox autem אלהים Elohim, vt Deum significet, vel id habet ab אל El, quod fortis sit Deus: איל Aiil enim fortitudinem significat, psal. 86. ver. 11. & psal. 22. vers. 18. vel id habet ab אלה Ala, quod iuramentum significat, execrationẽ, vel maledictionẽ, quę non fiunt, nisi vt Deus testis sit, aut aliquẽ puniat, quare Helohim Deum videtur significare, vt iudicem, & potentissimum punitorem. Quòd si hoc nomen Helohim ab Ala, id est, iuramento non deflectatur, saltem Ala ab ipso Elohim deducendum videtur: ita vt Ala, maledictio, execratio, siue iuramentum dicatur, quòd ista non fiant sine recordatione nominis Dei, aut sine eius interpositione, qui iusiurandi testis est, & maledictos atque execratores punire solet.

Caput II. DE ESSENTIA DEI.

1 PYthagoras Mnesarchi filius, Deum definiuit, animam per vniuersas mundi partes, omnémque naturam commeantem atque diffusam, ex quo omnia quæ nascuntur animalem vitam accipiunt: Quem quidam alij ex veteribus Philosophis, principium dicebant, neque sensui, neque perturbationi subiectum, sed mentem inuisibilem & increatam. Hinc Antisthenes Atheniensis multos quidem esse aiebat populares deos, vnum tamen naturalem summæ totius artificem. Chrysippus verò Cilix (qui à quibusdam Solensis ab aliis Tharsensis dictus) Stoicus Philosophus: naturalem vim diuina ratione præditam prædicabat. Plato verò Atheniensis, qui omnium eius sectæ Philosophorum sapientissimus iudicatus est, planè monarchiam defendit, nec rationem aut naturam, sed vt est, Deum appellat, ab eóque mundum hunc profectum, mirabilémque esse fabricatum, quem Marcus Cicero est sequutus & imitatus, & alicubi de natura Deorum, & de legibus: quin & in consolatione sua de morte filiæ Tulliæ Deum ita definit: *Nec verò Deus ipse*, inquit: *qui intelligitur à nobis alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, & segregata ab omni concreatione mortali, omnia sentiens, & omnia mouens.* Xenophon Socraticus formam Dei veri videri posse negabat, vt prodit Arnobius qui & Aristonem Stoicum similiter ait Deum omnino comprehendi non posse affirmasse, Aristoteles Stagirites etiam vnam mentem mundo præesse, & omnium causam statuit. Ipse autem Plato adeò doctè de Deo, rebusque diuinis loquutus est, vt non desint qui sentiant ipsum librorum Moysi expertem non fuisse: Nam cùm ad sanctum Moysen Exod. 3. ita verba Dei per Euangelium proferantur, vt quærenti quod sit nomen eius, qui eum pergere præci

præcipiebat ad populum hebræum ex Ægypto liberandum, respondeatur: *Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel: qui est misit me ad vos*, quasi cætera non sint, quæ commutabilia sunt, in eius comparatione, qui verè est incommutabilis. Hoc Platonem tenuisse, ac de ipso Deo sensisse, ac diligentissimè commendasse docet D. Augustinus lib. 8. de ciuitate Dei cap. 11. Nam quod in Septuaginta legimus ἐγώ εἰμι ὁ ὤν ibi ὤν, est participium, quasi *Ego sum ille qui est*: hoc enim verbum græcum vno latino reddi non potest, vt inquit Seneca libro epistolarum 8. sed dici potest Ens, quod à sum protulit Cæsar, sicut à possum potens, idem Sergius Flauius fecit, vt Quintilianus refert. Significat autem Deus se esse illum qui sit, quia res cæteræ verè & propriè non sunt, quo alludit Isaias cap. 40. cùm ait: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei*: & paulò post: *qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius quasi locustæ*, & postea statim: *qui dat secretorum scrutatores quasi non sint, iudices terræ velut inane fecit*. Reliqua enim omnia manent, vt inquit Seneca, non quia æterna sunt, sed quia defenduntur cura regentis futura, prorsus nihil, si manum ille tolleret. Plato verò in Timæo & Sophista, res corporeas nunquam verè esse, res autem spirituales solas verè esse affirmat: Et in eodem Sophista & Parmenide, Deum vnum & ens appellat, à quo sint reliqua vniuersa: Ab hoc deos alios minores generatos esse, quos in Timæo fore immortales ait, non sua ipsorum vi & natura, sed voluntate parentis Dei, quem τὸ ὤν nominat: plerumque nempe, quod est Platonicorum etiam omnium concors est sententia, titulum Platonici Parmenidis de ente, & vno omnium rerum principio, & Sophistæ περὶ τοῦ ὄντος, de Deo intelligi, qui vnum sit ens verè, & vniuersorum principium: & quoniam ὤν participium est, præsens tẽpus significat, vt videatur Deus nec futurum habere, nec præteritum, sed semper esse. Quare Plato in Timæo sic de Deo loquitur, *Porrò*, inquit, *hæc omnia temporis sunt partes, & fuit, & erit: quæ sunt temporis facti, & à nobis falso sempiternæ attribuuntur essentiæ, quod non decet: ita enim solemus de illo loqui: Erit, fuit, est: at solummodò, Est, ei congruit: Fuisse verò & fore, conuenit dicere quæ in tempore genita cum tempore procedunt: motus siquidem hæc duo sunt; Quod autem idem est tota æternitate, nullo mouetur motu, nec decet seniorem vnquam fieri, aut iuniorem, nec fuisse hactenus, nec fore deinceps: Nec vt curru in id quidquam eorum, quæ res corporeæ, aut quas sensibus vsurpamus patiuntur, sed istæ sunt temporis æmuli æternitatis, & ad numerum se conuoluentes species*: hæc Plato.

Quibus maximè quadrant verba illa Gregorij Nazianzeni oratione 38. in Christi natiuitatem: *Deus*, inquit, *erat semper, & est, & erit, vel, vt rectius loquar, semper est: nam erat, & erit nostri temporis, fluxæque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, cùm in monte Moysi oraculum edit: vniuersum enim id quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum: velut pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum, omnem tum temporis tum naturæ cogitationem superans, mente solùm adumbratus is, & quidem perexiguè, atque perobscurè, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum*. hæc Gregorius, quę ab ipso Platone mutuatus est, vt notat ibi Nicetas Serronius Scholiastes eius, ex Græcis doctissimus, qui verba Gregorij exponens: *Rerum*, inquit, *diuinarum* 2

alia

alia est ratio, quæ cum omni motu careant, profecto sæculum quoque ipsarum firmum, & constans, vniúsque modi esse necesse est: Nam αἰὼν ἀπὸ τοῦ ῥέειν, id est, ab eo, quod fluat; Quocirca rebus his, quæ in tempore sunt ac principium habent, erat, & erit, conueniunt: verbi causa, pater meus heri erat, hodie ego, cras meus filius: At Deus semper est, & vt cum diuinoloquo Dionysio dicam, vniuersam essentiam in seipso complectitur: Hinc Isaiæ 41. *ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus: tota enim essentia illius nec principium habens, nec finem habitura, quasi vastum pelagus essentiæ est immensum & infinitum, vt principio & fine carens: interminatum autem vt nec loco, nec definitione ipsius natura declarante circumscriptus.* hæc Nicetas.

3 Hanc ergo diuinam essentiam, quam Plato & alij Philosophi τὸ ὂν vocauerunt, quæ verè & semper est, atque causa & principium est, vt cætera sint significat nomen hebraicum יהוה Iehova, quod à Græcis tetragrammaton, id est, quatuor literarum dicitur, & ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile putauerunt, quod cùm his literis scribatur, יהוה Iehova, qui linguam hebraicam non intelligebant propter elementorum similitudinem, cùm in græcis libris reperirent, legere ΠΙΠΙ consueuerunt: ἀνεκφώνητον verò, id est, ineffabile arbitrati sunt, quod reuerentia plenum sit nomen, velut quod Deo magis conueniat, magisque eius essentiam, diuinitatémque significet. Eam ob rem antiqui Iudæorum à Moyse illo magno edocti, ad designandam eius ineffabilitatem, statuerunt hoc nomen minimè proferendum esse, sed vbicunque inueniretur, hoc eius nomen אדני Adonai, quod Dominus interpretatur, pronunciari debere, quod etiam noster interpres perpetuò seruat in nostra vulgata editione, qui nomen Iehova vbique per Dominum reddit. Itaque quotiescunque in hebraica editione recurrit hæc vox, יהוה Iehova, in nostro latino contextu est nomen, Dominus, nisi ante ipsum in hebraico occurrat dictio אדני Adonai, tunc enim respondet in latino codice nomini tetragrammaton dictio, Deus, non Dominus.

4 Propter hanc ineffabilitatem multi dixerunt, Deum nullum aliud habere nomen, quod magis exprimat quid ipse sit: De Deo enim vt testis est Dionysius, magis dicere possumus quid non sit, quàm quid sit: Et si affirmando de eo loqui volumus, quid nam melius & accommodatius dicemus, quàm quòd sit vera essentia ille qui est verè ὁ ὤν, de qua item Dei ineffabilitate Mercurius ille Trimegistus loquens dixit: ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος, id est, qui est, est absque nomine: dicebat enim hoc nomen non posse humano ore efferri. Quod nequecacodæmon facere potuit: Nam Apollo Delphicus, quærenti cuidam, ita inter cætera respondit: οὗ τὸ ὄνομα μὴ δὲ λόγῳ χωρούμενον, id est, cuius nomen nec verbo capiendum. Denique delusam olim variis erroribus gentilitatem, & ab hebraica veritate, vnà cum tempore quotidie magis, sempérque delapsam ab hoc nomine Iehova Iouis nomen, quod multis postea facinoribus, figmentísque polluerunt, elicuisse aliqui credunt: Iehova enim vox Ioui similis est, & iam à græcis Iupiter appellatur ζεὺς à vita, sicut hebræis Deus ab essentia vocatur Iehova, vbi etiam hoc notandum videtur, non modò ab hebræis, barbaris, & græcis, sed & latinis, ac Christianis, & quibusque fermè nationibus, Dei nomen esse tetragrammaton, hoc est, quatuor literarum: sicut enim

enim ab hebræis vocatur יהוה Iehova, ſic à latinis, Deus, à græcis Θεὸς, ab Æ-
gyptiis Θεῦτ, & per contractionem nonnunquam trium literarum Θώθ, vt
etiam apud hebræos aliquando obſeruatum eſt. Perſæ, Σύρη Deum vocant:
Tyrrheni, ſeu Hetruſci ἐσὰρ Magi ὀρσὴ, Arabes, ἀλλὰ, Aſſyrij, ἀδὰδ, Mahu-
metes & Turcæ, ἄγδι, populi nuper reperti, ζιμι: Quod autem apud tres præ-
cipuas nationes quatuor literis Dei nomen ſcribatur, ex eo venit myſterio, vt
in crucis titulo per eas totus orbis Chriſtum pro Deo vero cognoſceret: to-
tidé enim in eo dictiones fuerunt, quot in Dei nomine ſunt literæ: ita vt per
has tres linguas, tres earum populos, tam in crucis titulo, quàm in Dei nomi-
ne deſcribendo præcipuè Chriſtus ſibi ſacrarit.

Sed iam perſcrutandum illud videtur, quid ſibi velit Dominus, cùm ait ſe 5
nomen hoc Iehova non indicaſſe Patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob: ſic
enim legimus Exodi 6. *Apparui Abraham, Iſaac, & Iacob in Deo omnipotente, &
nomen meum Adonai non indicaui eis*: in hebraico eſt: *nomen meum Iehoua*, quod à
noſtro interprete per Adonay pronunciatur. Sanè locus difficilis eſt: nam
Gen. 15. alloquitur Deus Abraham, dicens: *Ego* Iehova *qui eduxi te* &c. Imo
ante diluuium hoc nomen indicatum fuit generationibus illis tempore E-
nos: nam in fine quarti capitis Geneſeos, dicitur de Enos, *Iſte cœpit inuocare no-
men Domini*, vbi in hebraico eſt: *cœpit inuocare nomen* Iehova, quod per Do-
minum tam in noſtra, quàm in græca editione redditur. Quidam cùm eſſent
linguæ hebraicæ periti, & intelligerent hoc loco ſacram ſcripturam, agere
de nomine Iehova, ob loci difficultatem coacti ſunt nouam huius nominis
interpretationem (quod fecit Oleaſter in huius loci expoſitione, recedens à
communi, tam Sanctorum, quàm aliorum doctiſſimorum hominum ſenten-
tia) exquirere: ab eſſendo enim omnes deductum eſſe nomen Iehova ſta-
tuerunt. Oleaſter autem opinatur deduci à conterendo, & vaſtando, vt idem
ſit Iehova, quod Deus conterens & vaſtans. Interpretatur itaque hunc lo-
cum, *Apparui Abraham in Deo omnipotente*, (quod in hebraico eſt שדי Sadai
& ipſe interpretatur Deum abundè ſe in nos diffundentem, vel Deum vbe-
rem, ſeu qui vbertatem præbet: vtrumque enim poteſt ſignificare) ſic expli-
cat: *Apparui illis in Deum diffundentem ſe, & beneficum*, ſiue, *in Deum vberem, &
conferentem vbertatem, ſed in nomine meo* Iehova, id eſt, ſub nomine conteren-
tis, *non innotui eis ſicut modò faciam*.

Qui autem nomen Iehova ab eſſendo deducunt, ita vt eſſentiam ſignifi- 6
cet, dicunt inter nomina quæ in ſacra ſcriptura de ipſo Deo reperiuntur, quę-
dam ſignificare Deum per relationem ad ipſas creaturas, vt creator, Domi-
nus, miſericors, & dominator, ac huius generis nonnulla. Alia verò ſignifica-
re Deum ad modum qualitatis, vt ſapiens, benignus, fortis, quædam autem
ad modum quantitatis, vt, immenſus, incircunſcriptus, æternus. Hæc autem
nomina, & alia quæ ſecundùm modum aliarum categoriarum Deum ſigni-
ficant, non ab eius eſſentia, ſed à proprietatibus & attributis eius impoſita
ſunt: nomen autem tetragrammaton Iehova, ſignificat diuinam eſſentiam,
puram & nudam ab omni attributo, & ea ratione qua in ſe exiſtit: quibus ita
conſtitutis inferunt hoc nomen ſignificare diuinæ eſſentiæ veritatem: ad ve-

titatem autem pertinet adimpletio promissorum. & quia tempore Moysi cópleta sunt quæ antiquis patribus fuerunt promissa, ideò dicunt nomen magnum IEHOVA fuisse ei demonstratum. Est itaque eorum expositio, *Apparui eis in Deo omnipotente*, id est, ego solum monstraui me antiquis, vt omnipotentem promittens ea, quæ nullus præter Deum cunctipotentem reddere posset, & nomen meum Adonai non indicaui eis, id est, demonstraui rem significatam per nomen meum, id est, veritatem meam, quæ in reddendis promissis consistit: quoniam eorum temporibus non fuerunt impletę promissiones factæ de possidenda terra Chanaan: sed tibi indicaui, quia in tempore hoc hæc euenient. Esset quidem ista expositio satis accommodata, si vero niteretur fundamento: falsum enim est, nomen IEHOVA significare veritatem promissionum, sed significat veritatem ipsius essentiæ & naturæ: præterea neque omnia euenerunt tempore Moysis: non enim suo tempore filij Israël sunt ingressi terram promissionis.

7 Franciscus verò Vatablus ex vera significatione huius nominis conatur loci eius interpretationem patefacere: dicit enim IEHOVA diuinam essentiã significare, ab ipso esse, quòd illud Deus cunctis rebus tribuat atque communicet: significat itaque diuinam consistentiam & firmitatem. Hæc autem in promissionum effectu, qui post longa sæcula subsequitur, maximè elucescunt, cùm ex eo omnes deprehendant illum eundem, qui ante tot annorum spatia illa promiserat, etiam eis transactis immutatum & stabilem in sua essentia consistere, quando tanta facilitate quod fuerat pollicitus elargitur: ex quo non sola eius omnipotentia apparet, sed nomen eius IEHOVA elucet: illius nempe essentia, firmitas, & consistentia. Est itaque eius interpretatio, *Apparui*, &c. id est, me illis declaraui omnipotentem, & sufficientissimum. id enim significat SADAI, non tamen opere adimpleui, quæ illis sum pollicitus, vt possessionem attingerent terræ Chanaan: audierunt quidem & crediderunt promissionem, sed me eam complentem non viderunt, quemadmodum tu Moyses visurus es: tibi autem in nomine IEHOVA apparebo, id est, videbis me id facientem, quod meum nomen sonat, hoc est, cùm stabilis & immutabilis sim in mea essentia, facientem nunc, & præstantem quod iam olim pollicitus sum: educam enim vos de terra Ægypti, & inducam in terram Chanaan. Esse autem verum hunc sensum inde colligit, quòd statim post verba illa *& nomen meum Adonai non indicaui eis*, sequitur, *pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan.*

Sed ad veram magisque consonam huius loci elucidationem, animaduertendum planè est, Deum esse vnam essentiam, & naturam simplicissimam, in qua infinitæ continentur perfectiones. Præter perfectiones verò, quæ sunt in creaturis, quas finitas esse necesse est, sunt in Deo aliæ infinitæ quidem, & nobis incognitæ: omnes autem hæ perfectiones sunt vnica res, indiuisa numero propter simplicitatẽ diuinæ substantiæ in ipso Deo, licet quæ in creaturis reperiuntur diuisæ sint, atque distinctæ. Quia verò Deus vnica res est, vnicum ei nomen competebat, sunt tamen varia nomina ei imposita, propter varium nostrum modum Deum cognoscendi, per varia eius attributa. Nomen

ESSENTIA DEI.

men autem IEHOVA ipsam simplicem & puram essentiam notat, sed excellentissima quadam ratione vt est pelagus omnium perfectionum: imponitur enim ab essendo, nam significat eum qui est, & qui aliquid esse facit, quod quidem radix & fundamentum omnium diuinorum nominum est. Essentia autem Dei continet eminenter omnes perfectiones, siue formas, à quibus cætera nomina Dei imposita sunt. Quare hoc nomen non solùm est essentiale ratione rei significatæ, sed etiam ratione modi significandi. Ab essendo autem esse deductum non solùm vox, & nominis ratio testatur, cùm esse significet, sed ipsa sacra scriptura demonstrat Exodi 3. vbi cùm dixisset Moyses: *Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos, si dixerint mihi, quod est nomen eius? quid dicam eis? dixit Dominus ad Moysen: Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel: qui est misit me ad vos*, in hebraico legimus: *ero qui ero*. Nam iuxta huius linguæ consuetudinem, futurum tempus vsurpari solet ad res perpetuas significandas. Continet enim rationes præteriti & præsentis. Itaque his verbis satis indicat Dominus Moysi nomen suum Iehoua, id est, sui nominis significationem. Præterea Dominum indicasse Moysi rem per hoc nomen significatam, id est, ipsam diuinam essentiam manifestando ei seipsum, & videndo eam apertè, saltem per modum transeuntis, vt loquuntur Theologi, constat ex Numer. 12. cap. vbi Dominus, *Non*, inquit, *talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor, & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*, in hebraico est. IEHOVA videt.

Vidisse autem Moysen diuinam essentiam, sibique esse indicatam, docent viri grauissimi, sanctissimi & doctissimi. D. enim Augustinus lib. 12. super 9
Genesim ad literam cap. 27. & 28. & in epistola 112. ad Paulinam, & sermone 46. ad fratres in Eremo, expressissimè affirmat & Paulum & Moysen vidisse diuinam essentiam, sicuti vident illam Angeli beati. Idem docet de Moyse D. Basilius in homilia 1. Exameron cap. 2. Hoc ipsum docet D. Ambrosius de Moyse & de Paulo lib. 1. Exameron cap. 2. & super secundam epistolam ad Corinthios cap. 12. exponens verbum illud, *Paradisum*. D. etiam Anselmus, & venerabilis Beda super eundem Pauli locum, idem docent. Ex Scholasticis etiam doctoribus beatus Thomas, & alij plures, quos longum esset recensere in hac eadem sunt sententia. Itaque iste videtur proprius & genuinus sensus, *Ego apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente*, quasi dicat, operibus meam infinitam potentiam declarans, illisque me ostendens ad omnia sufficientissimum. *Non tamen eis indicaui nomen meum Iehoua*, ex quo oritur omnis sufficientia & omnipotentia. Nemini enim eorum declaraui quid hoc nomen meum significaret, neque ostendi meam essentiam per hoc nomen significatam, tibi verò non solum indicaui nomen meum IEHOVA, eiusque significationem, quam Exodi 6. audisti me dicente. *Ego sum qui sum*, sed etiam quod per hoc nomen significatur, id est, meam etiam essentiam indicabo tibi, & eam non per ænigmata, sed apertè & palam videbis, & sic tanto fauore & beneficio confortatus ac munitus, omni timore expulso, animo virili & forti educes populum meum Israël de Ægypto.

Christum autem Ioann. 8. ad hoc nomen IEHOVA alludens, cùm dixis- 10

ſent Iudæi quinquaginta annos nondum habes & Abraham vidiſti, reſpondit: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret ego ſum*: quaſi diceret, Ego IEHOVA, id eſt, qui ſum; vbi hoc nomen ſibi conuenire ſatis indicauit. Et quia hac voce, *Ego ſum*, arbitrati ſunt Iudæi ſibi vſurpaſſe nomen Dei tetragrammaton. Ideò tulerunt lapides, vt iacerent in eum. Ad hoc idem reſpexit etiam Chriſtus Dominus Ioan. 18. quando accepta cohorte à Pontificibus, & Phariſæis venit ad eum Iudas Schariotes cum lanternis, facibus, & armis, dixitque eis, *Quem quæritis?* qui reſponderunt, *Ieſum Nazarenum*: quibus cùm dixiſſet *Ego ſum*, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram, quaſi dixiſſet: *Ego ſum qui ſum*, ego IEHOVA potentiſſimus, à quo totum eſſe promanat, qui poſſum vos redigere in nihilum. Nam etſi Chriſtus homo erat ex tempore, erat tamen Deus ex æternitate, de quo Micheas cap. 5. *Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis*: de quo etiam Ioannes cap. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Declarauit quoque Chriſtus ſe Deum eſſe, ſibique nomen Iehoua conuenire Apocalyp. 1. dicens, *Ego ſum α & ω principium & finis, dicit Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt*; Quò etiam alludere viſus eſt Ioannes Baptiſta cap. 1. Euangelij Ioan. dicens de Chriſto, *Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum dignus vt ſoluam corrigiam calceamenti.* Quod etiã reſpexit Paulus Hebræor. 13. cùm dixit: *Ieſus Chriſtus heri & hodiè, ipſe & in ſæcula*: quaſi dicat, eſt qui ſemper eſt, ipſi nomen Iehoua conuenit, qui fuit, eſt, & erit in æternũ.

11 Hoc autem nomen יהוה IEHOVA à verbo hebraico היה HIA ortum habet, quod eſſe ſignificat: Prima autem litera huius nominis eſt י IOD, qua apud hebræos formari ſolent nomina propria, vt Iſaac, Iacob: vnde colligimus hoc eſſe nomen proprium Dei; reliquæ verò literæ ſubſtantiales ſunt ipſius verbi, היה HIA, ponitur enim litera ו VAV, loco י IOD. Sunt enim hæ duæ literæ eius naturæ, vt facilè altera in alteram commutetur. Sanè pronunciatio huius nominis vera atque germana ignota eſt, & idcircò qui primi puncta vocalia repererunt, cùm huius vocabuli ſonum proprium ignorarent, puncta ei aliena, id eſt, nominis אדני ADONAI ſubiecerunt. Neque Hebræorum magiſtri, & doctores qui puncta inuenerunt, fuerunt primi qui nomen Dei Iehoua per nomen Adonai, id eſt, Dominus, efferre cœperunt: ſiquidem D. Hieronymus ipſis antiquior cap. 6. Exod. ſe legiſſe hoc nomen per Adonai teſtatur, cùm non nomen Iehoua, ſed nomen Adonai in ſua tranſlatione poſuerit Origenes quoque D. Hieronymo vetuſtior in tetraplis atque exaplis ſuis in ea columna, in qua voces hebraicas græcis literis ſcripſit, vbi pro Iehoua poſuiſſe dicitur Adonai. Ipſi etiam Septuaginta vetuſtiſſimi interpretes, ſemper nomen Iehoua per κύριος, id eſt, Dominus, reddiderunt. Adonai autem Dominum ſignificat. Et maximè notandum eſt, quòd Chriſtus Dominus & Apoſtoli, cùm ſæpe ex Teſtamento veteri proferrent teſtimonia in quibus hoc nomen continetur: nunquam tamen Iehoua dixerunt, ſed ſemper pro eo Dominus ſiue κύριος: cùm tamen alia nomina propria ſuis vocibus expreſſerint, vt ADAN, MOT, EVA, SARA, MARIA. Denique apud veteres omnes inauditum fuit nomen IEHOVA, vt multi arbitrantur: vnde hoc nomen

nomen tetragrammaton, id est, quatuor literarum, & ἄῤῥητον atque ἀνεκφώνητον, id est, ineffabile vocauerunt. Vide Originem homilia 14. in lib. Numer. Eusebium lib. 11. de præparatione euangelica cap. 8. Gregorium Nazianzenum oratione 4. de Theologia. Et quæst. 15. in Exodum Eusebium: tum etiam lege Hieronymum in Epistola 136. ad Marcellam, & in caput decimum quintum Ezechiel.

Denique de huius nominis pronunciatione variæ sunt opiniones. Lyranus 12
in sextum caput Exod. scribit non nisi à summo Sacerdote, & solum in templo cùm benedictiones fierent, fuisse pronunciatum per sonum IEHOVA: aliis verò locis, & temporibus semper per nomen ADONAI, id est, dominum, aut ELOHIM, id est, Deum, fuisse prolatum. Porrò aliqui hoc nomen sonum IAHO exprimere, vt Clemens Alexandrinus Stromatum 5. & Macrobius lib. 2. saturnalium cap. 18. & Diodorus Siculus lib. 1. Bibliothecæ. Alij IAVE IAH, vt Theodoretus quæst. 15. in Exodum, crediderunt. Deinde alij arbitrati sunt nomen hoc nihil aliud esse quàm tertiam personam futuri verbi substantiui, nempe יהיה IIHIE, siue יהוה IIHVE, quod significat erit, siue erat, siue est, quod propriè, Deo soli conuenire docemur Exodi 3. Præter hoc nomen IEHOVA est aliud nomen, quod etiam significat Dei essentiam, nempe יה IA: quare cùm in scripturis occurrit per ADONAI, id est, dominum, exponitur sicut nomen IEHOVA: Quod quidam putant esse syncopen eius, idémque cum eo, & non secus esse truncatum ex IEHOVA, quam אל EL Deus ex אלוה ELOHA, & sicut אל EL secundùm hanc rationem significat præsidentiam, & iudicium: sic nomen, IA, significare ipsam essentiam. Nec desunt qui dicant vocem istam, IA, quatenus detruncata est, & abreuiata Deum imminutum, & abreuiatum significare, id est, Christum humiliatum, passum, & mortuum. Illud etiam notant aliqui, in duobus sacræ scripturæ locis reperiri voces compositas cum hoc diuino nomine, IA, augendi rei gratia, vt Canti. 8. vers. 6. vbi enim nos legimus: *lampades eius, lampades ignis atque flammarum*, in hebraico est שלהבתיה SALHEBETHEIA, id est, flammarum: vehementissimarum sic Ieremiæ 2. vers. 31. *Nunquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina*, seu vt alij, *Caliginosa*: in hebraico est מאפליה MAPELEIA, id est, admodum serotina, aut vehementer caliginosa: sed aliqui putant hoc loco IA, non esse nomen Dei, sed addi literam IOD, & literam HE his dictionibus, ad huiusmodi excessum designandum: sicut fit in nominibus gentilitiis, vt in hac voce שלישיה SELISIIA, id est, triennis.

Cap. III. DE ÆTERNITATE DEI.

EX definitione Boetij 5. de consolatione, cùm ait: *æternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio*. Constat durationem æternam, quæ in 1
Deo est, neque partes habere neque aliquam successionem. Vnde Augustinus in illud Psal. 2. Ego hodie genui te: *in æternitate*, inquit, *Neque præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit*, intelligens per vocem illam, *hodie*, ipsam æternitatem quæ tota simul est ac præsens. Idem Augustinus

in illud Psal. 101. in generatione, & generationem anni tui: *Qui*, inquit, *anni tui? Qui nisi qui non veniunt vt transeant, Quis nisi qui non ideo veniunt, vt non sit omnis hora, omnis mensis, omnes anni nihil horum stat: antequam veniat, non est; cum venerit non erit. Anni autem tui qui non mutantur in generatione, & generationem erunt.* Et infrà: *Non aliud anni Dei, & aliud ipse Deus, sed anni Dei æternitas Dei est: Æternitas ipsa substantia Dei est, qua nihil habet mutabile; ibi nihil est præteritum quasi iam non sit, Nihil est futurum quasi nondum sit, sed non est ibi nisi est, non est ibi, fuit, & erit. Idcóque dictum fuit Moysi Exod. 3. ego sum qui sum, sic dicas filiis Israel. Qui est, misit me ad vos.* D. etiam Gregorius lib. 16. in Iob cap. 21. super illud Iob 14. Ab omnipotente non sunt abscondita tempora, dicit diem Dei esse ipsam æternitatem, idémque esse ipsum Deum, & dies eius. Præterea Anselmus Monolo cap. 21. & 22. ex Dei simplicitate probat æternitatem idem esse cum essentia diuina, neque habere præteritum neque futurum, sed esse totam simul. Quod verò Æternitas sine vlla successione ac varietate ex parte sui respondeat omni tempori explicari potest per lignum in fluuio defixum atque immotum: vt enim aliis atque aliis partibus aquæ circa ipsum defluentibus, lignum fixum atque immotum permanet, ita aliis atque aliis partibus temporis prætertlabentibus æternitas sine vlla successione partium permanet tota simul. Aptius tamen idipsum exponit D. Thomas 1. contra Gentes cap. 66. Similitudine puncti quod est centrum circuli: vt enim centrum illud est indiuisibile quoddam extra circumferentiam circuli è regione correspõdens toti circumferentiæ, & singulis illis partibus atque punctis, quæ tamen inter se distant, & mutuo sibi succedunt, cùm circumferentia describitur: ita æternitas est indiuisibile quoddam extra tempus existens, tota respondens toti tempori, & tota singulis partibus atque instantibus illius, quæ decursu temporis mutuo sibi succedunt, ac fluunt, totáque simul permanẽs semperque eodem modo se habens: Itaque oportet æternitatem in Deo eiusmodi esse, cùm ipse Deus immutabilis sit: Est enim ex se ipso, & neque incipere potuit, neque potest desinere, aut aliquo modo variari. Quare Concilio 2. Lateranensi cap. firmiter de summa trinitate definitum est, vnum solum esse verum Deum, & in Symbolo Athanasij per Consilium Florentinum approbato, confitemur æternum esse Patrem, æternum filium, æternum Spiritum sanctum.

3 Quare Gregorius Nazianzenus oratione 38. in Christi natiuitatem: *Iam verò* inquit, *cùm immensitas bifariam consideretur, Nempe, & principij, & finis ratione (nam quod supra hæc est ac non in his immensum est) cùm in superum, profundum mens aspexit, non habens vbi consistat, formísque illis quas de Deo concepit innitatur, immensum hoc, & inextricabile anarchum, hoc est, principio carens appellauit; cùm autem ad inferiora, & posteriora, immortale atque interitus expers. Cùm verò vtrúmque contraxit, & collegit, æternum: Æternitas enim nec tempus nec temporis pars vlla est. (Nec enim in mensurã cadit,) sed quod nobis tempus est, solis motu definitum, hoc æternis æuum est. Nimirum ille quasi temporalis quidam motus, & interuallum, quod simul cum æternis extenditur* hæc Gregorius. Itaque sentit Gregorius immensum id esse, quod principio, & fine superius est, quod solus Deus est. Si igitur ad superiora sæcula subiecti fuerimus, atque in diuinæ vitæ immensitatem, velut in vastissimum

quod-

quoddam pelagus, perſpexerimus, quia nullum principium ex quo originem duxerit, accipere poſſumus, ſed exteriorem ſemper, & ſublimiorem cogitatione noſtra Dei vitam eſſe animaduertimus, ideò ab eo quod principio careat, *ἄναρχον*, id eſt, principij expertem appellauit. Rurſus cùm ad ſuccedentia hæc ſæcula mentem extenderimus, ac Dei vitam nullo termino definitam eſſe videmus, interminatum atque immenſum, nec fine vllo circumſcriptum, immortale atque interitus expers nominatur: cùm autem, & principij carentiam ex ſuperiori tempore, & immortalitatem ex inferiori collegerimus, tum verò Deum *ἀΐδιον*, id eſt, æternum dicimus. Appellatur itaque æternitas à D. Gregorio illa infinita protractio, quæ ineſt rebus æternis.

3 Proinde Petrus Damianus Oſtienſis Epiſcopus in Epiſtola 4. de omnipotentia Dei: *omnipotentis*, inquit, *non eſt heri vel cras, ſed hodie ſempiternum: cui nihil defluit, nihil accidit: cui nihil eſt varium, nihil à ſe diuerſum. illud, hodie, æternitas eſt, incommutabilis, indefectiua, inacceſſibilis: cui videlicet nihil addi, nihil valet imminui, & omnia quæ apud nos elabendo diſcurrunt, aut per temporum viciſſitudines ſe variant, apud illum hodie ſtant, & immobiliter perſeuerant in illo ſcilicet, hodie, dies illa adhuc immobilis eſt, in quo mundus iſte ſumpſit originem, in illo iam, & ille nihilominus eſt, in quo iudicandus eſt per æterni iudicij æquitatem: Neque enim in eam lucem (quæ ſine acceſſu ea quæ eligit illuſtrat, & ſine receſſu ea quæ reſpuit deſerit) defectus mutabilitatis venit, quia in ſemetipſo permanens immutabilis, mutabilia cuncta diſponit. Sic enim in ſe tranſeuntia condidit, vt apud ſe quæ condita ſunt tranſire nequaquam poſſint, nec tempus initus in conſpectu eius defluit, quod apud nos foris per exteriora decurrit: vnde fit, vt in æternitate eius, omnia fixa maneant, quæ non fixa extrinſecus ſæculorum volumine indeſinenter emanant. Deo quippe dies vna eſt æternitas ſua, quam videlicet diem nec fine claudi, nec initio videt aperiri pſalmiſta, cùm dicit: melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia.* hæc Petrus Damianus.

4 Propterea Ægyptij cùm per ſymbolum ſphæræ Deum intelligerent, æternitatem quoque eadem ſcriptura deſcripſerunt, in nummo etiam Fauſtinæ, quam Ethnici retulerunt inter diuos ſuos, ſigillum deſcriptum erat cum ſceptro, ſuper ſphæram ipſa ſedens, dextera porrecta, cum inſcriptione ÆTERNITAS. Apud Romanos etiam perpetuitas eſt per ſphæram indicata, vt in ſphæra illa quæ cum caduceo, & pharetra tranſuerſis, & virga cui palliolum appenſum eſt, deſcripta in nummo illo quem Cæſari cudit L. Buca, in cuius altera facie inſcripto eſt his literis, CÆSAR DICTA. PERPETVO. Vbi perpetuitas ex ſphæra. Auctoritas verò dictatoria quæ illi conſenſu atque cócordia ciuium demandata fuerat, per inſignia reliqua ſignificatur: Nam in ipſa Dei æternitate duo potiſſimum cóſideranda ſunt: alterum quod principio, & fine careat, quod veteres illi Philoſophi atque ſapientes per ſphærã deſignare voluerunt, in qua neque principiũ eſt neq; finis: Alterũ verò quòd ſit immutabilis, in qua nulla eſt ſucceſſio, nulla varietas, nullus eſt ortus, nullus interitus, ſed ſumma ſtabilitas. Quod etiã vt ſignificarent Ægyptij potius Baſiliſcũ, quàm aliud quoddam genus colubri deſcripſerunt: quia inter ſerpentum genera hoc vnum interfici vi non poſſe quidam opinati ſunt, vt refert Horus Nibiacus autor Hierogliphicon. Quinimo tanta huic vni vis eſt, vt animalia

reliqua

reliqua ſolo ſibilo fuget, quo audito ferunt omnium auium cantus coerceri, fruticéſque, & herbas non vllo morſu. ſed olfactu aſpectúve ſolo enecari. Archelaus tradit, vt apud Ælianũ habetur, veterinum olim iumentum in Africæ ſolitudine quadam defeciſſe, ad cuius cadauer cùm ſerpentes plurimi ventitarent, & eius viſcera depaſcerentur, interim Baſiliſci audito ſibilo, omnes profugiſſe, aut in ſabulum ſeſe abdidiſſe: progreſſum verò baſiliſcum per otium ſine cuiuſquam tumultu carnem quam appetierat eſitaſſe, cúmque ſatur iam abiret, iterum edidiſſe ſibilum, quod indicium fuerat ſerpentibus aliis ad eſcam tutum patere reditum, atque ita eis ablatam prædam repetiſſe: ideò itaque immutabilitatem illam, atque indeficientiam æternitatis per baſiliſcum magis, quàm per alios ſerpentes deſignarunt. Eſſe autem interminabilem, & infinitam æternitatem per globum ipſius ſphæræ demonſtratur, in qua neque principium neque finem poſſumus inuenire.

5 Nam Deus omnia facta vel facienda ſine vllo tranſitu defigit, & ſtatuit in ſuæ maieſtatis præſentia: cui profecto, & illud ſpatium intranſibiliter adeſt, quod ea quæ facta ſunt anteceſſit, quóque cuncta quæ deinceps futura ſunt, concludit: Hinc enim eſt, quod in his quæ prophetico ſpiritu dicta ſunt in ſcripturis, ſæpe reperiuntur præterita pro futuris poni, & longè poſt agenda, velut iam tranſacta narrari: vnde qui paſſurus erat per prophetam Dominus ait Iſai. 50. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* Reſurrectionis autem Pſal. 138. *Reſurrexi, & adhuc ſum tecum.* De aſcenſuro quoque atque Spiritus ſancti, dona miſſuro dicitur Pſal. 67. *aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus:* quia videlicet in oculis illius ſapientiæ, vnde iſta manabant, omnia tempora ſimul ſtant, futura atque præterita (vt reuera præſentia) fixa atque immobilia ſemper aſſiſtunt, & tantundem eſt, *dederunt in eſcam meam fel,* quantum, *& dabunt, & idem eſt foderunt manus meas, & pedes meos,* & quòd *fodient manus meas, &c.* Pſal. 68.

6 Non defuerunt qui dicerent Æternitatem dici quaſi extra terminum, quòd æternitas principio caret, & fine, ſed obſtat diphthongus, quæ eſt in dictione æternitas, qua caret vox illa: *Extra*, Alij arbitrati ſunt ab Æthere deriuari, quòd inter ea quæ ſenſu percipiuntur, nihil ſit tam vniforme, quàm Æther, hoc eſt, cœlum quod nomine Æteris deſignatur: Nam inde dicunt trãſlatum eſſe nomen ad ſignificandam Dei vniformitatem in ipſa duratione: ſed illud horum opinioni repugnat, quòd Æther ſcribatur cum th. Vox autem Æternitas huiuſmodi careat aſpiratione. Quidam ab ætate terna æternitatem dictam volunt, quia ætas noſtra ſecundùm ſucceſſionem de aliquorum ſententia triplex eſt. Dicunt ergo diuinæ durationis menſuram, quæ ſimul omnem durationem noſtræ ætatis complectitur, dici æternitatem: quaſi ætatem ternam. Alij verò ab עת Eth voce habraica, quæ tempus ſignificat, & ab עתה Atha, id eſt, nunc, quod inſtans temporis eſt, arbitrantur æternitatem deriuari; Cùm enim lingua hebraica ſit omnium prima, facilè fuit ab ea hoc nomen, quamuis latinum ſit, deriuari. Sed multò eſt probabilius Æternitatem dici ab Æuo, quaſi Æuiternitatem; eſt autem Æuum propriè tempus, & ætas longa

ÆTERNITAS DEI.

lóga siue perpetua à græco αἰών, V litera interiecta, vt inquit Apuleius. Dicitur itaque æuiternitas quasi æternitas, à quo sempiternus quasi semper æternus. Differunt autem æternum, & sempiternum, quòd sempiternum dicũt Deum esse, qui semper fuit eritque: æternos autem homines esse, qui principium habuerunt, & tamen anima sunt immortales atque perpetui. Itaque æternitas proprie est perpetuitas, quæ nulla temporis quantitate mensurari, nullo temporis spatio designari potest, cum omne contineat æuum, contineatur à nullo.

Tribus autem modis in sacris literis dicitur aliquid æternum: primum id quod est immutabile, principio, & fine carens, cuiusmodi est solus Deus, qui Isaiæ 57. dicitur habitare in æternum: sic Rom. 6. dicitur Deus æternus. Deinde æternum dicitur secundùm analogiam, & similitudinem ad ipsius Dei æternitatem, id quod principium durationis habet, sed caret fine: Quomodo Lucæ 16. dicuntur æterna tabernacula, & Matth. 25. dicitur ignis æternus. Postremò æternum dici quoque solet, quod per longissima tempora durat immobiliter, quamuis habeat principium, & finem: sic dicuntur montes æterni Micheæ 2. Præterea in sacris quoque literis æterna claritas significat vitam ipsam æternam, vt Sapien. 10. Æterna quoque via illa dicitur, q[illegible] ducit ad æternitatem, vt Psalm. 138. Quo etiam modo Ecclef. 1. dicuntur mandata æterna, quia seruantes ea ducunt ad æternitatem. Genes. autem 49. Æterni colles appellantur antiqui patres, quorum desiderium erat Christus venturus, & Isaiæ 55. dicitur æternum signum ipsum crucis, signum per quod ad æternam deuenitur salutem. Exodi verò 15. & 28. In æternũ, & vltra id significat, quod non est habiturum finem. Prouerb. quoque 8. ab æterno dicitur esse, quod non habet principium. Denique æternum quandoque sumitur pro hoc sæculo, vt Psalm. 48. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Ieremiæ autem 20. Conceptus æternus dicitur esse eius, qui conceptus in vtero matris moritur. Tandem Hebreor. 6. æternum iudicium vocatur, vel iudicium generale, post quod sequitur æternitas, vel ipsum diuinum iudicium, quod æternum est, sicut ipse Deus. Item quia sententia diuini iudicij in æternum durabit. 7

Primum autem diem mundi, tempori initium fecisse legimus Gen. 1. *Et fuit vespere, & fuit mane dies vnus:* Ante enim quàm mundus fieret, nullum tempus fuerat, sed sola Dei comes æternitas, atque sibi constans eadémque permanentia, iuxta illud Isaiæ 41. *Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio. Ego dominus primus, & nouissimus. Ego sum*, & Psal. 101. *initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli: ipsi peribunt tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Est itaque tẽpus mundo congenita, & comes durationis ratio, quæ cum perpetua, & partibus omnibus æquabilis atque sui similis per se sit, magnas tamen rebus aliis, multiplicésque varietates, opportunitates, atque importunitates adfert: sicut dicitur Iob. 28. *tempus posuit tenebris, & vniuersorum finem ipse cõsiderat: lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis, &c.* Nulla autem sui parte temporis vis Deum attingere potest, cùm ta- 8

C men

men alias res nunc longitudine, nunc breuitate, & semper varietate maxima vel iuuet, vel angat, vel premat, vel liberet, vel denique multis modis afficiat. Nam & tempus quoddam ad humanæ vitæ breuitatem relatum, longum dicitur, vt mille anni: quoddam verò breue, vt dies vnus: aliud verò breuissimum, & irrecuperabile, vt dies hesterna: Aliud fere nullius momenti atque æstimationis habetur, vt hora nocturna custodia. Quarum omnium rationũ vel vsu, & sensu, vel expectatione, & metu, vel denique cogitatione fit vt homines vehementer moueantur, & solicitentur, vt Matth. 6. *nolite solliciti esse de crastino*, & Iob 14. *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*, & Esai. 60. *Complebuntur dies luctus mei*, & Gen. 7. *Expectauit Noë vltra septem diebus alijs*, Genesis etiam 9. *impleti sunt omnes dies eius nongentorum, & quinquaginta annorum, & mortuus est*. Quàm verò libera, & quàm his solicitudinibus, & angustiis aliena diuina substantia fœlicissima sit, cùm multis aliàs tũ illo illustri carmine apertè indicatur Psal. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit, & custodia in nocte, quæ pro nihilo habẽtur, eorum anni erunt*. Et Isaiæ 54. *ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui*. Breuissima igitur apud Deum, ea longissima apud homines temporis ratio est, cùm tamen quæ longissima hominibus vita est, exiguo tempore, eóque multis incommoditatibus pleno subducatur, iuxta illud Ps. 89. *Dies annorũ nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, id est, robustis, octuaginta & amplius labor & dolor*: Affert autem, vt diximus, tempus varias, & multiplices rerum mutationes, & commoditates, atque incommoditates, vt in ætatibus, cùm aliarum rerum tum animalium est manifestum. conceptũ, natiuitatem, incrementũ, decrementũ senectam, finem, exitũ atque euentus alios: Ex qua ratione illa præceptoris nostri sententia est: *sufficit diei malitia sua*. Matth. 6. Et illud etiam quod à sapiente obseruatum est, atque adnotatum ad nostram eruditionem Eccles. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cœlo, tempus nascendi, & tempus moriendi, tempus plantandi, &c. Quid amplius habet homo de labore suo? vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum vt distendantur in ea*.

Constat autem tempus præcipuè diebus & noctibus; Dies verò & noctes horis metiri solemus, atque horæ non partes sed articuli potius temporis esse videntur. Ex his autem temporis rationibus omnis orationum explicatio petenda est, vt tempus vocare, quod Threno. 1. est opportunitatem ad aliquid exequendum statutam vrgere: *vocauit*, inquit, *aduersum me tempus vt contereret electos meos*: multis enim in locis tempus oportunitatem significat: Hinc Psal. 1. *fructum suum dabit in tempore suo*, & Psal. 31. *pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno*. Psal. etiam 101. *Quia tempus miserendi eius, quia venit tempus*. Psal. quoque 117. *tempus faciendi Domine*, & Prouerb. 25. *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo*, Ierem. quoque 7. *Miluus in cœlo cognouit tempus suum. Turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui*. Illud etiam obseruatione dignum est in sacro eloquio, quòd quæ breui ac certo temporis articulo fiunt, longiori spatio facta esse, idque non impropriè pronun-

nunciantur, vt Ionę. 4. hedera, herba vna nocte nata esse, & vna nocte à verme corrosa interierat, quæ tamē exiguo momento ascensu diluculi à verme corrosa interierat. Porrò breuis temporis mentio vsum consuetudinémque breuem, atque ideò rem ignotam: contra verò longioris temporis adnotatio familiaritatem, & consuetudinem diuturniorem significat, vt apud Ruth cap. 2. *Quod reliqueris parentes tuos, & terram in qua nata es, & veneris ad populum quem nesciebas*, ab heri, & nudius tertius, id est, post longum tempus.

Denique sęculum in sacris literis, & mundum significat propter eius stabilitatem, & fluxum perpetuum, atque rerum mutationem omnium, quæ sub coelo sunt, estque dictio cœlorum, & diuinarū rerum æternitati, maiestati, & dignitati opposita, humanámque sapientiam, & carnis arguit prudentiam, à diuini spiritus sapientia alienam, atque hæc obseruatio magnam adfert lucem ad multa sacrorum librorum loca cognoscenda, vt Lucæ 16. *filij huius sæculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua*, & Marci 4. *solicitudo huius sæculi, &c. suffocat verbum*. Hinc sæculare adiectiuū, & sæcularia in eadem significatione à Paulo vsurpantur 1. Cor. 61. Sæculum etiam quamquam certum temporis spatium sit, nempe quinquaginta annorum, & maius centum annorum, iuxta illud Exod. 21. *Et erit illi seruus in sæculum*, tamen frequenter pro longissimo tēpore vsurpatur in scripturis, & si duo sæcula vel plura coniungantur, perpetuitatem omnis humani ingenij mensura maiorem significant, proximéque æternitatem indicant, sicut Psal. 44. *sedes tua Deus in sæculum sæculi*, & Psalm. 83. *Beati qui habitant in domo tua Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te*, & Psalm. 103. *sit gloria Domini in sæcula*, & Lucæ 1. *sicut locutus est ad patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula.* 10

Cap. IV. DE OMNIPOTENTIA DEI.

QVod in editione nostra vulgata significatur per omnipotentiam, id in hebraico fonte significat שדי SADAI, nempe eum cui est sufficientia omnis, & potentia: ideò Græci omnipotentem nunc per αὐταρκὴς, id est, sufficientem sibi, & cui nihil deest, nunc per παντοκράτωρ id est, cunctipotentem vertunt. Quidam rationem hebraicæ dictionis reddunt, quòd Deus abundantissimus sibi sit, & omnes creaturarum omnium defectus expleat. Aquila prædictam dictionem vertit ἄλκιμον fortem, quo innuere videtur SADAI, non tantùm omnipotentem sonare, sed, & eum qui fortis, & efficax sit, & efficaciter omnia in omnibus agat, vt ex multis locis Pauli colligi potest, & pręcipuè Acto. 17. cùm ait: *non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cùm ipse, & omnibus vitam, & inspirationem, & omnia* 1. quoque Corinth. 12. *Diuisiones*, inquit, *operationum sunt, idem verò Deus qui operatur omnia in omnibus*. Alij à vastando Deum sic vocatum arbitrantur, quasi vastatorem dicas, id est, potentem, & inuictum, cui nemo queat resistere; qua Paronomasia vtitur Isaias cap. 13. illis verbis: *quia prope est dies Domini, quasi vastitas à Domino veniet*, quod ad verbum in hebraico legimus: *sicut vastitas à deuastante Domino veniet*. Eadem paronomasia iisdem verbis vsus est Ioel cap. 1. 1

OMNIPOTENTIA DEI.

Aua dici quia prope est dies Domini, & quasi vastuas à potente venit: ad verbum in hebraico est, *& quasi vastuas à deuastante, siue à deuastatore Deo veniet*. Nonnulli verò putant sic Deum nuncupatum in sacris literis ab effusione, vel decursu, & meatu, siue alueo aquarum. Hi autem ideò Deum SADAI dici exponunt, quasi sit vberrimus, cuius virtus per vniuersas creaturas permeat, cùm illis dat esse, vitam, & motum: Est enim varia, & multiplex dictionis hebraicæ interpretatio: Quidam enim שדי SADAI interpretantur, quasi אשר די ASER DAI, id est, cui sufficiẽtia inest, vel cui satis est. Alij deducunt à שדד SADAD, id est, vastauit, depopulatus est, quia omnia potens est deuastare, & conterere. Nonnulli ab אשד ESED, id est, effusio, quòd se per suam omnipotentiam in omnia diffundat. Quidam verò à שד SAD, quod est mamma siue vber, quòd ab eo tanquam vbere plenissimo, & potentissimo sugamus omnia bona, siue honesta, siue delectabilia, siue iucunda sint, tanquam potentissimo omnium parente atque principio.

2 Iure ergo optimo Deum, qui SADAI hebraicè dicitur, noster interpres omnipotentem reddit, cuius omnipotentiam non omnes Philosophi cognouerunt: Nouit quidem Aristoteles Deum esse ex ipso causarum ordine, & esse vnum, cùm tandem ad primam causam sit perueniendum, quod ipse docet 12. Metaphisicæ, statuens vnam primam causam, quam nos Deum vocamus: ei enim varias tribuit proprietates, quas nos soli Deo conuenire dicimus: Et quamuis de Deo probetur, & cognoscatur ex ipsa natura, & ratione æternitas, vt docet Apostolus Roma. 1. quam etiam Aristoteles ponit in primo motore 8. Physicorum, tamen omnipotentiam Dei nec ipse Aristoteles concessit: docuit quidem Aristoteles primam causam infinitam esse secundùm durationem: sed esse infinitam in essentia, & potentia nunquam professus est, vt notat Episcopus Abulensis super cap. 2. Iosue quæst. 49. Nam si Dei omnipotẽtiam statuat, necessario etiam statuere debet nullam esse propositionem necessariã in rebus naturalibus, quæ in motu versantur, cùm tamen ipse multas asserat necessarias: dicit enim necessario solem cras oriturum, & alias id genus propositiones affirmat, quarum veritas dependet ex motu, & has asserit ineuitabiles, quod existimet nullam causam esse, quæ possit impedire earum euẽtum. Itaque tam Aristoteles quàm alij Philosophi, si concederent omnipotentiam primæ causæ, nullam harum enumerationum quæ in motu versantur, siue ad naturæ siue ad astronomiæ considerationem pertineant, statuerent esse necessariam, & inde tollerent necessitatem absolutam, sine qua existimant non esse scientiam. Tunc enim scire aliquid opinamur absolutè, & simpliciter iuxta Aristotelem, & non Sophisticè, quod est secundùm accidens, cùm causam cognoscimus, per quam res est, & esse illius causam, neque esse contingens aliter se habere posse, vt constat ex 1. Posteriorum. Quia ergo Philosophi isti de huiusmodi rebus, quæ in motu versantur, posse haberi scientiam docebant, omnia illa excludebant, per quæ excluderetur scientia, hoc autem per omnipotentiam primæ causæ, & ideò negabant aliquam esse causam in rerum natura omnipotentem; Propterea Auerroes Aristotelis sectator, Christianos irridet, dicens Nazaræos, id est, Christianos esse ad sciendum ineptos, quia conce

concedunt miracula, & Dei omnipotentiam, hócque modo tollere rerum necessitatem.

Fallitur tamen impiissimus Auerroes, nos enim non tollimus scientiam, & ad propositionem necessariam requiri non dicimus, vt earum euentus nulla ratione possit impediri, sed satis esse vt secundùm naturam, & rationem causarum suarum definitè se habeant ad vnum euentum, semper relicta libertate causæ omnipotentis: quamuis enim postea quod significatur per talem enunciationem, impediatur, non proinde minus necessaria est illa enunciatio: hæc enim propositio, *cras sol orietur*, necessaria est, veritatem continens necessariam: potest tamen Deus impedire ne sol cras oriatur, sicut impediuit Deus motum cœli Iosue 10. stante sole contra Gabaon, & quando reuersus est sol decem lineis in horologio Achaz 4. Regum 20. & Isaiæ 38. nec tamen vocamus minus necessariam illam propositionem, quæ aliquando impeditur ne vera sit, quam illam cuius veritas nunquam impeditur, quia ex sua natura æqualiter definita est ad hunc vel ad illum modum res, siue impediatur eius actus, siue non impediatur. 3

Deum itaque omnipotentem esse nulli homini Christiano est dubitandum: Quare meritò Theophilus Alexandrinus Episcopus epistola paschali 1. contra Origenistas, reprehendit Origenem dicentem, tot Deum voluntate sua condidisse creaturas rationales quot poterat gubernare, quod virtutem Dei imbecillitati hominum, & cæteris quæ creata sunt, comparet. *Non in humano corpore*, inquit, *tot fortitudo eius membra sustentat & regit, quot potest ex eis infusa vegetare, & cùm nobis tribuit temperantiam, quam valet sua præsentia regere, tantúmque virtute sustentat, quantum possunt membra hominum sustinere. Deus autem maior iis quæ ipse fabricatus est, cum illis mensuram in creatione præstiterit, quam rerum ordo poscebat. & quò amplius sustinere non poterat, plus potest quàm ea quæ facta sunt capiunt. At ille terminabilem Dei asserit fortitudinem, & minorem artibus hominum, cementarij quippe, & ij qui struendarum domorum callent scientiam, maiora possunt ædificare, quàm fecerunt, si tamen queant fundamenta sustinere, quæ superædificanda sunt, nec fabricatio cogitationis artium finis est.* hæc Theophilus, quod statim eleganti comparatione confirmat: *Ex quibus*, inquit, *liquidò apparet, non eum tanta fecisse quanta poterat, sed quantum rerum necessitas expetebat, tantum eius fecisse virtutem. Ponamus exemplum, vt quod dicimus manifestius fiat, si quis opulentus pater familias conuiuas ad cœnam voluerit inuitare, & tantas offerre dapes, quæ implere possent auiditatem cœnantium, non statim quantum illi comederent, & quantum eis fuerit præparatum, & quantum diues Dominus habere poterat, sed præbuit eis quantum conuiuij dignitas exposcebat. Sic & omnipotens Deus vincens comparationis exemplum, non tantas fecit creaturas, quantas poterat, sed tanta ab eo facta sunt, quanta debebant fieri.* hæc ille. 4

Ex rebus verò creatis cognosci debere diuinam potentiam docet Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus de Monarchia Dei cathechesi 6. dicens: *Numera prius ea quæ vides, & tunc illum qui non apparet enarra, eum qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat: Stillæ*, inquit, *pluuiarum nuper copiosius influentes, parum abest quin perdidissent nos. Numera mihi huius tantùm ci-* 5

uitatis guttas, non ciuitatis sed numera tantùm si potes, quæ vnius horæ spatio super domum tuam deciderunt. Sed cùm sit impossibile, agnosce tuam imbecillitatem, & vel ex eo cognosce Dei potentiam: numerantur enim ab ipso guttæ pluuiæ per vniuersam terram, non modò quæ nunc cadunt, sed quæ vnquam ceciderunt. Et cathechesi 9. idipsum etiam ostendit, *Quid enim,* inquit, *etiamsi tu non omnium cognoscas substantiam, siue genera: non enim omnium herbarum vim potens cognoscere, & ipsum qui ex vnoquoque animante procedit. Nam & ex viperarum veneno remedia in salutem hominum conficiuntur: sed dices mihi perniciosus est serpens: timeas Dominum, & assidebit tibi, sicut Paulo. Est autem quòd verè vim animantium admiremur, quomodo alia quidem in aculeis, vt scorpius, habent acumen, alia verò vim habent in dentibus, alia vnguibus pugnant: Basilisco verò in oculis est potentia. Ex tam diuersis ergo opificiis, agnosce opificis potentiam.* hæc Cyrillus.

6 Iam verò Deum esse omnipotentem variis ex locis sacræ scripturæ testantur. Quid enim illud significat, quod nomen eius dicitur omnipotens Exodi 15. & Ecclesiastici 43. ipse vocatur omnipotens super omnia opera eius; propterea in symbolo Apostolorum omnipotentem Deum confitemur, quod de potentia in agendo intelligendum est, propterea quòd moueri aut pati non possit: hoc eius omnipotentiæ non repugnat, neque quod non possit peccare, cùm peccare sit deficere à recta ratione: posse enim peccare, est posse in agendo deficere, quod eius omnipotentiæ contrarium est; ideò D. Augustinus libro 10. de ciuitate Dei cap. 5. *rectè* inquit, *omnipotens dicitur Deus, qui tamen mori & falli non potest: dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult: quod si ei accideret, non esset omnipotens.* Et D. Gregorius Nazianzenus oratione 2. de filio: *impossibile*, inquit, *esse dicimus Deum malum esse, aut omnino non esse, hoc enim Dei omnipotentiam potius, aut imbecillitatem quàm potentiam argueret,* vbi Elias Cretensis eius Græcus commentator: *quanquam omnia,* inquit, *sunt possibilia Deo, non tamen vitiosa: nam ea sunt quædam imbecillitas,* & Paulus propterea peccata imbecillitates vocauit, dicens: *Christus cùm adhuc infirmi essemus, pro impiis mortuus est,* & Dauid psal. 15. *multiplicatæ sunt infirmitates eorum,* id est peccata. Sunt præterea multa, quæ quia fieri ipsa non possunt, ex sua natura, & contradictionem manifestam inuoluunt, nulla ratione Dei omnipotentiæ derogant, & quod idem sit, & non sit, quod præteritum non fuerit, & alia id genus, quæ, vt notat D. Thomas 1. parte quæst. 25. artic. 3. cõsultius est dicere fieri non posse, quàm ea Deum non posse facere: cuius rei causam reddens D. Petrus Damianus ad Desiderium Abbatem Cassinensem de Dei omnipotentia epistola 4. *Siquid,* inquit, *tale diuinis paginis reperitur insertum, non mox passim procaci ac præsumptuosa vulgari debet audacia, sed sub modesta sobrij sermonis proferenda est disciplina, quia si hoc diffunditur in vulgus, & Deus in aliquo (quod dici nefas est) impotens asseratur, illico plebs indocta confunditur, & Christiana fides non sine magno animarum discrimine perturbatur.* hæc ille.

7 Porrò SADAI, siue omnipotens in literis sacris Deus vocatur: quia sicut ad agendum virtutem, efficacitatémque in seipso integerrimam, sic & facultatem plenissimam semper habet. neque materia vlla præcedenti in rebus recenter edendis indiget, neque instrumento aliquo ad perficiendum, adiuuari postulat.

OMNIPOTENTIA DEI.

poſtulat:ſed ipſe dixit & facta ſunt,ipſe mandauit,& creata ſunt:eſt enim ipſe ſumma virtus & fortitudo, ſummáque facultas, & ſufficientia immenſa, inexhauſta,& infinita. Quamquam autem ad efficiendi facultatem diuinam, hoc nomen omnipotens ſemper referatur, raró tamen in alia quàm fauſta, fœlicique ſignificatione à ſacris ſcriptoribus eſt vſurpatum: Neque enim tam ad vlciſcendi, animaduertendique vim & facultatem, quàm ad proſpiciendi & iuuandi copiam illa pertinent, *Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus, & multiplicabo te vehementer nimis*, Gene. 17. & rurſum Gen. 27. *Deus autem omnipotens benedicat tibi, & creſcere te faciat atque multiplicet, vt ſis in turbis populorum.* & Gen. 47. *Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ eſt in terra Chanaan,benedixitque mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciã te in turbis populorum.* Illud autem Balaam reſponſum, Numer. 24. hoc nomen omnipotens ad fœlicitatem, proſperúmque ſucceſſum ſpectare manifeſtè docet:ſiquidem omnia quæ ille fauſta & fœlicia de Iſraëlitico populo futura cerneret,à Deo omnipotente ſibi ſuggeri profeſſus eſt:ſic enim habet: *Dixit auditor ſermonum Dei,qui viſionem omnipotentis intuitus eſt, quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael.*

Ad hoc nomen SADAI ſiue omnipotentis reducitur, quòd Deus dicatur 8
in ſacris literis צבאות SEBAOTH,id eſt,Deus exercituum: צבא SABA enim ſignificat militare,dimicare,& etiam ipſum exercitum;Eſt itaque SEBAOTH nomen diuinam potentiam ſignificans: quod nomini illi maximo יהוה IEHOVA ab Anna Samuelis matre primùm adiunctum, ab omnibus ferè Prophetis fuit deinde ſæpiſſimè vſurpatum: Eſtque idem quod omnipotens, quod diuinam etiam potentiam ſignificat, copiáſque indicat maximas, per quas quæcunque res gerenda decernatur,expediri facillimè poſſit: Atque huiuſmodi nomine appellando auditores admonentur,neminem eſſe, qui diuinam potentiam aut impedire, aut fugere valeat: neque enim vno tantùm exercitu,ſed pluribus, iiſdémque fortiſſimis atque ad rem gerendam promptiſſimis Deus ad nutum vti poteſt. Atque adeò huius dictionis figura tunc vates aliíque ſacri auctores vtuntur, cùm de diuino iudicio, de ſupplicio ſumendo,de ſceleribus, iudiciiſque vlciſcendis agitur. Et quod ad certam rationem propius accedit, hoc exercituum adiunctione ſeſe Deus appellat, vbi cum principibus, cum tyrannis, cum potentia claris hominibus, cum ſuperbis denique & contumacibus populis illi ſermo eſt, & apud Iſaiam cap. 1. *Hæc dicit Dominus exercituum fortis Iſrael: heu ego conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis*: Habet autem Deus varia& inſtantiſſima exercituum genera: Nam præter Angelorum & Spirituum acies,de quibus frequentiſſima in ſacris mentio eſt, militiam quoque cœli, aſtrorum, ſyderúmque virtutes, & ad publicas,& ad priuatas res gerendas,mouere excitaréque ſolet,iuxta illud, *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, pſal. 146. illi verò tres exercitus plerunque ad expeditionem, ad vlciſcenda publica ſcelera ducuntur: gladius,fames,& peſtis,vt Ezech. 12. *& relinquam ex eis viros paucos,à gladio,fame,& peſtilentia*, Sunt & alij etiam innumeri inuiſibiles exercitus, exercituúmque duces, diuino dicto ad eam, quam diximus, rem audientes,

inter

inter quos cuiusdam spiritus efficacissimam atque præsentissimam naturam Micheas vates sibi visam testatur 2.Paralip. 17. ad reges & Principes turbandos: *Vidi*, inquit: *Dominum sedentem in solio suo, & omnem exercitum eius assidentem ei à dextris & à sinistris, & dixit Dominus: quis decipiet Achab Regem Israel, vt ascendat & corruat in Ramoth Galaad, cúmque diceret vnus hoc modo, & alter alio, processit spiritus, & stetit coram Domino, & ait: ego decipiam eum, cui dixit Dominus: in quo decipies? At ille respondit: Egrediar & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.*

9 Illud præterea non est prætermittendum in sacris literis ad Dei potentiam indicandam, Deum quandoque vocari צור SVR, id est, fortem, significat enim vox ista petram, vocatur autem petra SVR à roborando, ideóque Deo tribuitur hoc nomen ob suam fortitudinem, in quo scilicet, tanquam in petra, aduersus omnes iniurias tuti sumus & Deut. 32. *incrassatus est dilectus, & recalcitrauit. Incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo*, vbi Deus salutaris SVR nuncupatur, id est, petra salutaris. Eodem etiam nomine vocatur sequenti versu, vbi nos legimus *Deum qui te fecit dereliquisti*. Quare 2.Reg.22. vbi noster interpres: *Quis est Deus præter Dominum, aut quis fortis præter Deum nostrum?* pro forti in hebraico est SVR, quod aliqui Deum interpretantur, reddentes, *Quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum nostrum*: vt psal. 36. ver. 26. iuxta græcum interpretem legimus, *Fortitudo cordis mei & portio mea Deus*. Quod diuus Hieronymus interpretatur, *Deus consilij mei*. Alludit etiam ad diuinam potentiam, vocari Deum in sacra scriptura aliquando פחד PACHAD, id est, timorem, quo nomine eum vocat Iacob Gen. 31. ver. 42. *Nisi*, inquit, *Deus patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses*. Nisi timor, inquit Isaac, id est, Deus quem timebat Isaac, adfuisset mihi; Deo enim timor debetur, & reuerentia propter summam eius potentiam & fortitudinem. Chaldeus etiam Paraphrastes pro nomine diuino יה IA, id est, Domino, sæpissimè דחלא DAHALA, quod timorem significat, reddere solet quo ipsum Deum designat, & infrà hoc eodem capite ver. 53. iurat Iacob per PACHAD, id est, timorem patris sui, nempe per Deum, quem timebat Isaac pater suus, nam פחד PACHAD est timere, sicque dicitur Deus, quòd ob suam potentiam & fortitudinem ab omnibus sit timendus. Nam & apud Græcos θεὸς, id est, Deus, secùndùm aliquos ἀπὸ τοῦ δέω, id est, timore dicitur, quòd illo maius nihil sit: & quòd ab omnibus timeatur, atque ipse neminem timeat.

10 Apostolus Paulus ad diuinam respiciens omnipotentiam: *vt sciatis*, inquit, *quæ sit spes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hereditatis eius in sanctis, & quæ sit supereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cælestibus*; vbi omnipotentiam Dei vocat eminentem magnitudinem virtutis, quam esse immensam verba illa testantur Gabrielis Lucæ 1. ad Mariam *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi: Ideò & quod nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit in senectute sua, & hic mensis sextus est illi quæ vocatur sterilis, quia non erit*

impossi-

impossibile apud Deum omne verbum. Quam etiam omnipotentiam nobis ob oculos ponunt verba illa Matth. 8. hominum illorum qui videntes Christum surgentem, imperantémque ventis, & factam tranquillitatem magnam, dixerunt in admirationem rapti, *Quis est hic? quia venti & mare obediunt ei.* Cùm enim Christus vellet ostendere se Deum esse, ex eo quòd esset omnipotens, hoc mirando facto suam omnipotentiam manifestauit, quæ maximè relucet in illis operationibus, quæ requirunt potentiam infinitam, quam in singulis miraculis Christus testatus est: cùm nullum sit miraculum, quod non infinitam efficaciam requirat. & immensam virtutem: Ideóque varia operatus est miracula, tam in ciuitatibus, quàm in regionibus Iudææ, ac in ipso mari, idq; in diuersis anni temporibus, vt doceret, nec tempore, nec loco suam immensã virtutem coarctari. Quare Origenes, *Cùm multa*, inquit, *magna & miranda ostendisset in terra, transiit ad ipsum mare, vt ibi etiam excellentia opera demonstraret, quatenus terra marisque dominum se cunctis proderet & manifestaret.*

Omnipotentiam quoque Christi significauit leprosus ille Matt. 8. quando adorabat eum, dicens: *Domine si vis potes me mundare*, & ipse Christus se omnipotentem esse testatus est, cùm dixit, *volo*, exprimens suam voluntatem, dicens imperando, *Mundare*, quod in græco legimus καθαρίσθητι, *mundus esto.* Quam etiam omnipotentiam testatur Petrus Apostolus Acto. 10. cùm ait: *vos scitis quod factum est verbum per vniuersam Iudeam: incipiens enim à Galilea post baptismum, quod prædicauit Ioannes, Iesum à Nazaret, quomodo vnxit eum Deus spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Cuius potentiam & virtutes dæmones timebant: Nam Lucę 4. cùm in synagoga esset homo habens dæmonium immundum, exclamauit voce magna dicens: *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos? scio te quis sis sanctus Dei: & increpauit illum Iesus, dicens: immutesce & exi ab eo; Cúmque proiecisset illum dæmonium in medium, exiuit ab eo nihilque illum nocuit, & factus est pauor in omnibus, & colloquebantur adinuicem, dicentes: quod est hoc verbum, quia in potestate & virtute imperat immundis spiritibus, & exeunt?* Nonne etiam arguit virtutem & efficacitatem infinitam quod fecit Christus, quando quinque panibus & duobus piscibus saturauit viros quasi quinque millia. Fuit autem in Christo potentia infinita, non solùm ad benefaciendum, sed etiam ad deuastandum: quod testatur Math. 21. ficulnea illa, cui ipse dixit: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum, & arefacta est continuo ficulnea:* & in terra Gerasenorum magno impetu grex porcorum præcipitatus est in mare ad duo millia, & suffocati sunt, non valentes dæmones, quibus Christus facultatem concessit introeundi in porcos, eius præsentiam sustinere.

Caput V. DE SAPIENTIA DEI.

Diuus Dionysius de diuinis nominibus cap. 7. *Neque enim ea quæ sunt*, inquit, *ex iis quæ sunt discens, nouit diuina mens, sed ex se, & in se, per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet: non quod per speciem singula consideret, sed quòd vno causæ complexu omnia sciat.*

SAPIENTIA DEI.

Quemadmodum etiam lux per cauſam in ſe tenebrarum notitiam anticipatam & informatam habet, quod non aliunde quàm ex luce tenebras norit: ſeipſam ergo cognoſcens diuina ſapientia nouit omnia ſine materia, ea quæ ex materia conſtant: ſine diuiſione, ea quæ diuiſa ſunt, multa coniunctè, dum ipſo vno omnia & noſcit & procreat. hæc Dionyſius. Vbi notandum eſt, cùm dicit habere Deum ſcientiam anticipatam, non per ſpeciem velle ſignificare ex ſeipſo, non à rebus eam accepiſſe, ideóq; eam anticipatam appellant, hoc eſt quę habetur de rebus antequam ipſę ſint. Quando verò dicit non per ſpeciem ſingula conſiderare, ſed vno cauſæ complexu, intelligit non habere ſingularum rerum ſingulas cognitiones, & ſigillatim eas conſiderare, ſed vno intuitu, vtpote in ipſo veluti in cauſa ſimul exiſtentes: & hoc ſignificat, cùm ait:, vno cauſæ complexu: ſed cùm Deus ſit rerum omnium cauſa intellectione & ſcientia ſua, animaduertendum eſt hoc modo res omnes eſſe in Deo, vt in cauſa vnica cognitione & ſcientia complexas, & ideò dicit, vno cauſæ complexu. Eodem etiam modo accipiendum eſt quod paulò inferius ait in hæc verba: *Ipſa enim (ſcilicet ſapientia Dei) ſeipſam omnium cauſam noſcens, nullo prorſus modo ea quæ à ſe profecta ſunt, ignorabit*. Hac ergo Deus ea quæ ſunt noſcit, non rerum notitia ſed ſui, hoc eſt, non notitia à rebus accepta, ſed à ſeipſo. Similitudo verò quam adfert luminis & tenebrarum, vt oſtendat ſcientiam Dei non eſſe ab ipſis rebus acceptam, hunc habet ſenſum: ſi lumen tenebras intelligeret, ſeipſo illas cognoſceret, & nihil ab ipſis, vt eas noſceret, acciperet. Denique cùm aſſerit ſine materia & diuiſione à Deo cognoſci, quæ materia conſtant, & diuiſa ſunt, ita hoc accipiendum eſt, non ex parte rerum quas Deus cognoſcit, ſed ex parte ipſiuſmet diuinæ cognitionis: Nam Deus non cognoſcit hominem eſſe ſine corpore, neque Petrum indiuiſum à Ioanne: ſic enim intellectus Dei falleretur, ſed diuiſa & materialia vnico & ſimpliciſſimo actu, atque omnino ſpirituali cognoſcit: ſi tamen à rebus cognitionem acciperet, diuiſim res intelligeret, nec prorſus ſine materia, hoc eſt, non cognoſceret eas ſine aliqua potentia.

2 Præterea D. Auguſtinus lib. 83. quæſt. q. 46. docet ſacrilegum eſſe, opinari Deum, cùm conderet mundum, aliquid extra ſe fuiſſe intuitum: *Non enim*, inquit: *extra quidquam poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat: nam hoc opinari ſacrilegum eſt*, vbi ſtatim docet omnium rerum creandarum rationes in Deo eſſe. Docet itaque Auguſtinus Deum non creaſſe hanc rerum vniuerſitatem aſpiciendo aliquid extra ſe, cuius inſtar illud crearet, ſicut pictores, qui aliquam picturam ante ſe poſitam habent, vt eam imitentur: ſed intra ſeipſum cogitaſſe quæ facturus erat, non quòd ſuam eſſentiam ſolùm aſpiceret, cuius inſtar cætera omnia faceret. ſed quia intra ſe habebat ſingularum rerum, quas facturus erat, diſtinctam & propriam notitiam. Porrò neque ſolùm ea quæ ſunt, ſed quæ futura ſunt, etſi contingentia illa ſint, Deus comprehendit ſua ſapientia, & habet præſentia: vnde D. Auguſtinus lib. 2. ad Simplicianum: *Quid enim*, inquit, *eſt præſcientia, niſi ſcientia futurorum? Quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora? ſi enim in ſcientia res ipſas habet non ſunt ei futuræ, ſed præſentes, ac per hoc iam non præſcientia, ſed tantùm ſcientia dici poteſt*. Quod idem confirmat Boetius lib. 5. de conſolatione proſa vltima: *Omnia*

nia

nia, inquit, *quæ iam generantur in sua simplici cognitione considerat: Nam si præscientia pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ æstimabis.* Et D. Gregorius lib. 20. Moralium cap. 23. idem docet: *Quomodo*, inquit, *est præscius (scilicet Deus) dum nulla, nisi quæ futura sunt præsciantur, & scimus, quod Deo futurum nihil est, ante cuius oculos præterita nulla sunt, præsentia non transeunt, futura non veniunt. Quippe quia omne quod nobis fuit & erit in eius prospectu præsto est, & omne quod præsens est, scire potius potest quàm præscire.* hæc ille. Sed cur nihilominus dicatur Deus communiter præscire, post subiecit: *Et quia*, inquit, *ea quæ nobis futura sunt, videt, quæ tamen ipsi semper præsto sunt, præscius dicitur: cùm nequaquam futurum prævideat quod præsens videt.* hæc ille. Idem Gregorius 9. Moralium cap. 26. *Eique (scilicet Deo) nec transacta prætereunt, nec adhuc ventura quasi quæ non appareant, desunt, quia is qui semper esse debet, cuncta sibi præsentia conspicit: cúmque aspiciendo post & ante non tenditur, nulla intuitus mutatione variatur.*

Quare D. Augustinus de scientia Dei rerum futurarum agens, quam nos ad nostrum intelligendi modum præscientiam appellamus, lib. 5. de ciuitate Dei cap. 9. *Quod Cicero*, inquit, *negat, ordinem omnium causarum esse certissimum, & Dei præscientiæ notissimum, plus eum quàm Stoici detestamur. Aut enim Deum esse negat, quod quidem inducta alterius persona in libris de Deorum natura facere molitus est, aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic dicit nihil aliud quàm quod ille dixit insipiens in corde suo, non est Deus: qui enim non est præscius omnium futurorum, non est vtique Deus.* hæc diuus Augustinus. Creauit itaque Deus voluntates nostras liberas, quæ ideò liberæ sunt, quia ille voluit, & vtrumlibet possunt facere ex contrariis: aliud tamen facturæ non sunt, quàm quod Deus præsciuit, quia aliud haud dubiè nunquam facient, tametsi possunt: certum est enim fieri pleraque posse, quæ nunquam fient. Itaque non res futuræ ex scientia Dei visionis manant, sed scientia visionis potius res quasi factas supponit, ac proinde nullæ res sunt Deo futuræ sed præsentes, quocirca non rectè dicitur præscire, nisi relatiuè ad actiones nostras, vt notatum iam est. Quid verò indignum videtur à fluxa, caducáque rerum natura, sempiternam scientiam generari, ideò dicimus à prouidentia voluntatéque Dei cognitionem eius proficisci, voluntatem statuere quod futurum sit: scientiã, quod voluntas statuerit nosse. Quare Origenes super Genesim, quod futurum est, ait causam esse cur id euenturum præuiderit Deus. Itaque non id fieri quia præscitur, imo potiùs contrà præsciri quia futurum est. 3

Ardua quæstio est à multis tractata, an præscientia Dei necessitatem aliquam afferat rebus; Augustinus loco citato, dicit, non ideò peccare hominem, quòd Deus præsciuit eum peccaturum, qui si nolit potest omnino non peccare, idque si faciat hoc præsciuit Deus. Quare Diuus Chrysostomus super epistolam Pauli ad Chorinthios: *Etenim verò Christus*, inquit, *necesse est vt veniant scandala, non ideò arbitrij voluntatem corrumpens, aut vitæ vim & necessitatem imponens, sed prædicans id quod ex mala voluntate hominum omnino futurum est, non quia Deus prædixit, sed quod hominum voluntas immedicabilis fuerit, non enim quia prædixit Deus hæc facta sunt, sed quia omnino ex mala hominum voluntate ventura* 4

tura erant, ipse prædixit: hæc Chrysostomus. Ac profectò non plus addit necessitatem rebus venturis præscientia Dei, quàm præsentibus spectator dum fiunt. Ita cùm video te scribere, potes ipse non scribere, quòd si non scribas, iam non te video scribentem. Porrò futura tam sunt præsentia Deo, atque adeò magis quàm nobis quæ vocamus præsentia: nam quo capacior est mens, hoc illi tempus præsens est latius. Deo verò infinitæ capacitatis infinitum tempus est præsens.

De prouidentia certè Plotinus Platonicus disputat, eámque à summo Deo cuius est intelligibilis atque ineffabilis pulchritudo, vsque ad hæc terrena & ima pertingere flosculorum atque foliorum purchritudine comprobat. Quæ omnia quasi abiecta & velocissimè pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, vbi forma intelligibilis & incommutabilis simul habens omnia, perseuerat. *Hoc*, inquit D. Augustinus lib. 10. de ciuitate Dei cap. 14. *Dominus Iesus ibi ostendit, vbi ait considerate lilia agri quomodo crescunt*, &c. Matth. 6. sanè libri sunt de prouidentia Plotini quatuor, in quibus ostendit maxima & minima à Deo principe naturæ administrari, tum etiam ab illo mundo intelligibili, qui est apud Deũ, hunc sensibilem esse procreatum, sed ab origine sua degenerantem magis, quò inferius descendit, esséque ab vno generatum, non verè vnum à simplici multiplicem & dispersum. Non autem defuerunt veteres Ethnici ex sapientibus, qui è cœlis non descendere Dei prouidentiam existimarent: quam opinionem quidam Aristoteli attribuerunt. Alij si quid in terris Dij curarent, nonnisi maxima putarunt, quemadmodum maximi Reges non ad quæuis se demittunt. Plotinus autem vt diximus, flosculorum ac foliorum pulchritudine prouidentiam comprobat, quoniam vnumquodque tanta est forma, tam decenter aptum ac coagmentatum, ita erumpit & adolescit, ita viuit, vt ab alio artifice fieri non posse quàm à diuino res ipsa clamet. Proclus primum per omnia desuper ait, prouidentiam ad vltimum vsque procedere, ac ne minimum quidem sui expers alicubi prætermittat: sed cùm habemus sententiã principis disciplinæ Platonis, indigere nõ videmur Sanctorum dictis. Is ergo in Epinomide illud tenendum esse ante alia dicit, prouidentiam diuinam, & maxima quæque & minima curare, qua de re ipse disputauerat in lib. 10. de legibus copiosius. Disputationis eius summa hæc est: *Cùm Dij sint, non conuenit eos esse otiosos: curant ergo res humanas, cúmque omnes Dij sint, etiam minima vident; procul autem ab eis abest & desidia, & inertia, & ignauia, nec imbecilliores sunt in paruis, nec putant indignum sua majestate illa curare: nam ea sui gradus sunt ad maxima.* hæc ille.

Deus autem in eo quod Angelos & homines liberos condidit, ostendit prouidentiam suam nullo modo posse impediri, etiamsi permittat creaturas quas regit, planè pro arbitrio viuere. An non elucet insignis Dei gloria, si quis cogitat Angelos & homines id agere, quod ipsi volunt, & tamen velint nolint, ordinem diuinæ prouidentiæ ab æternitate constitutum perturbare non posse, vt fiat aliquando quod Deus non vult absolutè, aut non fiat quod absolutè vult, vt si quis innumerabiles auiculas liberè auolare permitteret, &

tamen

tamen incredibili artificio id efficere posset, vt omnes ad ea loca pergerent, quo ipse vellet vide S. Augustinum, cuius est hæc ratio in Enchiridio cap. 95. & sequentibus. Ex hac ergo Dei scientia factum est, vt secundùm nostrum intelligendi modum, ordo prædestinationis in mente diuina sit ita constitutus, vt primùm præuiderit Deus si hominem conderet, eum peccaturum cum omni posteritate, & simul præuiderit posse se eum variis modis liberare, vel omnes, vel aliquos pro arbitrio suo: deinde voluit hominem condere, ac permittere vt laberetur, & quosdam ex numero lapsorum liberare misericorditer, aliis in luto perditionis iustè derelictis. Tertio cogitauit remedia saluandis electis idonea, in quibus primum locum habuit incarnatio, & passio Saluatoris. Quarto approbauit & remedia, & tunc elegit Christum, & nos in ipso ante mundi constitutionem. Quinto disposuit & ordinauit, & quodammodo imperauit, vt ita fierent.

Caput VI. DE BONITATE DEI.

DEum non solùm bonum esse, sed summum bonum omnium Theologorum concors est sententia: cùm enim res vnaquæque eum gradum habere dicatur bonitatis, quem habet entitatis, & perfectionis: cúmque Deus non solùm res omnes perfectione antecellat, sed earum omnium perfectiones eminentissimè contineat, necessario consequitur, non tantùm Deum bonum esse, sed eminentissimum & summum bonum. Quocirca, vt inquit D. Dionysius cap. 1. de diuinis nominibus, in omnibus fermè sanctis libris aduertimus diuinitatem sanctè prædicari, vt singularem atque vnicam, ob simplicitatem atque vnitatem excellentis illius indiuidui; vt trinitatem verò, propter diuinæ fœcunditatis in tribus personis expressionem: vt verò causam rerum omnium, quia omnia per substantificam eius bonitatem, vt essent, acceperunt. Et cap. 4. *Age ergo*, inquit, *ad ipsam iam boni appellationem pergamus explicandam, quam Theologi peculiariter summæ Deitati ex omnibus applicant, ipsam, vt reor, substantiam diuinam bonitatem appellamus: & quia eo ipso quod est bonum, vt substantiale bonum in omnia quæ sunt, protendit bonitatem: Nam quemadmodum sol iste non cogitatione, aut electione, sed eo ipso quod est illuminat omnia, quæ pro modo suo participationem lucis admittunt: ita & summum illud bonum, solem superans (non secus ac obtusam imaginem primitiua excellenter forma) ipsa sua substantia omnibus, quæ sunt pro captu cuiusque totius bonitatis, inicit radios.* Et rursus paulo inferius: *Sicut*, inquit, *omnia bonitas ad se conuertit, & quæ dispersa sunt, congregat, veluti vnitatis auctor, atque viuifica Deitas, omniáque ipsam veluti principium, veluti continentiam, veluti finem desiderant: Bonúmque illud est (vt sacra testantur eloquia) ex quo subsistunt omnia, suntq; veluti ex absolutissima causa producta, & in quo omnia constant, ac veluti in omnipotente recessu præsidióque seruantur, & ad quod omnia conuertuntur, velut ad suum quemque finem, & quod appetunt omnia.* hæc Dionysius. 1

Quare in laudem summæ istius bonitatis regius Psaltes prorumpens, ait Psal. 117. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.* & Psal. 144. *Magnus*, inquit, *Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non* 2

est finis, id est, perfectionis ac bonitatis eius: Nulla enim in eo quantitas est cogitanda, qui non mole sed virtute sua infinita, excedit vniuersa. D. verò Augustinus lib. 8. de ciuitate Dei cap. 9. *Ipsum*, inquit, *verum ac summum bonum Plato dicit Deum: vnde vult Philosophum esse amatorem Dei; vt quoniam Philosophia ad beatam vitam tendit, fruens Deo sit beatus qui Deum amauerit.* hæc Augustinus. Sanè ipse Plato, homo admirabili doctrina præditus, cùm in aliis pœne rebus cæteros omnes Philosophos vicit, tum verò in definiendo summo bono seipsum quoque superauit: Diuidit enim in 1. de legibus bona in humana & diuina: illa expertia dicit virtutis esse, hæc virtute commista & temperata. In Gorgia sententia Socratis est, in doctrina & virtute sitam esse beatam vitam; pronuntiátque bonos, beatos, improbos, miseros idem in Menexeno. Hoc etiam ipsum sexcentis locis, cùm illud tam perpetuum constánsque sit apud Platonem, solum honestum pulchrúmque bonum esse: cætera quæ appellantur bona, virtute si careant, ingentem esse possessori ipsi perniciem.

3 Sed hæc communia Platoni cum quibusdam, vt hactenus æquari dissimilibus videri possit: sed extulit se ipse altius, & reliquit humi cæteras veterum sapientium scholas. Est enim Philebus eius de summo bono dialogus, vel vt alij inscribunt περὶ τῆς ἡδονῆς, hoc est, de voluptate. In eo sex statuuntur bonorum velut ordines gradúsque: sed in primo ordine locat μέτρον, καὶ μέτριον, καὶ καίριον, id est, mensuram, & moderatum & opportunum: quæ omnia Deum esse putandum est, nempe commensurationem vniuersorum cuius causa esse omnia, atque eum esse omnium bonorum causam & auctorem, & in Epimenide, ac in lib. 2. de republica idem dicit. lib. verò 6. Deum summum, & boni Ideā vocat: propterea in philosophia Platonis, Apuleius Deum beatum & beatificum nominat, & Pseusippus in definitionibus Platonis, Deum ait quod viuens, & immortale, ad beatitudinem sufficiens, essentiam sempiternam, naturæ ipsius boni causam. Huius autem tanti boni contemplatione Plato beatum fieri hominem ait: in conuiuio enim Deotima sapientissima fœmina, iubet Socratem totam animi intentionem ad orationē suam conuertere; cúmque circa pulchrum versari amorem docuisset, extrema oratione altiorem sermonem ingressa, pulchrum quoddam statuit, quod semper est, nec mutatione afficitur, vel decrementis minuitur, vel accessionibus fit maius, sed ipsum per se eiusdem formæ semper est: vnde manat ceterarum rerum, quæ pulchræ nominantur, pulchritudo, ea lege ne vel ortu aliarum rerum, vel casu accrescat illi aliquid, aut decidat. *Hoc igitur sanctū pulchrum & venerabile, cum quis per cæterorum pulchrorum amorem sublatus spectare cœperit, parum abest quominus fastigium sit consequutus: hoc si videris sordebunt tibi aurum, vestis, & formosa hominum corpora. Age verò quantæ fœlicitatis putas esse plenum dari alicui, vt pulchrum ipsum cernat syncerum & purum, non corpore humano contectum, & commistum, non colore, & mortalibus huiusmodi nugis, sed diuinum ipsum sui semper simile ac conforme. Hæc sunt Deotimæ sapientissimæ ad Socratem verba apud Platonem, quibus Socrates se fidem adhibere profitetur, & laborare vt hominum generi sit persuasum, non esse humana natura quicquam ad possessionem pulchri huius amore conducibilius.* hæc Plato ille diuinus sentit de summa Dei bonitate.

Sed

BONITAS DEI.

Sed videamus iam, an quæ Dionysius Areopagita eodem lib. de diuinis nominibus cap. 4. scribit, hæc eadem confirment: *Enim verò, inquit, supersubstantiale illud pulchrum pulchritudo quidem dicitur, propter illam quam tradit subsistentibus omnibus (pro captu cuiusque) pulchritudinem: Atque vt auctor conuenientiæ, & claritatis omnium in lucis morem omnibus specificas, principalis sui radij distributiones infulgens, & veluti ad se omnia vocans: vnde etiam κάλλος, id est, pulchritudo à græco vocabulo καλέω, id est, voco, nuncupatur, & quasi omnia in omnibus ad vnum atque idem colligens. Est autem pulchrum per omnia pulchrum, & superpulchrum, & semper secundùm eadem, & eodem modo pulchrum, quod neque oritur, neque occidit, neque augetur, neque interit, neque hoc quidem loco pulchrum: alibi verò deforme neque alias est, alias non, neque hic quidem est: ibi verò non quasi quibusdam sit pulchrum, aliis non: sed ipsum in seipso, atque secum vniforme semper est pulchrum, & pulchri omnis præcipuam pulchritudinem excellentissimè in seipso ante omnia habens. Ex hoc quoque pulchro iis omnibus, quæ existunt, prouenit, vt sint pro modo suo pulchra singula, efficitque hoc pulchrum rerum omnium congruentias, & amicitias, & societates, pulchróque isto coniunguntur omnia, estq́; principium omnium, id est, effectiua causa, & mouens omnia, continénsque amore pulchritudinis propriè, finísque est omnium, & expetendum vt causa vltima: pulchri enim gratia omnia fiunt, estq́; exemplar, quia iuxta ipsum definiuntur omnia: quocirca pulchrum idem esse quod τ'ἀγαθὸν, id est, bonum, perspicuum est. Pulchrum enim, & bonum per omnes causas cuncta desiderant; neque est aliquid in substantiis rerum, quod pulchri. & boni non sit aliquatenus particeps.* hæc Dionysius. 4

Hinc Philosophi bonum definiunt id esse, quod omnia appetunt: res enim omnes creatæ, siue iuxta suam propriam rationem considerentur, siue vt partes sunt vniuersi, tendunt in summum bonum: natura enim cuiusque rei eam mouet ad expetendam perfectionem propriam: hanc non potest expetere quin expetat perfectionem vniuersi, quia ipsa est pars vniuersi, sicque expetit bonum commune, etiam expetendo bonum proprium: bonum autem totius vniuersi, & eius pulchritudo ab ipso Deo procedit, in quo perfectissimè manet: est enim ipsa pulchritudo perfectisima, & ideò ipsum appetunt vniuersa; proinde καλὸν, & τ'ἀγαθὸν, vocauit eum Dionysius pulchrum & bonum: bonum autem adiecto articulo græco, τὸ; Nam illud à græcis scriptoribus obseruari solet, & præsertim ab Aristotele, vt ἀγαθὸν, nō præfixo articulo vsurpetur de quolibet bono: ac præfixo articulo τὸ ἀγαθὸν, de summo illo bono. Eusthatius autem ἀγαθὸν, id est, bonum ab ἀγαστὸν, id est, admirabile deducit, adiecto σ, & mutato τ, in θ, quasi Deus sit summum illud admirabile, quia admiranda est eius perfectio & pulchritudo: quò alludere videntur loca illa sacræ scripturæ Iudicum 13. vers. 18. quando respondit Angelus, qui personam Dei agebat, ipsi Manue; *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile*, & Isai 9. legimus: *Vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius Deus fortis, &c.* Nam ex bonitate in ipsas creaturas diffusus Deus producit effectus admirabiles, omnium perfectionum varietate maximè conspicuos. 5

Maximus autem monachus libro de Ecclesiastica Mystagogia cap. 6. notat, Deum ideò θεὸν dictum, quòd currat, & per omnes diuagetur creaturas, suam in eas diffundendo bonitatem: est enim fons omnium bonorum, à quo 6

tanquam

tanquam principio cuncta bona procedunt, vt docet Lactantius Firmianus diuinarum institutionum lib. 6. Gregorius verò Nazianzenus oratione 2. in Pascha, quæ est oratio 42. *Quoniam*, inquit, *bonitati minimè satis erat, sua ipsius solùm contemplatione moueri, sed bonum diffundi ac propagari, oportebat vt plura essent, quæ beneficiis afficerentur (id enim summæ bonitatis erat) primum Angelos, & cœlestes spiritus cogitauit.* Et paulò inferius, *postquam autem primas partes præclarè constituit, vidit alterum mundum, materia constantem, & aspectabilem cogitauit, hanc nimirum ex cœlo & terra, & his rebus quæ eorum amplexu continentur, coagmentationem, & concretionem laudabilem: illam quidem ob singularem partium elegantiam: verum laudabiliorem ob eam quæ ex vniuersis consistit concinnitatem & concordiam.* hæc Gregorius. Vbi Psellus Gregorij commentator: *Veteres*, inquit, *ac Primi Philosophi addubitantes quodnam Deo nomen commodè tribuerent, Deum & vnum & bonum, tria hæc inquam, incorruptibilis naturæ nomina produxerunt, nihil eum esse asserentes, nisi Deum: nihil autem Deum nisi bonum, idq; idem esse vnum, quippe & eorum quæ sunt collectiuum, atque ad vnius participationem ea adducens; itaque bonitas Dei qualitas non est, sed hoc ipsum Deus & vnum. Quid enim Deus aliud est, quàm summum bonum, primáque illa causa, per quam reliqua quoque bona efficiuntur.* hæc ille. Ex qua etiam diuina bonitate concludit Claudianus Mamertus Viennensis Galliarum Episcopus lib. 1. de Anima Deum tam visibilia, quàm inuisibilia creasse, non solùm corpoream, sed spiritualem etiam creaturam: *Quicunque*, inquit, *de Deo veraciter ac piè sentiunt, nihil ab eo non creatum, quod creari oportuerit, consequenter intelligunt: causa enim creandarum rerum, bonitas creatoris est, qui creare potest vniuersa quæ velit: Nihil autem bonitatis exercuisset, si nihil creasset: ita semiplena benignitate vsus esset, si semiplenum aliquid condidisset. Mirum autem videtur supplementum rerum esse defuturum aliquid, si rosa, aut flosculus non existeret, & non videretur defuturum, si incorporea substantia non esset creata. Ne ergo non minimum aliquid, sed vel potissimum non deforet creaturæ plenitudini, debuit quoque incorporea substantia creari.* hæc Claudianus.

7. Itaque bona omnia quæ in creaturis relucent, ab ipsa bonitate diuina dimanant: de qua Exodi 33. Dominus dixit Moysi: *Ego ostendam tibi omne bonum, & vocabo in nomine Domini coram te, & miserebor cui voluero,* & Clemens, *& ero inquam cui mihi placuerit*: quod quidam ita explicant, vt per gloriam intelligant splendorem, & claritatem seu lucem, in qua Dominus videbatur, illa nube tectus, & absconditus: quod probant ex Paulo 2. Corinth. 6. vbi dicit filios Israël non potuisse intendere in faciem Moysi propter gloriam, id est, splendorem & lucem vultus eius, quod per gloriam significat Apostolus: ita vt sit sensus: *Aperi mihi gloriam tuam*, id est, lucem & nubem illam, vt clare possim intueri te, quia nubecula tectus locutus es ad me vsque hodie. Hi autem qui sic locum hunc exponunt, verba illa quæ in hoc capite præcesserunt, nempe: *Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*: ita interpretantur, vt non intelligant Moysen isto modo loquentem faciem Dei vidisse: non enim dixisset hoc loco: *Ostende mihi gloriam tuam*, sed loquentem cum Deo, sicut duo amici, quorum alter est in tenebris, alter in luce: aut sicut duo in obscurissima nocte, qui loco simul colloquuntur, cui

ho c

hoc loco respondet Dominus: *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram me, & miserebor, &c.* Atque per omne bonum putant intelligi quod sequenti cap. vocat Moyses Deum dominatorem, misericordem, clementem, patientem, & multæ miserationis, &c. Itaque dicunt genuinum sensum huius loci esse: *Ego ostendam omne bonum tibi, id est, meipsum, in quo sunt omnia bona; quæ coram te explicabuntur voce, & clamabo seu dicam, miserebor cui misereber, id est, cui voluero misereri:* in quo summatim vult ostendere bonum suum, quod maximè in misericordia consistit: Putant ergo isti hoc quod dicit Moysi Dominus: *Ostendere omne bonum tibi*, capite sequenti esse completum, sensúmque huius loci esse, ostendam tibi omnia epitheta bonorum meorum, & vocabo nomen Domini coram te, id est, dicam alta voce Dominus, vt consideres & scias me esse præsentem, & vocabo, id est, dicam me esse eum qui miseretur.

Alij putant per omne bonum intelligendam esse diuinæ essentiæ visionem, 8 in qua omne bonum consistit, idque postulasse Moysen, cùm dixit: *Ostende mihi gloriam tuam*, id est, apertum tuæ essentiæ intuitum: Quæ ideò gloria dicitur, quia sine diuino splendore, & luminè gloriæ nemini potest esse manifesta diuina essentia: nam D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 63. probat in visione diuinæ essentiæ omne bonum contineri: in illa enim fœlicitate, quæ ex visione diuina prouenit, omne boni desiderium in homine satiatur, iuxta illud Psal. *Qui replet in bonis omne desiderium tuum*, Psal. 102. omne enim hominis studium ibi conquiescit: Nam in illa fœlicitate quando ratio integra atque perfecta ex diuino lumine illustrata à rectitudine, & æquitate deflectere non poterit, in quo bonum virtutis consistit. Præter hoc virtutis bonum cõsequuntur tum alia multa bona, nẽpe honoris, excellentiam atque sublimitatem, famæ celebritatem, diuitiarum copiam, & bonorum externorum sufficientiã: Hæc enim omnia perfectissimè in ipsa visione diuinæ essentiæ continentur: per eam enim in summum honorem, sublimémque dignitatem homines euehuntur: cùm ipsi Deo vniantur; quare regnare cum Christo dicuntur Apocal. 20 Hinc in literis sacris beatitudo illa gloria nominatur, vt Psalm. 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Consequuntur etiam infinitas diuitias iuxta illud sap. 7. *Venerunt mihi omnia pariter cum illa:* Quod etiam ipse Dauid confirmat, cùm ait: *Gloria & diuitiæ in domo eius*, Psa. 111. Perfruuntur etiam perfectissimis voluptatibus, & delectationibus diuinis, de quibus Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.* Denique perfectam, & sempiternam securitatem obtinebunt, omni propulsato alicuius nocumenti timore, iuxta illud Isaiæ 32. *Et erit opus iustitiæ, pax & cultus iustitiæ, silentium & securitas in sempiternum*, & Apocal. 21. *non esurient, neque sitient amplius; neque cadet super illos sol, neque vllus æstus:* Ex quibus sanè constat per visionem diuinæ essentiæ comparari plenissimam omniam bonorum cõgeriem: est enim, vt Boëtius definit, beatitudo, status omnium bonorum aggregatione perfectus. Quare certissimum est illis qui vident diuinam essentiam, in ea manifestari, & ostendi omne bonum: hoc autem bonum Deus ipse est.

BONITAS DEI.

9 Cùm autem Deus solus per essentiam bonus sit, cætera autem omnia quadam participatione: homini etiam tribuitur bonum esse, quando veri boni particeps est: Hinc doctores iuris ciuilis bonum virum, eum interpretantur, qui alteri facit, quod sibi facere vellet: quod & lex diuina iubet Matth. 7. *Omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, quare boni viri appellatio in iure, emphasim habet, vbi vir bonus is dicitur, qui nullius fraudis conscius, verum honestatis iudicium in qualibet re sequitur, ac proinde iudex breuius definiri non potest, quàm si dicas bonum virum esse. Hinc veteres boni viri arbitratum dicebant, cùm neutrius eorum res agebatur, sed eius cuius nihil in ea re intererat, probatio erat: Nam bonus vir ille est, qui ductu naturæ infallibile iudicium conscientiæ sequitur, semotis affectibus alterutrius partis. Boni etiam viri verbo continetur quiuis vir iustus, æquus, innocens, prudens, consideratúsque pater familias, de quo Cicero quinto Tusculanarum quæstionum.

10 Stoici autem Philosophi res temporales nolebant bona appellare, sed cōmoda corporis, eo quòd nullum bonum vellent esse hominis, præter virtutē, tanquam arcem bene viuendi, quæ non nisi in animo est: bona autem corporis etsi simpliciter ex communi consuetudine loquendi appellentur bona, in comparatione virtutis, qua rectè viuitur, parua & exigua sunt, ex quo fit vt ab vtrisque, scilicet & Stoicis, & Platonicis, & Peripateticis, quomodocúmque vocentur siue commoda, siue bona, pari tamen æstimatione pensentur. Neque in hac quæstione Stoici delectantur, nisi nouitate verborum, vt docet D. Augustinus lib. 9. de ciuitate Dei cap. 4. Plato autem lib. 4. de legibus tria genera bonorum ponit, quæ in animo, quæ in corpore, & quæ extrinsecus: sed hæc posteriora sine virtute non modo nihil iuuare, sed esse quoque damnosa, & pernicie plena, dicíque humana: cùm illa quæ animæ hærent, sint diuina, quibus solis diuinus sit homo, & beatus: Nec illa corporis, aut externa rectè, & propriè bona esse nominanda, sed proportione quadam & similitudine, nec omnibus, sed solis iustis, quibus etiam quæ mala vulgus appellat, maiora & veriora sunt bona, quàm bona illa in sceleratis hominibus, quæ in his aliud non sunt, præter paratissima flagitiis magnísque malis instrumenta. Hæc & similia multis locis docet Plato, à quo preclara illa, & admiranda Stoicorum dicta, quæ Græci paradoxa vocant, & diuina, vt sunt, prope omnia emanarunt: vt quod solum honestum sit bonum; solus sapiens, & diues, & liber sit; bonos, beatos, improbos, miseros, fœliciorem qui accipit iniuriam, quàm qui facit. Bona tamen vocauit ea, quæ fortunæ sunt, aut corporis, quod illis (sicut Apuleius inquit, in dogmate Platonis) ad vsum vitæ communis opus est: cura verò corporis ad viuendum necessaria: ita tamen, vt hæc eadem fiant virtute meliora, eiúsque suffragij beatitudinis commodis copulentur; quocirca hæc Platoni tunc demùm sunt bona, cùm in virtutis instrumenta, & ministerium transeunt: quæ si virtuti obstrepant, & eam turbent, pernicies & pestes sunt meræ.

11 In sacris verò literis bonum variè vsurpatur: significat enim aliquando naturalem perfectionem, vt Genes. 1. *Vidit Deus lucem quòd esset bona*, & rursus: *vidit*

vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Designat etiam perfectionem moralem, vt Eccles. 39. vbi de viro sapiente dicitur: *In terram alienarum gentium pertransiet: bona enim, & mala in omnibus tentabit.* Gratuitam quoque perfectionem bonum interdum indicat, vt 1. Timothæi 4. *Hæc proponens fratribus bonus es minister Christi Iesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quas assequutus es.* Dicitur etiam bonum aliquando ipsum beneficium, vt Genes. 44. *Quare redditis malum pro bono:* est etiam nonnunquam idem quod honestum, vt Deuteron. 12. *Cùm feceris quod bonum est:* Et nonnunquam opes dicuntur bona, vt Genes. 24. de seruo Abraham: *& abiit ex omnibus bonis eius portans secùm.* Est etiam bonum idem quod commodum, & aptum, vt 2. Reg. 19. *Fac ei quod tibi bonum videtur*, vt Ieremiæ 29. *Suscitabo super vos verbum meum bonum:* est quoque bonum idem quod gratum, vt Exod. 25. vbi dicuntur Timiamata boni odoris: bonum autem propriè Deo competit, qui bonus est per essentiam, à quo cætera bona participant bonitatem: quod cùm in sacris literis promittitur absolutè sumitur, aut pro ipso Deo, aut pro bono spirituali. Est etiam bonum aliquando idem quod hilare & iucundum, iuxta illud Zachariæ 8. *Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & in lætitiam, & in solennitates præclaras:* in Hebraico est: *in solennitates bonas*, id est, hilares, & Psal. 33. *Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos*, & Psal. 105. *Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ*, id est, ad fruendum hilaritate, qua electi tui fruuntur, vt Psal. 103. *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*, id est, lætitia & saturitate.

Bonum autem propriè, & essentialiter soli Deo conuenire docet Christus 12
Matth. 19. nam cùm quidam interrogasset eum: *Magister bone quid boni faciam, vt habeam vitam æternam*, dixit ei: *quid me interrogas de bono? vnus est bonus Deus.* In Euangelio autem Lucæ non tantùm Deo conuenire bonitatem, sed illi soli deberi monstratur: respondit enim Christus: *quid me dicis bonum, nemo bonus nisi solus Deus:* Quibus verbis eum reprehendit, non quòd erraret affirmans Christum esse bonum, est enim Deus cui summa bonitas conuenit, sed quòd eum bonum vocaret, putans esse hominem tantùm, & non Deum. In Deo autem omne bonum contineri, ex cuius participatione beatorum consurgit fœlicitas, idem Apostolus indicare videtur Hebræor. 9. quando vocat Christum assistentem pontificem bonorum operum, quorum cùm tantùm vmbrã Petrus degustasset, dixit: *Bonum est nos hic esse; faciamus tria tabernacula.* Ad illa etiam bona quæ in Deo sunt respexit Christus Matth. 24. dicens: *Beatus ille seruus, quem cùm venerit Dominus, inuenerit sic facientem: amen dico vobis quòd super omnia bona sua constituet eum:* in Deo enim est plenitudo bonitatis, de qua Apostolus Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit:* & cap. 11. *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos, qui ceciderunt, seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris.* Ex his enim quæ Deus operatur in nobis fons diuinæ eius bonitatis innotescit, quod illis verbis satis indicat idem Paulus Ephes. 2. *Vt ostenderet*, inquit, *in seculis superuenientibus abundantes*

diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu, & Ephes 5. *vt filij lucis ambulare (fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate) probantes quid sit beneplacitum.*

Caput VII. DE VNITATE DEI.

1 ANtiqui plures Deos confixere, ita vt vsque ad triginta millia haberi prodiderint, & inter hos trecentos Ioues: Hinc meritò Dionysius Areopagita & Eusebius, aliique per modum negandi, Deum definiunt, vt dicant nulla mundi opera Deum esse, hoc est, neque cœlum, neque æthera, neque solem, neque lunam, neque stellarum fulgores, neque elementa, neque vniuersum denique mundum, & quæ in eo sunt Deum esse, sed Dei ipsius esse opera. Non defuerunt præterea qui πολυθεότητα plurium Deorum impietatem fugientes, nimio inquirendi studio, quasi in voraginem quandam, in ipsam impietatem delapsi sunt. Qui autem Deorum multitudinem posuerunt, diuidebant eos in cœlestes, terrestres, & inferos, marinos, fontanos, fluuiales, Scæuola verò apud Romanos vir doctissimus, vt Augustinus 4. de ciuitate Dei refert, Deorum tria genera tradi ait: vnum à Poëtis, alterum à Philosophis, tertium à Principibus ciuitatis. Primum nugatorium fuisse dicit, quòd multa de diis fingerentur indigna. His commodè afferre possumus eam Theologiæ diuisionem, quam Marcus Varro in libris antiquitatum diuinarum, humanarúmque rerum fecisse legitur apud Augustinum, nempe Mythicon, id est, fabulosum, Physicon, id est, naturale, & Polyticō, id est, ciuile; Primum ait mendacissimum & turpissimum: secundum à populis remotum, parietibus inclusum: tertium ciuile, & populare ab antiquis institutum. Primum pertinet ad Theatra, secundum ad mundum, tertium ad vrbes & Sacerdotes. Varro antiquos ait simulachra Deorum, & insignia, ornatúsque finxisse. Porrò vt in 2. Plinius ostendit, suos colores diis, & ætates attribuebant, quo loco irrisa Deorum multitudine, alios ex eis creditos scribit grandæuos, sempérque canos, alios iuuenes atque pueros atri coloris, aligeros, claudos, ouo editos, & reliqua. Porphyrius quoque Philosophus diuersis, inquit, figuris & ætatibus, & alios sedentes, & alios stantes, mares alios, alios fœminas, aut virgines, aut coniuges, diuersóque amictu simulachra constituebant, vt eorum diuersitates significarent. Sunt etiam qui tradant gentes effingere solitas suos Deos prout eorum erant instituta & mores: vnde Lacedæmonij pleròsque Deos, deásque armatos efformabant, quia ipsi armis delectarentur. Phœnices, quia mercimoniis, & mercaturis dediti erant, Deos cum numariis loculis effingere solebant, eo quòd ipsi pecuniosum beatum putabant, idémque cæteræ nationes præstiterunt.

2 Existimabant præterea Ethnici singulas in homine partes & membra, singulos Deos obtinere vt ait Placiades Fulgentius, Iouem caput, Mineruam oculos, Iunonem brachia, pectus Neptunum, cincturam Martem, renes & inguia Venerem, pedes Mercurium. Sicut verò Democritus in Physiologumenis

nis scripsit, aurem memoriæ consecrabant, frontem Genio. Hinc Deum venerantes frontem tangere, & ad frontem manu indita numina adire solebāt: dextram fidei consecrabant, digitos Mineruæ, genua misericordiæ: vnde hæc rogantes tangebant, vnde etiam supplicantes ad ea procumbere & amplecti, moris erat: quamquam & Græcos mentum attingere, vna & altera manu genua apprehendere aliquando solitos, proditum est memoriæ. Sed vt rem magis conspicuam faciamus, Marcus Varro loco superius citato, diuisit quoque Deos in certos & incertos: nam trium extremorum librorum primum de diis certis absoluit alterum de diis incertis. Deos autem incertos eos vocabant, quorum certa ratio reddi non poterat qui essent: certos verò, de quibus nullo modo dubitabant, solem, lunam, cœlum, terram: vnde Lucanus in Pharsalia de Hebræorū Deo, incerti Iudææ Dei dixit; nec tamen incerti Dij, & incogniti Dij iidem habebantur, quia à Græcis θεοὶ ἀγνωστοι vocati sunt, quorum Pausanias in Attica meminit, eorūmq; aras celebrat hoc, θεῶν ἀγνώστων βωμοὶ, quæ aræ Epimenidis Vatis Cretensis suasione erectæ fuerunt: cùm enim terra Attica pestilentia laboraret, consultūm est ab Atheniensibus oraculum, quibus Pythia respondit, vrbem & agros expiari oportere, non expresso cui Deo res sacra esset facienda. Epimenides ab Atheniensibus per Niciam Nicerat filium accitus, iussit per agros oues nigras dimitti, sacerdotésque eas subsequi, & quoquo loco constitissent, ibi ignoto Deo propitio immolari debere. Itaque ex eo tempore, vt ait Diogenes Laertius, frequens per agros Atticæ aræ sine nomine Dei videbantur. Id actum esse 27. Olimpiade, idem scribit Diogenes. Suidas verò actum id ait 42. Olimpiade, nisi fortè duę fuerint expiationes. Nam senem Epimenidem eo fuisse tempore Suidas ait, & Athenis expiasse à scelere Cylonio: de quo scelere historiam recitat Thucidides, & post eum Marcus Tullius, Hesichius & alij. Meminit & de Diis ignotis Pausanias in Eliacis: ait enim cùm de aris magnis & paruis in Olympio & de Ioue Olympio πρὸς αὐτῷ ἐστὶν ἀγνώστων θεῶν βωμὸς apud hunc inquit, *Deorum ignotorum ara*, Meminit & de Diis ignotis Tertullianus aduersus Marcionem.

Fuit olim Athenis ara quædam cum inscriptione, vt Oecumenius refert eiusmodi θεοῖς ἀσίας καὶ εὐρώπης, καὶ λιβύης θεῷ ἀγνώστῳ, καὶ ξένῳ, id est, *Dijs Asiæ, & Europæ, & Lybiæ, Deo ignoto peregrino.* Ex hac Paulus Apostolus cùm ad Athenienses in Martis curia pro concione loquuturus esset, argumentum orationis suæ artificiosè deduxit his verbis, vt Lucas in actis Apostolorum scribit: *Res exorsus (Viri Athenienses) per omnia quasi superstitiosos vos video, præteriens enim & videns simulachra vestra, inueni et aram in qua scriptum erat, Ignoto Deo, quod ergo ignorantes colitis, ego enuncio vobis. Deum qui fecit mundum, & ea quæ in eo sunt, &c.* Quibus verbis Paulus colore & astu quodā maximè rethorico ostendit, se nihil aliud eis suadere, quam vt facerent quod iam sponte faciebant, hoc est, vt colerent Deum, quem iam colebant, & in ara sub ignoti nomine prænotauerant. Duas autem causas refert Oecumenus cur ea inscriptio haberet, ἀγνώστῳ θεῷ *ignoto Deo.* Alteram verò cùm Athenienses nuncios misissent ad Lacedæmonios oraculum, vt venirent ipsis auxilio aduersus exercitum Persarum Græciam inuadentem, spectrum Panis iuxta Parthenium Manthiis apparuit, ac-

cusans Athenienses, quòd se neglecto alios Deos colerent, & se pro sua erga eos beneuolentia, auxilio futurum promisit: cùm itaque victoria potiti essent Athenienses, templum illi erexerunt, arámque ædificarunt, & tanquam obseruantes ne idem sanè, vel aliud simile ipsis accideret, si quempiam ignotum sibi Deum prætermitterent, aram illam erexerunt, inscribentes, *ignoto Deo*, ac si dicerent, si quis est adhuc alius Deus nobis ignotus, in eius honorem hanc aram erigimus, vt nobis propitius sit: licet cùm ignoretur, non colatur. Alteram verò causam affert talem: Laborabant quondam peste Athenienses, & cùm Deorum omnium quos ipsi colerent, opem multis votis, precibus & sacrificiis implorassent, nihil adiumenti senserunt: intelligentes igitur quendam fortassis esse Deum, quem ipsi absque honore reliquissent, quo iratus pestem immitteret, nouam extruxerunt aram, eámque inscripserunt, *Ignoto Deo*: quo facto statim pestis cessauit. Hanc igitur Paulus fortuitò à se conspectam torsit in argumentum Euangelicæ prædicationis vsus artificio eius loci, quem Rhetores locum à fortuitis vocant, cùm scilicet fortuitos quosdam euentus conuertunt in argumentum eorum de quibus dicturi sunt: sicut de Leone Bizantio Sophista scribit Philostratus, qui cùm obeso ac perpingui, vt erat corpore, produisset ad populum Atheniensem suasurus concordiam, statimque populus enormi crassitudine hominis conspecta ridere cœpisset, ille nihil commotus, *ridetis*, inquit, *est mihi vxor me crassior*, & cùm ad hæc populus maiorem risum sustulisset, protinus addidit, *& tamen lectulus nos tales capit concordes, discordes nec tota quidem domus*: atque ita fortuitum risum vertit in argumentum suadendæ concordiæ.

4 Præterea peregrinos & hospites Deos ipsos, Athenienses etiam coluisse & iis aras fecisse, quos θεοὺς ξενικοὺς vocabant, Apollophanes scriptis prodidit, & notat Hesichius. Hos verò Deos Cicero alienigenas vocat. Suidas etiam de Xenicis Diis, cùm alibi, tum in hycileo, quem ait ab Aristophane inter Deos connumeratum. Meminit & Cicero 2. de legibus. Deos autem & Diuos quidam indifferenter accipiunt: Alij verò Deos volunt perpetuos esse, Diuos verò ex hominibus factos. Romani quosdam Deos summos nominabant Medioxumos, alios verò Heroes infimos quasi terrestres, ab ἤρα, quam veteres terram dicebant, vt Capella perhibet. Medioxumos dixere, quos merita in cœlum vocarunt, vt scribit Cicero in legibus, hoc est, semideos, vt Hybridas quosdam ex mortali & immortali progenitos, qualem dixerunt Romulum Herculem, Æsculapium, Tyndaridas, & similes. Heroes sunt ex vtroque parente nati, qui meritis fœliciorem quandam nacti sunt sortem, quam vulgus generis humani. Taxat autem Tertullianus libro de corona militis Apotheosin vel stultam deificationem Imperatorum, & illustrium Romanorum, cuius formulam siquis desiderat, consulere poterit Iustini martyris Apolog. 2. his verbis humanas superstitiones refutantem. *Quid*, inquit, *Ariadnem commemorem, eosque qui ei similes sublimes pendere dicuntur: Etenim Imperatores qui apud vos excedunt e vita immortales semper esse vultis. quendámque iuratum producitis, qui Cæsarem combustum in cœlum ex igne reuerti viderit. Emittebant*, inquit Herodianus lib. 4. loquens de deificatione Seueri Imperatoris, *ex summo tabernaculo, in quo iacebat*

iacebat demortui corpus, aquilam, quæ ſtatim vt ſubijciebatur ignis euolaret de terris in cælos, Imperatoris animam ferre creditam, cum alijs reliquijs perpetuo manſuram. Tertullianus autem in Apologetico dicit ſatius eſſe Deos fieri, ſapientiæ Socratem, iuſtitiæ Ariſtidem, militiæ Themiſtoclem, eloquentiæ Ciceronem, fœlicitatis Syllam, opum Craſſum, ſobrietatis Pompeium, grauitatis Catonem: hi enim Diis ipſis præſtabant hiſce rebus. Denique non diſſimularunt multi veteres bonos viros meliores Diis ſuis fuiſſe: ſic Seneca lib. de tranquillitate vitæ 2. Catonem Vticenſem certius viri ſapientis fuiſſe exemplum, quàm Herculem, aut Vlyſſem affirmat. Eundem Lucanus verum patriæ parentem nominat, digniſſimum aris Romanis.

Lactantius, ſiue Lutatius grammaticus in commentario libr. 4. Statij Thebaidos, mentionem facit Dei cuiuſdam, quem nominat Demomorgona ſummum, cuius nomen ſcire non licet, & addit: *Infiniti autẽ Philoſophi Magorum Perſæ etiam confirmarunt reuera eſſe præter hos Deos cognitos, qui coluntur in templis, alium Principem & maximè Dominum, cæterorum numinum ordinatorem.* hæc Lactantius. Quod nomen neque apud Marcum Tullium in libris de natura Deorum, neque apud alios latinos, vel græcos, qui de Diis gentium ſcripſerunt, reperitur, præterquàm in hoc auctore, & aliis recentioribus eum ſequutis. Quare quidã hanc vocem, *Demomorgon*, conuertunt in δημιύργον, qua voce Plato, cæteríque viri magni vſi ſunt, Deum ſummum & opificem cunctorum ſignificantes. Cuius etiam Dei nomen, & hebræorum religio, occultum nec vulgatum eſſe volebat. Certè Demomorgũ non Plato ſolùm & Trimegiſtus, Hermes, Irenæus, & alij, verùm etiam latini vocem illam interpretantes, principem Deum & opificem, & fabricatorem Deum appellarunt. Hunc Deũ Plato ἀσώματον, καὶ ἄῤῥητον, καὶ ἀνονόματον, hoc eſt, vt Apuleius interpretatur, incorporeum, indicibilem, & innominatum. Eum etiam literis ſcribi non poſſe Martianus oſtendit, qui ἀγράμματον illum appellat. 5

Lactantius verò Firmianus diuinarum inſtitutionum lib. 1. *Non vident*, inquit, *qui Deos multos eſſe credunt, fieri poſſe, vt aliquid diuerſum velint, ex quo diſceptatio inter eos, & certamen oriatur, ſicut Homerus bellantes inter ſe Deos finxit, cùm alij repugnarent.* Vnius igitur arbitrio mundum regi neceſſe eſt. Niſi enim ſingularium partium poteſtas ad vnam prouidentiam referatur, non poterit ſumma ipſa conſtare, vnoquoque nihil curante amplius, quàm quod ad eum propriè pertineat: ſicut ne res quidem militaris, niſi vnum habeat ducem atque rectorem. Quòd ſi in vno exercitu tot fuerint Imperatores quot legiones, quot cohortes quot cunei, quot alæ, primùm nec inſtrui poterit acies, vnoquoque periculum recuſante, nec regi facilè aut temperari, quòd ſuis propriis conſiliis vtantur omnes, quorum diuerſitati plus noceant quàm proſint. Sic in hoc rerum naturæ imperio, niſi vnus fuerit, ad quem totius ſummæ cura referatur, vniuerſa ſoluentur & corruent. Dicere autem multorum arbitrio regi mundum tale eſt, quaſi quis affirmet in vno corpore multas eſſe mentes quoniam multa & varia ſunt miniſteria membrorum, vt ſingulos corporis ſenſus ſingulæ mentes regere credantur. Item multi affectus quibus commoueri ſolemus, vel ad iram, vel ad cupiditatem, vel ad lætitiam, vel ad metum, 6

vel

vel ad miserationem, vt in iis omnibus totidem mentes putentur operari, quod si quis profectò dicit, ne ipsam quidem quæ vna est habere videatur. Quæ si in vno corpore tantarum rerum gubernationem mens humana possidet, & omnibus simul intenta est. cur aliquis existimet mundum non posse ab vno regi, à pluribus posse. Quamobrem Tales Milesius, qui vnus è septem sapientum numero fuit, quique primus omnium quæsisse de causis naturalibus traditur, Aquam esse dicit à qua nata sunt omnia, Deum autem esse mentem, qui ex aqua cuncta formauerit ita materiam omnium posuit in humore, principium, causámque nascendi posuit in Deo. Pythagoras ita definiuit quid esset Deus, animus qui per vniuersas mundi partes, omnémque naturam commeans atque diffusus, ex quo omnia quæ nascuntur animalia vitam accipiunt. hæc ferè ex Lactantio.

7 Augustinus verò lib. 1. de vera religione cap. 25. *Huius verò*, inquit, *prima disputatio est, vtrum iis potius credamus, qui ad multos Deos, an iis, qui ad vnum Deum colendum nos vocant? Quis dubitat eos potissimum sequendos, qui ad vnum vocant, præsertim cùm multorum cultores de hoc vno domino cunctorum, & rectore consentiant; & certè ab vno incepit numerus, primi ergo isti sequendi sunt, qui vnum Deum summum, solum verum Deum, & solum colendum esse dicunt. Sicut enim in ipsa rerum natura maior est auctoritas vnius ad omnia redigentis, neque in genere humano multitudinis vlla potentia est, nisi consentientis: ita in religione, qui ad vnum vocant, eorum maior: & fide dignior debet esse auctoritas.* hæc Augustinus. Quare Apostolus Paulus Ephes. 4. *Vnus*, inquit, *Dominus, vna fides, vnum baptisma* Inde ipse Deus per Isaiam sæpe dicit: *Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus.* capit. 44. & 48. Propterea D. Cyprianus tractatu de idolorum vanitate: *Romanos*, inquit, *gemini vnum non cepit regnum, quos vnum vteri cepit hospitium. Pompeius & Cæsar affines fuerũt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hic tu de homine miraris, cùm in hoc omnis natura consentiat. Rex vnus est apibus, & dux vnus est gregibus, & in armentis rector vnus est, multò magis mundi rector vnus est, qui vniuersa quæcunque sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat.* hæc Cyprianus. Augustinus præterea lib. 1. de consensu Euangelistarum cap. 29. & 30. *Cur*, inquit, *solum Deum Sabaoth, qui interpretatur Deus virtutum, vel exercituum, quia illi seruiunt virtutes & exercitus Angelorum, non colunt qui omnes Deos colendos esse contenderunt? Cur Deum Israel qui Deus est illius populi, de quo venit semen, in quo benedicentur, omnes gentes non colunt? & cur ei non credunt qui alios Deos falsos, & ostendit & euertit. Audiui*, inquit Augustinus, *quendam eorum dicere se legisse apud nescio quem Philosophum, quòd ex iis, quæ Iudæi in suis sacramentis agerent, intellexisset quem Deum colerent. Præpositum*, inquit, *istorum elementorum quibus mundus iste consistit: Nam in scripturis Prophetarum apertè ostenditur illum Deum colendum præceptum esse populo Israel, qui fecit cœlum & terram, & à quo est omnis vera sapientia. Cur ergo non ipse potius colitur à vobis, quàm Neptunus, qui solus præpositus maris est, quàm Syluanus, qui solorum agrorum atque syluarum, quàm sol qui solius diei, quàm luna, quæ solius noctis vel etiam humoris potestate perfulget.* hæc Augustinus.

CAPVT

Caput VIII. DE TRINITATE DEI.

CVm dixit Moyses Deuteronom.6. *Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est*, non aliam ob causam ter Dei nomen his verbis expressit, nisi vt diuinarum personarum Trinitatem distinctè insinuaret: dictione autem vnus, quam immediatè subiecit, significare voluit tres personas diuinas, non tres Deos, sed vnum esse Deum: Cùm autem ter nomen diuinum ponatur, secundo autem nomini additur noster, & non primo aut tertio, vt apertè insinuetur, neque Patrem qui prima est in Trinitate persona, neque Spiritum sanctum, qui tertia persona est in eadem Trinitate, sed solum Filium, qui secunda est persona eiusdem Trinitatis, per nostræ humanitatis participationem nostrum futurum. Quod idem significatur, cùm dicitur psal. 66. *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ*, vbi in eo quod dicit, *metuant eum*, vnitas personarum quoad naturam, & identitatem ostenditur. Idem quoque docemur Isaiæ 6. cùm legimus: *sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Nam in eo quòd post tria illa nomina, immediatè semel duntaxat ponitur nomen Dei IEHOVA, per quod diuina essentia designatur, apertè monstratur tres personas diuinas, non tres Deos, sed vnum Deum esse. Deuteronom. etiam 32. legimus: *videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*: ad verbum habes in hebraico, *videte nunc quia ego ego ipse, & non sunt Dij mecum*. Vbi notanda sunt illa tria nomina אני אני הוא ANI ANI HV, id est, *ego ego ipse* vbi trium personarum pluralitas videtur exprimi, ideóque sequitur: *non sunt Dij mecum*, vt intelligamus, tres illas hypostases, per tria illa nomina adumbratas, non esse plures Deos, sed vnum Deum. 1

Notanda quoque sunt illa verba Zachariæ 2. *Lauda, & lætare filia Sion, quia ecce ego venio, & habito in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui, & scias quia Dominus exercituum misit me ad te.* Nam ter יהוה IEHOVA, id est, nomen tetragrammaton ponitur, vbi Chaldæus Paraphrastes ita locum hunc interpretatur, *Gaude & lætare Ecclesia Sion, quia ego reuelabor, & ponam diuinitatem meam in medio tui, ait* IEHOVA, *& applicabunt se populi multi ad populum* IEHOVA *in illo tempore, & erunt coram me in populum, & ponam diuinitatem meam in medio tui, & scias quia* IEHOVA *exercituum misit me ad prophetandum tibi*, quod non potest referri, nisi ad Deum missum, id est, Messiam, qui à Deo Patre mittendus erat. Ex quo satis constat fieri in hoc loco mentionem Dei mittentis & missi, vbi vterque IEHOVA dicitur, & ipse missus dicit: *Ponam diuinitatem meam in medio tui, & scies quia* IEHOVA, *id est, Pater, misit me filium, ad prophetandum tibi*: de quo Zachariæ 9. *Ecce rex tuus venit tibi iustus & saluator.* Et Isaiæ 43. *propter vos missus sum in Babyloniam*, & psal. 107. *misit verbum suum, & sanabit eos.* 2

Consideranda etiam sunt verba illa Exodi 20. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios*, &c. vbi hæc tria nomina sunt יהוה IEHOVA, id est, Dominus, אלהיך ELOHECA, id est, Deus tuus, & אל EL, id est, Deus; quem fortem transfert noster interpres. Notanda sunt quoque verba illa psal. 13. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus* 3

eorum.in quibus tria hæc, Deus, Verbum, & eius Spiritus distinctè & apertè in mundi productione concurrisse ponuntur. Hæc autem tria quid sint, quàm Pater, Filius, & Spiritus sanctus: verbum enim realiter distinguitur à proferente, & Spiritus sanctus à spirante: Ergo inter Deum mundi creatorem, & verbum eius, per quod mundus creatus est, & Deum spirantem, & Spiritum eius, in quo mundum produxit, realem oportet esse distinctionem. Animaduertenda sunt etiam quæ sequuntur: *congregans velut in vtre aquas maris, & ponens in thesauris abyssos*, in eo enim quod singulariter dicit, *congregans*, &c, *ponens*, manifestè insinuat tres personas, quas per tria nomina prædicta significauit vnum esse tantummodo Deum, mundi vniuersi creatorem, iuxta illud Ioann. 1. cap. 5. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt*. Facit etiam ad hoc ipsum Eccles. 4. *funiculus triplex difficile rumpitur*, vbi Chaldæus Paraphrastes per funiculum trinum, interpretatur Deum sanctum & benedictum: quod autem subiectum est, *difficile rumpitur*, hunc sensum habere videtur, mysterium Trinitatis, & vnius Dei, non facile nec citò discuti posse.

4 Porrò Gen. 1. *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & paulò post: *creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos*. Factus est autem homo ad imaginem Dei secundùm animam, simillimúmque sibi, in qua imago ipsa diuinæ Trinitatis optimè, atque expressè relucet. De hac imagine dictum videtur illud psal. 73. *Domine in ciuitate tua imaginem illorum ad nihilum rediges*: alij reddũt, *imaginem ipsorum vilificabis; vel despicies*. Et psalmo 39. *Veruntamen in imagine pertransit homo*. Itaque per imaginem tres animæ potentias: memoriam, intelligentiam, & voluntatem, in quibus diuinæ Trinitatis imago consistit, intelligi oportet: ex memoria namque formatur intelligentia: neque enim est ex quo formetur intelligentia, nisi ex memoria, quatenus memoria est, notitiam rei apud se habere: nisi enim in anima sit notitia, non est ex quo formetur intelligentia: intelligentia enim extendente se, & accipiente id quod verum est in ratione boni & conuenientis, statim ex memoria & intelligentia formatur appetitus, qui est voluntas: sicut igitur ex memoria formatur intelligentia, sic ex patre in diuinis generatur filius, & quemadmodum ex memoria & intelligentia extensis, & quasi spirantibus bonum formatur voluntas, sic ex Patre & filio tanquam ex vno spirandi principio, spiratur bonum, quod est spiritus sanctus, & sicut tres potentiæ istæ, memoria, intelligentia, & voluntas, sunt vna anima, ita Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus.

5 Denique Exodi 3. Deus sic respondet Moysi petenti quod esset nomẽ eius: *Ero*, inquit, *qui ero* אהיה אשר אהיה EHIE ASER EHIE, id est, *fui, sum, ero, qui fui, sum, ero*, & ait, *sic dices filiis Israel* אהיה EHIE id est, *qui fuit, est, & erit, misit me ad vos*, Futurum enim apud Hebræos tres temporis differentias continet: futurum, præteritum, & præsens: per has autem tres temporis differentias, fui, sum & ero, insinuatur summa & omnimoda, ac sempiterna Dei stabilitas, qui sẽper fuit, est, & erit. Deinde ostenditur personarum trinitas, essentięque vnitas: proinde subiecit Deus alloquens Moysen: *Ita dices filiis Israel, Dominus Deus*

patrum

TRINITAS DEI.

patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos. In eo autem quod semel dixit Dominus, nec dixit miserunt, sed misit diuinæ naturæ vnitatem demonstrauit. Postremò vt nomen hoc אהיה Ehie, suum esse innueret, per quod diuinæ Trinitatis, & vnitatis æterna & omnimoda stabilitas importatur, immediatè subdidit: *hoc est nomen meum in æternum.* Nostra additio habet: *Ego sum qui sum, sic dices filiis Israel: qui est misit me ad vos,* sensum exprimēs non verba. Nam hoc nomen Ehie, vt sonat, minimè traduci potest; nisi per quandam circumlocutionem. Multa enim sunt in legis, Prophetarúmque arcanis, quæ hebraicus legendi, scribendíque modus insinuat, quæ tamen in aliam transferri linguam commodè non possunt: quod potissimum in ipsis diuinis nominibus apparet, in quibus plerunque tam græca, quàm latina editio non omnem vim potest exprimere. Quod pulchrè Origenes testatur, dum cōtra Celsum ait, in quibusdam sacris nominibus mirandam latere virtutem, ideóque hæc ipsa nomina ex hebraica in aliam linguam non posse aptè traduci.

Vestigium autem aliquod Trinitatis personarum etiam Philosophos illos veteres attigisse, ex eo constare videtur, quòd multa in commēdationem ternarij numeri tradiderunt. Nam Pythagorici Philosophi Trinitatem rerum omnium mensuram esse voluerunt, fortè ratione illa, quòd summus rerum opifex ternario numero vniuersa dispenset, imo etiam res ipsę numero eodem terminari pernoscuntur: ad quod respiciens Poëta nobilis, *numero*, inquit, *Deus impare gaudet*: siquidem ineffabile illud agens creat primò, singula regit, mox ac denique perficit. Singula quoque imprimis ab illo perenni fonte effluunt, dum nascuntur: deinde in eundem refluunt, dum originem mox suam reperunt: postremò perficiuntur, vbi in suum redierint principium. Idipsum vaticinatus Orpheus, Iouem, principium, medium, & finem vocauit vniuersi: principium, vt producit, medium, vt producta retrahit ad seipsum, finem, vt redeuntia perficit. Hinc regem illum vniuersorum, bonum, pulchrum, iustum quod sæpius à Platone significatur, possumus nuncupare: bonum, inquam, dum creationem obit, vbi allicit pulchrum ac iustum, quatenus pro cuiusque meritis perfectionem elargitur. Pythagoricus item Plutarchus scribit, principem Deum tribus coli adorationibus, thure, sacrificio, & hymnis; & id vtique ter ex totidem hemispherij punctis, mane, vespere, & meridie: quod à Pythagoricis obseruatū est, Trimegistus ad meridiem conuersus idipsum obibat. Moyses, Iudæique ad occidua, adoratio reuerentiæ cultum exhibebat, thus suauissimæ cognitionis diuinę distributionem complectebatur, hymnorum iucunditas cœlorum referebat concentum. Quod verò Aristoteles ait, natura compulsos homines Trinitatis numero in Deorum sacrificiis vti, sunt qui ita interpretentur, cùm frustrà nihil agat natura, omnibus ab ea insitum, vt eo vterentur numero in ceremoniis, quo palam fieret, Trinitatem ita in Deo concedi, sicut & in corporibus. Ternarium autem in sacris ita intelligunt, vt hostiæ immolatæ aut mel, aut omnino liquidum aliquid, & salem, ordeum item, aut fruges inspergerent, atque ita trium oblatione in vno sacrificio abundè litari opinarentur. In obeundis item sacrificiis eundem videntur 6.

obseruasse Trinitatis numerum vt tertio quoque die peragerentur, aut trimestri spatio in Sacerdotum. Porrò vestium genere,& figura in templi ambitu,vel aræ in hostiæ comburendæ suffumigationibus, & extorum, necnon in vasorum figura sacrorum,aut materia.Quòd si rerum omnino ratio maiorem efflagitare numerum aduerteretur,ipsa in se identidem redibat Trinitas. Hinc vniuersam Proclus Platonis theologiam, ad tres reuocare Trinitates adnisus est. *Porrò* inquit Aristoteles, *duo quidem ambo dicimus, & duos ambos, atque vtrosque, multos verò non dicimus: sed hanc appellationem de tribus primum enunciamus, quod inde fieri creditur, quòd sic à natura videamur instituti. Denique sicut Deo fabricatori monadem ita procreatrici materia dyadem, & idealibus formis triadem consequutione quadam aptamus.*

7 Beatus verò Chrysostomus ex ipsis scripturis Trinitatis vestigia quædam proferens, tomo 5. homilia in dictum Apostoli ad Corinthios: *Cum autem subiecta fuerint illi omnia*, sic habet: *Multi sunt Patriarchæ*, inquit, *& Deus seipsum Patriarcharum vocat Deum. Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Exod. 3. *non quod non sit Deus etiam Moysis, & non Deus Ioseph: omnium enim Deus est, qui se inuocant in veritate, sed veneratur sicut in imagine in terrenis cœlestia: sunt enim tres Patriarchæ in honorem Trinitatis: sunt etiam tres virtutes in honorem Trinitatis: nunc enim manent tria hæc, fides, spes, charitas.* 1. Corinth. 13. *In tria diuisum est vniuersum, nempe in ordinem supercœlestium, & terrenorum, & subterraneorum: & sicut licet multi sint Patriarchæ, vt prædicetur gloria viuentis Spiritus, sufficit ternarius; ita cum multi sint sacerdotes trium tamen sacerdotum dicta est: nempe Moyses, & Aaron & Samuel, vt psal. 98. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius. Multi Reges, & trium celebris est memoria: Dauid scilicet, Ezechia, & Iosia: vnde psal. 13. etsi omnes declinauerunt, inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. In camino ignis tres tantùm versantur pueri Daniel. 13. cum Christo in montem ascenderunt, Petrus, Iacobus, & Ioannes. Matt. 17. multi in cœlo Angeli, & tres apparent Abrahæ Gen. 32. omnes dies Dei sunt, & tres seruiunt mysterio, qui illi tres? accipe,* inquit, *quem dilexisti filium tuum vnigenitum, & vade in vnum montium, &c. Ambulauit Abraham tres dies & tres noctes, vt simul & mysterium monstraret: At non potuit Ionas in mari plures dies, sed solum ibi tres dies fuit Iona 2. Populo priori tres erant ordines, sacerdotium, regnum, & prophetia: præter tres illos non videbatur alius apud Iudæos principatus. Cornu item erat olei sanctificationis vnum, & vna fuit vnctio, tria verò dona, vnum cornu, tria chrismata: inungebantur enim Reges sacerdotes, & prophetæ: seruabatur à prophetis cornu: è cornu autem inungebantur reges, prophetæ, & sacerdotes. Vna ergo erat vnctio, tria dona in honorem sanctissimæ Trinitatis, vbi tres sunt personæ: vna verò essentia.* hactenus Chrysostomus.

8 Confitemur itaque in Deo plures personas, non tamen dicimus esse plures Deos, sed vnum solum Deum: nam cùm Deo summam bonitatem, & perfectionem tribuamus, fieri non potest, vt id quod summum, atque absolutissimum est, inueniatur in pluribus essentia distinctis: quòd si cui aliquid ad summum deest, eò ipso imperfectum est, ergo nec Dei natura illi potest conuenire: credimus autem vnitatem in essentia diuinitatis, & distinctionem in personis: tres enim sunt in diuinitate personæ: Patris, qui à nullo genitus est,

Filij,

Filij, qui ante omnia sæcula à Patre genitus est, & Spiritus sancti, quiitidem ab æterno procedit ex Patre & Filio. Hæ tres personæ suis tantummodo proprietatibus distinctæ intelliguntur: siquidem Pater ingenitus est, filius à Patre genitus, Spiritus sanctus ab vnoquoque procedit: atque ita trium personarũ eandem essentiam confitemur, vt in confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in personis proprietatem, & in essentia vnitatem, & in Trinitate æqualitatem piè ac sanctè colendam credamus.

Qui autem à fide Trinitatis recedunt, hæretici sunt: ex quibus multi etiam 9
nostris temporibus surrexerunt, qui detestandi prorsus sunt: Nam ex Hugonotis Caluinus essentiæ Dei, personarum, & Trinitatis nomina penitus sepulta esse vult. Hanc verò formam orandi, *Sancta Trinitas vnus Deus miserere nobis*, vnà cum Luthero deridet, & aspernatur. Eius sectæ addicti ad eam nũquam preces dirigunt: coronidem istam. *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, piè contra Arrianos, & Sabellianos Psalmis adiectam, omnino abiiciunt, & expungunt. Geneuæ publicè docuit Valentinus Gentilis, Papistas falli, qui in vna Dei essentia tres personas agnoscunt. Nunc, proh scelus! desideriis Caluini satisfaciunt in Morauia Lucas Steruberger, in Silesia Matthias Zariensis Pastor: in Prusia, & Boëmia non pauci, qui in sanctam Trinitatem furiosè debachantes, tricipitem Cerberum, & Tricorporem Geriona vocant, optántque vt dæmones Trinitatem abducant & asportent, se nescire fingunt vtrum sit mas, aut fœmina. Hosius Cardinalis lib. de adoranda Trinitate, ad ministros Tigurinos ex Bernardini Hochini Trinitarij verbis lib. 2. Dialogor. (vbi gloriatur post diruptum à Luthero Romanæ Ecclesiæ tectum: indulgentias scilicet, purgatorium, & preces pro defunctis: Deinde euersis per Zuinglium parietibus, nempe Eucharistiæ Sacramento, tandem ad conuellendum ipsius fundamentum, hoc est, Trinitatem cum sociis accessisse) huiusmodi Hæreticorum impietatem, & insaniam ostendit. Discant ergo impij Hæretici exemplo Arrij Trinitatem non blasphemare, qui precibus Alexandri Episcopi dissenteria tortus aliquandiu, dum citam torminibus aluum exonerare vellet, intestinis profluentibus expirauit. Discant exemplo Luciani, qui ob eandem impietatem est à canibus deuoratus: Discant, inquam, non torquere Sophismata in Trinitatem: vereantur exemplo Constantij Imperatoris infortunatos exitus: ille enim, vt scribit Nicephorus lib. 9. cap. 28. & Theodoretus lib. 2. cap. 32. mala quæ perpessus erat, plura accepta refert, quòd fauisset Arrianis: vereantur exemplo Anastasij, qui quòd non Trinitatem, sed quaternitatem deinceps adorandam proposuisset, fulmine percussus est, Deo diuinitus puniente. His præterea temporibus, anno scilicet 1506. in Aphrica diuina vltio in Arriano quodam apparuit, qui dum in Balneis indigna quædam de S. Trinitatis fide blasphemauisset, veniente ignito cœlitus iaculo viuus combustus est.

Caput IX. DE PATERNITATE DEI.

1 PRimam in trinitate personam Patrem dicimus, sicque in sacris literis vocatur: vnde Psal. 89. *Ipse inuocabit me, pater meus es tu, Deus meus, & fortitudo salutis meæ: Ego quoque primogenitum ponam illum excelsum præ regibus terræ*; Vbi notandum Patrem non solum esse principium omnium rerum ad extra, sic enim vnum principium est Pater & Filius & Spiritus sanctus; sed etiam esse principium ad intra, à quo procedunt aliæ personæ. Constat autem hoc ex cap. vltimo de summa Trinitate, & fide Catholica in 6. quod desumptum est ex Concilio generali Lugdunensi, vbi definitur Patrem, & Filium esse principium Spiritus sancti: Quod idem est etiam definitum in Concilio Florentino, & in Concilio Sirmiensi damnatur qui dixerit filium esse sine principio; Nam principium est id à quo aliquid procedit: cùm ergo ad fidem Catholicam spectet credere Filium, & Spiritum sanctum à Patre procedere, necessariò dicendum est Patrem esse filij principium, & etiam Spiritus sancti: sicque explicat D. Augustinus lib. 6. de Trinitate cap. 3. illud, Ioan. 1. *In principio erat verbum*, id est, in Patre: Quamuis autem concedendum sit Patrem per generationem communicare Filio essentiam, nullo modo dicendum est generare, aut producere essentiam, sed producere personam filij, & filium.

2 Theodoretum Cyri Episcopum notat D. Thomas in lib. aduersus Græcorum errores, quòd in commentariis Epistolæ ad Hebræos scripserit, Patrem esse filij causam: quam locutionem Ecclesia latina abhorret, ne occasionem præstet, vt filius causatus, & factus intelligatur, iuxta Philosophorum intelligentiam, apud quos idem est causatum, quod factum. Monet autem hanc esse græcis Patribus peculiarem consuetudinem, vt nomine causæ, & causati in diuinis vtantur; non tamen eo fine, vt diuersitatem naturæ in diuinis personis introducant, & Filium Patris facturam demonstrent, sed vt his vocibus explicent, quod nos nomine principij, & principiati intelligimus. Id apertè testatur Gregorius Nycenus, inquiens: *Causam autem causatúmque dicentes non naturam per hæc nomina significamus; neque enim hæc nomina loco essentiæ, vel naturæ ratione damus: sed qualiter se habeat differentiam demonstramus: vt scilicet filium non ingenitum esse, neque Patrem per generationem aliquam demonstramus ab aliquo.* Affert itaque D. Thomas opusculo. 1. contra errores Græcorum cap. 2. testimonia doctorum græcorum, qui docent Patrem esse causam Filij, & Spiritus sancti ea ratione qua diximus; præter illos auctores vide D. Ioannem Damascenum lib. 1. cap. 8. & 10. & Gregorium Nazianzenum lib. 3. suæ Theologiæ statim à principio. Rationes autem latinorum doctorum, qui negant Patrem esse causam filij adducit ibi D. Thomas, sed illud notandum si aliquando apud auctores latinos reperimus assertum, Patrem esse causam ad intra, vt habetur apud D. Augustinum lib. 7. de Trinitate cap. 1. & lib. 83. quæstio. quæst. 16. vbi dicit Patrem esse causam sapientiæ suæ, & D. Hieronymus ad Ephes. 3. versans enim illud ex quo omnis paternitas dicit Patrem sui esse originem, suæque causam substantiæ: in his, inquam, locis & aliis similibus sancti non dicunt Patrem esse causam filij, aut Spiritus sancti, sed esse causam suarum perfectionum essentialium: vbi causam non accipiunt in propria eius acceptione

ne, sed ea ratione qua superius expositum est, id est, latissimo quodam modo, vt idem sit causa quod ratio: Quemadmodum dicimus, in Deo vnam perfectionem esse rationem alterius, verbi gratia, immutabilitatem esse rationem æternitatis. Possunt præterea sancti isti explicari negatiuè, ita vt Pater dicatur origo sui, & causa suæ substantiæ, ex eo quòd non est ab alio, & non habet aliquam causam sui, neque originem. D. autem Hilarius lib. 4. de Trinitate, concedit Patrem esse auctorem filij: sicque alij graues doctores Filium appellant auctorem Spiritus sancti, quoniam Pater meus propriè est meus auctor, etiamsi habuerit esse ab alio; Quamquam D. Thomas in 1. distinctione 29. quæst. 1. articulo 1. neget Filium esse auctorem Spiritus sancti, quod de Patre concedit respectu Filij, & Spiritus sancti; sed de hac re nihil in summa dixit quare magis aliorum sententia probanda est.

Vocatur autem propriè in diuinis prima persona Pater: vnde & Apostolus dicit Ephes. 3. *Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur:* Est enim in Deo propriè generatio, & perfectior quàm in humanis: De ratione enim generationis est, vt gignat sibi simile secundùm formam: vnde ex hoc ipso, quod in generatione diuina est eadem numero forma, & natura generantis, & geniti, cùm maior sit similitudo, maior reperitur ratio generationis, & paternitatis: in rebus autem creatis, non est eadem numero, sed eadem specie tantùm. Nomen ergo patris magis propriè conuenit Deo, quàm rebus creatis. Variis præterea modis Pater dicitur, ac sumitur in sacris literis. Pater enim dicitur qui aliquem genuit, qui & genitor appellatur. Datur etiam Pater educatione, vt Iob 29. *Pater eram pauperum*, & Pater genere, vt Genes. 25. *ad possessionem Patrum tuorum*, & imitatione, vt Ecclés. 41. *Erubescite à patre, & matre de fornicatione*, & inuentione, vt Genes. 4. *qui fuit Pater habitantium in tentoriis*. Patres item dicuntur maiores, vt Genes. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos:* vocatur etiam pater præceptor: sic Genes. 45. *qui fecit me quasi patrem Pharaonis:* dicitur quoque pater principium, vt Genes. 17. *erisque pater multarum gentium*. Patris etiam nomen creatione, & origine attribuitur Deo comparatione ad homines, quos ipse ad imaginem, & similitudinem suam creauit; licet aliquando dicatur pater etiam omnium creaturarum: sed peculiariter dicitur pater bonorum, qui ex Deo per gratiam nati sunt, & facti filij per adoptionem, vt ex variis locis sacræ scripturæ colligere licet. Denique Iob 38. vocatur Deus pater pluuiæ, quia dat pluuiam voluntariam hæreditati suæ, hoc est, gratiam & doctrinam Ecclesiæ. Pater autem multarum gentium dictus est Abraham, Genes. 17. quia multæ Gentes eius fidem imitaturæ erant. Pater quoque Christi appellatur Dauid, ex cuius stirpe descendit Christus Isai. 22. *Et erit in solium gloriæ domus Patri sui, & suspendā super eum omnem gloriam domus Patris eius*. Ad hæc sumitur etiam pater in diuinis literis pro cuiuscumque rei, vel artis, vel negotij auctore, principe, atque excellenti antistite: sic Iubal fuit pater canentium cithara, & organo Genes. 4. Demùm pater de ipso Deo dupliciter dicitur, personaliter, & essentialiter, vt distinguunt Theologi. Ea enim ratione quâ dicitur de Deo personaliter, dicitur de eo propriè: ea verò ratione quâ dicitur essentialiter, non propriè conuenit

uenit Deo, sed secundùm tropum & metaphoram: sicut hæc vox homo quatenus dicitur de homine viuo, & de homine picto, de homine quidem viuo propriè dicitur, impropriè verò de homine picto.

4 Est autem adeò proprium Patri esse ingenitum, vt hoc alij personæ diuinæ non conueniat; itaque solus Pater est ingenitus, quod docent passim omnes Sancti, vt D. Augustinus in 5. de Trinitate cap. 6. & 7. & probatur ex Concilio 11. Toletano, vbi statim à principio dicitur: Patrem quidem non genitum, non creatum, sed ingenitum profitemur. De filio autem certum est non esse ingenitum, cùm constet genitum esse à Patre. De Spiritu sancto verò ex eodem Concilio Toletano constat, cuius hæc sunt verba: *Hic Spiritus sanctus, neque genitus, neque ingenitus creditur.* Hoc ipsum expressè definiuit Damasus Papa in suo symbolo fidei, quod habes inter opera Hieronymi tomo 4. Præterea D. Athanasius in Epistola ad Serapionem, ait Spiritum sanctum non esse ingenitum, quia imprincipiatum esse & ingenitum; soli Deo Patri Catholica Ecclesia apud Nicenam rectè, & fœliciter attribuit, & de solo Patre hoc esse credendum, & prædicandum toti mundo, sub anathemate præcipitur. Itaque cùm dicimus Patrem esse ingenitum, sensus est; Patrem non esse ab alio principio, siue per generationem, siue per quamcunque aliam processionem, & sic Spiritus sanctus non potest dici ingenitus: si autem ingenitum accipimus, ita vt nihil aliud designet, quàm non habentem esse per generationem, sic conuenit Spiritui sancto esse ingenitum, etiam secundùm fidem, quia non habet esse per generationem: & hac ratione explicandi sunt D. Hieronymus in regulis definitionum contra Hæreticos, & D. Gregorius Nazianzenus in sermone Epiphaniæ, qui Spiritum sanctum in hoc sensu vocauit ingenitum.

5 Personam autem Patris sub Dei nomine intelligunt, tam psalmographus Psal. 44. quàm Paulus hæbreor. 1. illis verbis: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis, & lætitia.* Super hæc autem verba D. Chrysostomus Homilia in Epistolam ad Heb. 3. *Quid est*, inquit, *quod dicit Deus Deus tuus? Hic Iudæos, & Paulum Samosatenum, & Arrianos, & Marcellum, & Sabellium percussit; Quomodo? Iudæos quidem ostendens eis duas personas Deum, & hominem.* Quæ verba Chrysostomi non sunt sic intelligenda, vt significet in Christo duas esse personas, personam Dei, & personam hominis, quod Theologi nefas & dicere, & sentire arbitrantur, cùm sit contra fidem: sed dicit Prophetam ostendere duas personas, Deum, id est, personam Dei Patris, & hominem, id est, personam Filij, hoc est, Dei hominis: qua quidem ratione intelligẽdus est Chrysostomus, si lectio eius græca non sit vitiata: Multi enim suspicantur hunc locum etiam in græcis codicibus esse deprauatum, & pro eo quod in eis scriptum est θεὸν καὶ ἄνθρωπον, id est, Deum & hominem, legendum fore θεὸν καὶ θεὸν, id est, Deum & Deum, significarique personam Patris, & personam Filij, quæ sunt duæ personæ; occasionem autem suspicionis præbent geminæ coniecturæ: Harum prior est, quod Theophylactus referens hæc eadem verba Chrysostomi, omissa hominis mentione, & Dei nomine bis posito, sic scribat. Hoc aduersus Iudæos, & Sabellium, & Marcellum pugnat, tanquam duas personas indicans Deum & Deum. Altera coniectura est, quod

condu

PATERNITAS DEI.

conduplicatio particulæ Dei, aptissimè congruat cum proposita Pauli sententia, in qua geminato Dei nomine dicitur: *vnxit te Deus, Deus tuus*, ad expressionem scilicet duarum personarum, Patris & Filij, reclamantibus Iudæis Sabellio & Marcello, qui vnam tantùm Deitatis personam agnoscunt, vt sit sensus: *propterea vnxit te Deus*, id est, te Deum Filium Deus tuus, id est, Deus Pater.

De persona autem Patris, siue de Deo Patre intelligenda sunt verba illa Prouerb. 30. *Quis ascendit in cœlum, atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? quis suscitauit omnes terminos terra? quod nomen est eius, & quod nomen filij eius, si nosti?* Idipsum significant verba illa Prouerb. 4. *Audite filij disciplinam Patris, & attendite, vt sciatis prudentiam* (loquitur persona filij, qui est diuina sapientia) *donum bonum tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis: Nam & ego filius fui Patris mei, & tenellus, & vnigenitus coram matre mea.* Sunt ergo hæc expressa verba filij Dei, qui in monte Sinai legem dedit, & verba quæ statim sequuntur: *Ego filius fui Patris mei*, cùm præcedentibus sint coniuncta, apertè insinuant Deum, qui per Moysen dedit legem, fuisse filium Dei. Quod autem sequitur, *tenellus & vnigenitus coram matre mea*, nulla ratione de Salomone intelligi potest, qui nec Patri fuit solus, cùm ipse Dauid multos habuerit filios, vt habetur 1. Paralip. 4. nec tenellus, & vnigenitus coram matre sua Bersabee, quæ præter eum alium habuit filium, licet sit defunctus, vt constat ex 2. Reg. 12. quare hæc verba de solo Dei filio intelligi possunt, qui non solùm secundùm diuinitatem erat Dei filius ab æterno genitus, verùm secundùm humanitatem quoque, tenellus & vnigenitus fuit coram matre sua Virgine Maria. Vocatur autem filius Dei tenellus, non solùm vt insinuaret immensæ suæ pietatis teneritudinem, sed vt suæ quoque infinitæ sapientiæ capacitatem significaret: cùm enim iuxta Aristotelicum dictum lib. 2. de anima, duri carne ad intelligendum sint inepti, molles verò, id est, teneri apti, idcircò ad ostendendum dispositionem hanc suam optimam, ad recipienda Patris documenta tenellum se esse dixit, id est, disciplinabilem, & rectæ atque infinitæ sapientiæ capacissimum. Sensus ergo est, *legem meam ne derelinquatis, quia filius fui Patris mei & tenellus*, hoc est, quia illa à Patre meo accepi, qui errare non potest in dicendo; Nec etiam ego errare potui in discendo, quia fui tener, id est, optimæ capacitatis ad ea recipiēda. Quod verò sequitur: *Et docebat atque dicebat: suscipiat verba mea cor tuum, custodi verba mea & viues, &c.* Christus de seipso retulit Ioan. 8. dicens; *sicut docuit me Pater, hæc loquor*, & rursum: *Ego quæ placita sunt ei facio semper*, & alia huiusmodi in quibus seipsum, & à Patre edoctum fuisse, & mandata eorum, quæ in mundo facturus erat, ab eo accepisse palam ostendit: quod etiam dicitur, *custodi præcepta mea*, ipse se adimpleuisse commemorat Ioan. 15. *Ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.* Illud etiam quod sequitur, *& viues*, ipse idem de se exposuit, quando dixit: *sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso. Viues*, inquit, id est, *habebis in potestate tua vitam.* hinc ipse ait: *potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.*

Caput X. DE FILIATIONE DEI.

1 Filius propriè est, qui secundùm similitudinem speciei à viuente aliquo genitus est: dantur autem filij naturales, & adoptiui, & inter naturales, quidam legitimi, alij spurij, & filij liberarum, & ancillarum. Porrò ita scribit Hieronymus super Malachiam cap. 1. de multiplici filiorum acceptione: *in sacro eloquio legimus in malam partem de filiis*, Ephes. 2. *eramus filij iræ*. Dicuntur quoque filij gehennæ, *quos Pharisæi mari terrisque circumitis dignos genuere tormentis*; de quibus Matth. 13. & 23. & Iudas proditor, filius perditionis appellatur Ioan. 17. & Psal. 88. de dæmonio scribitur, *filius iniquitatis non apponet nocere ei*. Hoseæ 2. quoque filij fornicationum vocantur, qui sunt de matre meretrice generati, de qua scriptum est: *fornicata est mater vestra*, & in Euangelio Iudæi filij diaboli sugillantur, *Vos*, inquit, *de patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere*, Ioan. 8. in bonam verò partem filios legimus, vt filios Dei, *quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Ioan. 1. & filios sapientiæ Euangelio proclamante: *iustificata est sapientia à filiis suis*. Matth. 12. & filios Abraham Matth. 3. *Amen dico vobis potens est Deus, de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, & filios Apostoli Gala. 4. *Filioli*, inquit, *mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis*, & multa eiusmodi.

2 Filius autem absolutè dicitur Christus, qui est filius Dei, pro quo sumitur filius Psal. 9. in titulo cùm dicitur: *pro occultis filij*. Dictus est autem filius Dei Lucæ 1. & mox baptizatus, Matth. 3. dictus est à Patre filius: *Hic*, inquit, *est filius meus dilectus*, vt designetur nos in baptismo filios Dei adoptari, & deinceps inter filios Dei comparari, & vocatur filius charitatis Dei Coloss. 1. idem dicitur filius patris familias Matth. 21. & filius hominis regis: solet autem appellari in parabolis filius hominis, etiam vt Deus, secundùm quod Deus pater in ipsis Parabolis dicitur homo, quatenus se gerit vt homo, vt Matth. 22. & Psal. 71. Appellatur etiam filius fabri Christus, vt est filius Patris cœlestis, qui fabricator est mundi. Vocatur etiam filius vnicornium Christus, secundùm potentiam Psal. 28. Porrò cùm clamarent cæci: *Iesu fili David*, Iudæos designabant, solam in Christo humanitatem, cogitantes, & recognoscentes Matth. 20. vocatur autem Christus vermis Iob 25. quia natus de putredine quasi putris, hoc est, de mortalitate mortalis. *Quanto*, inquit, *magis homo putredo, & filius hominis vermis*. Adam quidem fuit homo, & non filius hominis: Christus verò dicitur filius hominis, & non homo, quia non erat homo vetus, sicut Adam, ex cuius progenie ipse est ortus: Hinc David Psal. 21. ait: *Ego sum vermis, & non homo*. Dicitur etiam quasi filius hominis Daniel. 7. vt non intelligatur, sicut vnus ex nobis, purus homo, sed filius Dei, in similitudinem hominum factus. Vocatur autem Psal. 85. Christus filius ancillæ Dei, id est, filius Mariæ. Appellatur & filius olei Isai. 5. quia vnctus, vel quia toti mundo tanquam splendidissimum lumen illuxit.

3 Est ergo Christus secunda in Trinitate persona filius Patris, ab ipso Patre genitus, similis ei in natura, eadem numero: eadem enim essentia est in Patre, & in Filio: quare maximè propriè dicitur filius Dei: de quo Psal. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui: dilexisti iustitiam, odisti iniquita*

quitatem propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. & Ioan. 5. *in principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum:* Hoc verbum Filius est Patris, qui etiam Deus est, sicut & Pater; tribus autem modis accipi solet verbum: sumitur enim pro verbo scripto, & pro eo quod ore profertur, & pro eo quod in mente latet: illi autem, quod in mente occultum est, magis competit ratio verbi, quàm scripto, vel prolato, quia est aliorum causa, atque principium: actiones enim hominum, nullæ profecto essent, nisi prius in mente dicerentur: Ita quoque Deus ipse, ad cuius imaginem homo factus est, multis etiam modis verbum habere dicitur: Habet enim verbum scriptum in libris Prophetarum, habet etiam verbum quod ore sanctorum atque doctorum profertur, de quo ipse apud Hieremiam, cap. 1. *Ecce dedi verba mea in ore tuo*, habet quoque verbum in seipso, quod ab æterno dicit, id est, Filium.

De hoc ergo verbo, siue filio legimus Psal. 33. *Quia rectum est verbum Dei, & omnia opera eius in fide, amans iudicium, & iustitiam: misericordia Dei plena est terra. Verbo Dei cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Hoc ergo verbum 4
Dei, per quod nonmodò quatuor elementa, sed ipsi quoque cœli facti sunt, aliud non est, quàm illud quod Genes. 1. dicitur ראשית Resith, id est, principium: *In principio,* inquit, *creauit Deus cœlum & terram*, id est, in verbo: principium enim hoc non est, nisi sapientia Dei genita: de qua Prouerb. 8. *Deus possedit me in initio viarum suarum antequam quicquam faceret.* Constat ergo idem re omnino esse, licet nominibus differant, principium quo mundus creatus est, & sapientia, quam Deus possedit: in hebraico enim ad verbum est: *possedit me* Resith *principium via sua.* Itaque principium, & verbum, & sapientia Dei idem sunt: vnde Psal. 104. *Quàm multiplicata sunt opera tua. Omnia in sapientia fecisti*, id est, in verbo siue in filio: dixit ergo: *quia rectum est verbum Dei, & omnia opera eius in fide*, & subiungit statim: *amans iudicium & iustitiam*, vt appareat verbum, de quo hîc agimus, rationalem esse substantiam, atque Deo ὁμοούσιον, siue consubstantialem: siquidem amare iudicium & iustitiam, rationalis atque intellectualis substantiæ proprium est: ideò Dei verbum oculus, siue Dei oculi sæpe dicitur: vbi enim de Iudæis apud Ezechielem cap. 7. Dominus dixit: *& non miserebitur oculus meus super te*, sic transfert Chaldæus Paraphrastes: *& non misericordiam habebit verbum meum super te*; in eo autem quod dicit, *& non misericordiam habebit*, manifestè ostenditur verbum Dei vitam habere, cùm esse affectum misericordia sit proprium rei viuentis. Hinc Ioan. 1. *quod factum est in illo vita erat.* Illud etiam Ieremiæ 24. *ponam oculos meos super eos ad bonum.* Idem Chaldæus Paraphrastes transfert: *ponam verbum meum super eos ad bonum*, & illud Amos 9. *Et oculos meos super eos ad malum, & non ad bonum*, exponit etiam Chaldæus Paraphrastes, *& ponam verbum meum super eos ad malum, & non ad bonum*, ad insinuandum quoque huius verbi cum Patre consubstantialitatem. Denique verbum Dei in sacris literis quandoque etiam, facies Dei, & aliquando os Dei, nonnunquam verò manus Dei, appellatur. Facies Dei dicitur apud Ieremiam cap. 5. *Si à facie mea non formidabitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum æternum, quod non præteribit*, quod etiam ipse Ionatas transtulit: *si co-*

ram verbo meo non formidabitis. Vocatur autem os Dei Isaiæ 48. *Priora ex tunc annunciaui, & de ore meo exierunt:* Ionatas verò transfert: *& ex verbo meo prodierunt.* Ieremiæ quoque 15. verbum os Dei appellatur: *Si conuerteris*, inquit, *conuertam te*, &c. *Si eduxeris pretiosum à vili os meum eris:* quod etiam sic exponit Chaldæus Ionatas: *si conuerteris impios, vt fiant iusti, beneplacitum verbi mei complebis.* Vocatur porrò manus Dei Isai. 48. *Manus quoque mea fundauit terram*, quod etiam Ionatas interpretatur: *verbo quoque meo fundaui terram.* Si & illud Isai. 45. *Ego feci terram, & hominem super eam creaui. Manus mea tetenderunt cœlos*, transfert Ionatas Chaldæus: *Ego verbo meo feci terram, & homines super eam creaui.* Ex his quæ dicta sunt manifestè liquet, verbum Dei, quod idem est ac sapientia Dei, qua mundum è nihilo creauit, atque perfecit, eiusdem prorsus substantiæ cum Deo esse.

5 Notanda etiam sunt verba illa Isai. 45. *Israël saluatus est in domino salute æterna: non confundemini, & non erubescetis vsque in sæculum sæculi:* Dixit enim Isaias: *Saluatus est in* יהוה IEHOVA, *in Domino*, quod nomen nulli nisi Deo tribuitur. Cùm ergo loquatur de Filio, constat Filium Deum esse: Nam Chaldæus Paraphrastes transfert: *Israël saluatus est in verbo Dei*, ergo verbum Dei Deus est, cùm illi nomen Dei Tetragrammaton conueniat. Sic etiam quod dicitur Oseæ 1. *Et domus Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo*; ibi pro Domino, est IEHOVA in hebraico, vbi transfert Ionatas Chaldæus: *in verbo Dei sui.* Illud quoque Isaiæ 8. *& addidit Dominus, loqui ad me*, nempe IEHOVA: sic enim habet originale: vertit Chaldæus, *& adiecit verbum Dei loqui ad me adhuc.* Quod porrò dicitur Isai. 41. *ne timeas, quia tecum ego sum*, Ionatas transtulit: *ne timeas quia in auxilium tuum verbum meum.* Verba quoque illa Isaiæ 44. *Dominus Redemptor tuus ex vtero, ego Dominus faciens omnia, extendens cœlos per me solum, & firmans terram per eum, qui est apud me:* sic transfert Chaldæus Paraphrastes: *Dominus qui redemit te, & formauit te ex visceribus. Ego Dominus extendi cœlos verbo meo, vel per verbum meum: formaui terram in virtute, vel fortitudine:* Quod maximè quadrat cum eo quod legimus Ioan. 1. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Cùm ergo in omnibus his, ac aliis permultis locis, in quibus Prophetæ IEHOVA, id est, Dominum posuerunt, Ionatan Chaldæus Paraphrastes vir magnæ auctoritatis, qui ante Christi aduentum scripsit, verbum Dei transtulerit: consequens est Deum ipsum verbum esse, & verbum Dei idem esse quod filius, esseque secundam Trinitatis personam.

6 Propheta quoque regius Dauid verbis illis: *mittet verbum tuum, & sanabit eos*, Psal. 147. vaticinatur Iesu Christi Domini nostri aduentum, qui rectè dictus est verbum: est enim Iesus verbum Dei, & nuntius verborum Dei, quod in eius aduentu completum est, cuius opera innumerabiles ægroti sanati sunt, & liberati, non solùm ab infirmitate corporum, sed etiam animarum. Quare illud quod legimus Oseæ 14. *Ergo quasi ros Israël: germinabit sicut Libani, & erumpet radix eius vt Libani*, Ionatas exponit: *erit verbum meum velut ros Israëli:* quo respiciunt verba illa Oseæ 6. *Et veniat quasi imber nobis temporaneus & serotinus*

tinus terræ. Sicut ergo ros per herbarum superficiem se suauiter diffundens, herbis & plantis tribuit virorem,& vigorem , & quod æstus diurnus descendendo & consumendo declinauerat,ros nocturnus humectat, fouet,& erigit: sic Filius Deus,& verbum æternum ac redemptor fuit quasi ros omnibus in eum credentibus , & eius præcepta seruantibus , diuina in eos conferens & diffundens dona.

D.Basilius in homilia super verba illa Ioannis: *In principio erat verbum* , cur 7
Filius Dei verbum dicatur,quatuor dat causas:prima est,vt Filium Dei mente Patris productum significetur:hæc est præcipua & propria·altera est,vt significetur,Filium Dei sine motu processisse: tertia est, quia imago est genitoris, totum in se monstrans genitorem, sicut verbum nostrum totius cogitationis nostræ imaginem refert:quarta est, vt consubstantialitas ad Patrem significetur:verbum enim manet intra ipsam mentem producentem. Hæ rationes Basilij, cur Filius Dei verbum sit, perfectè explicant quæ non ab effectu , sed ab ipsa re absoluta sumptæ sunt: verbum enim mente producitur, sine motu procedit,in mente manet,rem cognitam exprimit, tanquam imago quædam, talis est Dei Filius ab æterno,ob id verbum dicitur, & est Patris. Eadem ferè dicit Gregorius Nazianzenus oratione 4.Theolog.cuius verba sunt:*Filius mihi dici videtur,quoniam essentia idem est cum Patre: tum etiam quia ex illo est. Vnigenitus autem , non quia solus ex solo & solum , sed etiam quia peculiari modo quodam, & non vt corpora: verbum porrò, quia ita se habet ad Patrem , vt sermo ad mentem , non modò propter generationem , passionis omnis expertem , verùm etiam propter coniunctionem ipsius cum Patre, vimque enunciatricem. Fortasse etiam quia eodem modo se habet ad Patrem,quo definitio ad definitum. Qui videt*,inquit, *Filium, videt Patrem Ioann.* 14. *breuis enim & compendiosa , facilisque naturæ declaratio Patris est Filius.* hæc Gregorius. Quamuis igitur Filius verbum dici possit ab effectu, quia Patrem nobis manifestat.& quia in eo nobis locutus est Pater quia præterea promissum est venturum in carne: tamen propria & vera ratio est , quia ab æterno procedit ex mente Patris, vera imago & notitia ipsius. Nec hoc Augustinum latuit libro quæstionum ex vtroque Testamento ca.122.qui quamuis ab effectu causam assignauerit,non propriam tamen libro 7.de Trinitate cap. 1. verùm & propriam agnouit , & docuit rationem , nempe verbum esse quia ab intellectu paterno procedit, iuxta quam Catholicam doctrinam Theologi verbum nomen esse personale docuerunt.

Dicitur autem verbum græcè λόγος,quæ vox apud Græcos,quia multipli- 8
cem habet significationem,factum est inde vt non omnes eodem modo eam interpretentur:Quidam enim legunt loco verbi,*sermonem*,nempe Hilarius lib. 4.de Trinitate,& Ambrosius lib.de fide contra Arianos cap.2. Cyprianus lib. 2.contra Iudæos cap.3.& 6.Tertullianus autem in Apolog.cap.21.legit,*sermonem & rationem.* Tamen libro aduersus Praxeam affirmat , per simplicitatem Catholicorum inductum esse , vt legatur sermo , cùm potius legendum esset, *in principio erat ratio*:nam ratio est ante sermonem. Origenes tomo 1.in Ioann. vtroque exponit modo,& rationem & sermonem. Augustinus etiam tract. 118.illud Ioan. 11. *sermo tuus veritas est*, exponit de Filio, de quo dictum est, *in*

principio erat verbum: Idem Augustinus tract. 1. & Ambrosius libr. de fide cap. 5. & Hylarius lib. 1. de Trinitate, exponunt & interpretantur, *verbum*: nam apud antiquos doctores, modò vnum, modò alterum reperitur. Causa autem huius rei est, quia, vt diximus nomen λόγος varia significat, nempe verbum, sermonem, orationem, virtutem, formam, definitionem pactum, opus, & alia multa; tamen conuenientissimum omnium est nomen verbi, quod latina Ecclesia iam communissimè recepit. Augustinus lib. 83. quæst. cap. 63. dicit rectius dici, *in principio erat verbum*, quàm *in principio erat ratio*, cuius causam assignat, quia rationis nomen non designat processionem à Deo, quam quidem vim habet nomen verbi: nam verbum loquentis verbum est, quod Deo magis proprium est, cuius verbum ab ipso procedit. Adde rationem reperiri in eo qui adhuc non actu intelligit, & verbum non est, nisi in intelligentibus actu, quod Deo maximè conuenit. Nec ratio est prior verbo interiori in Deo, qui actu semper, & ab æterno intelligit. Præterea sermo quandam compositionem significat, verbum autem simplicitatem: hæc autem magis conueniunt Dei locutioni, quæ vnica & simplicissima est, nec pluribus constat verbis. Neque etiam obstat sermonem esse perfectiorem, quia totus sensus sermone clauditur: nam vnicum etiam verbum aliquando integram sententiam complectitur. Et præterea verborum multitudo ex imperfectione audientium, & loquentium procedit. Denique quia verbum, quod est conceptus mentis, & similitudo quædam rei intellectæ, diuino verbo maximè congruit, quod quidem est Dei imago perfectissima,

9 Vsus autem est Ioannes in principio sui Euangelij magis nomine verbi quàm filij, quando dixit: *in principio erat verbum*, & non dixit: *in principio erat Filius*, quia hæc propositio, *in principio erat verbum*, notior est, & apparet rationi conformior, quàm hæc, *in principio erat filius*, Hæc enim sola fide noscitur: nulla enim ratio fidei destituta lumine, Deum Filium coæternum sibi habere assequitur. At illa veritas etiamsi fide perfectè noscatur, tamen videtur rationi satis conformis si enim naturalis ratio dictat vnum esse Deum æternum, & ante omne principium, eámque substantiam esse mente præditam, & intellectualem, necesse est cum eadem ratione in seipso intelligere, & loqui ab æterno: vnde verbum, quod æternæ mentis notitiam, & conceptum significat, æternum erit, & sic notior est veritas, *in principio erat verbum*, quàm, *in principio erat filius*. Si autem ad res creatas aspicias, ab hoc Deo procedentes, notior etiam est hæc veritas: nam in principio rerum omnium fuisse verbum, sapientiam mentis conceptum, rationi planè videtur consentaneum: mundi enim hæc fabrica variè auctorem eius sapientem, & mente præditum, & ratione ac sapientia considerare & gubernare cuncta probat. Casu enim, aut ab agente mentis experte fieri non posse naturalis ratio conuincit, idque multi gentiles Philosophi nouerunt; quod etiam Dauid psalm. 18. docuit, dicens: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam*, id est, ordo & constitutio hæc dierum & noctium ostendit auctorem scientia præditum, & verbo rationis vti. Tertullianus in Apolog. cap. 21 docet aliquos Philosophos Ethnicos λόγον, id est, rationem, & sapientiam artificem fuisse vniuersorum, affirmasse. Platonicis

cis etiam quibusdam hoc Ioannis exordium placuisse refert D. Augustinus lib.10.de ciuitate Dei cap.29.quos non alium ex his verbis percepisse sensum existimo, quàm scientia & ratione primum principium omnium præditum esse,& hoc Deum esse. Notiorem ergo istam veritatem esse constat, & hac de causa Euangelistam hoc nomine vsum, ex quo vt arbitror inferre licet, quàm contra rationem,& veritatem fuerint hæreses quorundam, negantium verbum in Deo,ob idque dicti sunt Alogiani,quasi sine verbo:quorum meminit Augustinus libro de hæresibus cap. 30. qui etiam negabant hoc initium esse Ioannis, quasi isti non conuincerentur aliis testimoniis eiusdem 1. epistolæ cap. 1. *Audiuimus*,inquit,*de verbo vita*,& Apocalip. 19.*Nomen*, inquit,*eius verbum Dei*.Sunt etiam alia multa scripturæ testimonia pro hac veritate.

Alteram causam eiusdem rei esse arbitror,quia statim per hoc verbum om- 10
nia facta esse enunciaturus erat Euangelista; At expressior & significantior est ista veritas,*per verbum facta sunt omnia*,quàm *per filiũ*, quia illa locutione significatur facta esse cum consilio, & cum sapientia, & sine labore ac difficultate, quia verbo facta sunt. Quæ tamen in hac sententia, *per filium facta sunt*, non explicantur. Tertiam causam adiungere possumus,quia connectebat nouum veteri Testamento: in hoc autem verbo cuncta fecisse Deum narratum est. Volens ergo Euangelista quid hoc verbum, & quale sit, & alia de ipso narrare,vsus est nomine verbi,vt hoc illud idem esse doceret,quod factum est caro,& reparauit vniuersa cũ eo,quod principio cũcta creauit. Quarta adhuc causa est,vt dignitatem Euangelij significaret: illi enim Prophetas habuerunt doctores, nos Dei Filium & verbum Patris, illéque locutus est nobis: Hinc hebræor. 1.*Loquens*, inquit, *olim Deus Patribus in Prophetis, nouissimè loquutus est nobis in Filio.* Vt ergo filium nobis doctorem extitisse significaret, ipsum Filium verbum appellat. Quinta & vltima causa est vt filij originem adhuc distinctius exprimeret,qui à Patre,& ex mente Patris,& sine motu, & intra Patrem,cui consubstantialis illi procedit: Hoc enim nomen verbi, & modum, & qualitatem huius æternæ, & spiritualis, & intellectualis generationis exprimit.

Caput XI. DE PROCESSIONE DEI.

QVamuis spiritus halitum significare soleat, vnde spirare dicitur, qui ha- 1
litum emittit,ita vt spiritus pro vento sumatur:Aliquando tamen significat,non ventum aut huiusmodi aliquid tenuissimum,qualia sub cœlo multa fiunt,& gignuntur, quæ corpora sunt, sed naturam cognitione & intellectione valentem,virtutis aut vitij ex vi & origine sua capacem. Incorpoream autem, & quæ neque corpus animalibus simile habeat, iuxta illud Lucæ 22. *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Itaque huius breuissima descriptio illa erit,vt naturam corporis expertem,intellectus participem,actionisque compotem definiamus. Sic illæ quæ supra naturam humanam,& infra naturam diuinam immortales, & efficaces virtutes ad ministerium creatæ sunt,spiritus dicuntur,vt psal.103.*Qui facis Angelos*

los tuos spiritus: sic etiam animæ natura immortalis, agilis, quæ efficacitate, & vi magna prædita est, spiritus quoque dicitur. De hominis enim anima scriptum est psal. 145. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam.* & Daniel. 3 *Benedicite omnes spiritus & animæ iustorum Domino*: sed magis impropriè aliorum quoque animantium viuificans anima spiritus dicitur, vt psal. 103. *Auferes spiritum eorum & deficient, & reuertentur in terram suam.* Illa verò frequentissima plurimisque exemplis obseruata ratio est, qua spiritus pro facultate, & virtute ad aliquid agendum, in eaque actione præstandum vsurpatur, & pro vehementi aliqua affectione & perturbatione. Namque ipsum nomen *spiritus*, vehementem efficacitatem, aut motum significat, ad illa natura sumpto vocabulo, quæ quòd quiescere nesciat, sed moueri, & mouere agitaréque alia consueuit, à latinis ventus, à græcis ἄνεμος appellata est. Atque hanc efficacitatem à Deo datam esse hominibus, apertè testantur scripturæ, vt Iob 32. *Sed vt video spiritus est in homine, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Atque omnis prudentiæ, sapientiæ, & intelligentiæ, omnis denique artis singularis virtus in aliquo spectata, spiritus nomine indicatur, vt Genes. 41. *Num inuenire poterimus virum, qui spiritu Dei plenus sit?* & Exod. 28. *loqueris sapientibus corde, quos repleui spiritu prudentiæ*, & Deut. 34. *Iosue filius num repletus est spiritu sapientiæ*, Prouerb. quoque 1. *En proferam vobis spiritum meum.* Spiritus etiam pro animo & consilio vsurpatur: sic Iosue 5. *Non remansit in eis spiritus*, & psalm. 54. *à pusillanimitate spiritus & tempestate*, Iob quoque 7. *loquar in tribulatione spiritus mei*, & Prouerbior. 16. *spirituum ponderator est Deus.* Nonnunquam sumitur spiritus pro ira, & indignatione, vt Iudicum 8. *Et requieuit spiritus eorum qui tumebant contra eum*; ad hunc modum spiritus zelotypiæ dicitur Numer. 5. & psal. 106. *Exacerbauerunt spiritum eius*, & Eccles. 1. *Vanitas, & afflictio spiritus, anxiatus est super me spiritus meus.*

2 Si autem spiritus ad hominnem referatur, aliquando pro diuina iurisdictione, & sanctificatione ponitur, vt Galat. 3. *Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* spiritualia dicuntur omnia ministeria ad pietatem spectantia, vt 1. Corinth. 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum si nos carnalia metamus.* Vsurpatur etiam non rarò ad præsentem humani animi motum significandum, siue ea vis naturalis, insitaque hominibus, siue extrinsecus à Deo vel ab Angelo, aut à dæmone, vel aliunde oblata fuerit, quocunque modo id accidat, præsentem atque efficacem vim id nomen significat, siue bonum, siue malum sit quod efficitur; id autem ex adiuncto nomine, vel verbo dignosci planè poterit, vt spiritus tristis vehementem tristitiæ affectionem: spiritus lætitiæ, lætitiam, iucunditatémque maximam: spiritus fortitudinis, magnum robur: spiritus labiorum efficacem orationem, spiritus iræ terribilem indignationem, atque hoc modo alias & alias mentium impulsiones, huiusmodi adiuncta significant, quæ quoniam multa ac varia sunt, hîc recenseri longum ac superuacaneum esset. Significat etiam interdum spiritus, donum Spiritus sancti, vt Exodi 28. *Quos repleui spiritu prudentiæ.* Aliquando ipsum solem designat, vt Eccles. 2. *In circuitu pergit spiritus.* Nonnunquam vitam significat, vt Iob 17. *Spiritus meus attenuabitur*: voluntatem quoque, vt secundo Paralip. 36.

Suscitauit

Suscitauit Dominus spiritum Cyri. Spiritus autem in vtroque Testamento, iuxta Hieronymum super Micheam cap. 2. & Abacuch 2. vbicunque sine additamento p onitur, in bonam partem intelligitur, vt Gal. 5. *Fructus autem spiritus, charitas gaudium, pax, &c.* & Gal. 6. *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulamus*, & Romanorum 8. *Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis*: à contrario malus spiritus ferè semper legitur cum additamento, vt Matth. 12. *Cùm immundus spiritus exierit ab homine*, & Lucæ 9. & 1. Reg. 16. sicut Micheæ 2. & Abacuch 1. & 2. positum hoc nomen cum additamento malum habet sensum: Quamuis enim in bonum aliquando cum additamento ponatur, aliquando sine eo, in malum nunquam sine additamento ponitur.

Spiritus autem Domini accipitur pro Spiritu sancto, spiritu increato, & tertia in Trinitate persona in variis sacræ scripturæ locis, vt Gen. 1. Isaiæ 42. Ioelis 2. & aliis locis, ipse est spiritus rectus, hoc est, director, quem sequens anima in veritate quærenda, deuiare, atque errare non potest. Item spiritus principalis, potens ad operandum de quo psalm. 50. Et est effusus de excelso per sua dona in Pentecoste, & est egressus à facie Dei, quia missus à Patre, de quo Isaiæ 32. & 57. & 59. & 63. Est autem Spiritus sanctus spiritus adoptionis, vt habes Romanorum 8. vt enim spiritus seruitutis est, qui potestatem habet mortis: ita spiritus adoptionis est Spiritus sanctus. Apud Ezechielem autem cap. 1. impetus spiritus est impulsus Spiritus sancti, & cap. 37. spiritus inductus in ossa, Spiritum sanctum designat: sicut etiam Apocal. 1. spiritus septem in conspectu throni, Spiritum septiformem significant, quo firmantur Angeli, 1. autem Thessalonicensium 5. per spiritum non extinguendum D. Paulus furorem Spiritus sancti significare voluit. Est autem Spiritus sanctus verus Deus, de quo Christus Ioann. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à me procedit*: quæ verba si rectè consideremus intelligemus quis sit Spiritus sanctus, & ad quid, & quomodo mittendus; imprimis ex his verbis habes distinctionem eius personæ à persona Patris & Filij: nam à Filio mitti, & à Patre procedere, & etiam venire illi conuenit. Sicut ergo distincta sunt hæc tria, mittere, & procedere ab alio, & venire: ita sunt distinctæ personæ, mittens, & à quo procedit, & qui venit. Habes etiam secundo loco substantiam eius: est enim Patri consubstantialis, quia à Patre procedit; cùm autem Filius sit Patri consubstantialis, quia à Patre gignitur fit vt totæ tres personæ vnius sint & eiusdem substantiæ. Habes tertio loco, ita esse distinctam per sonam, & consubstantialem duabus, vt procedat ab vtraque: Nam à Filio mitti, & à Patre procedere dicitur, quod non est aliud quàm ab vtroque procedere, & mitti. Habes quartò procedere quidem à Patre, tamen non dici Filium, sed Spiritum sanctum eiusdémque processionem non esse generationem, & in hoc impegit Macedonius hæreticus: non enim capiebat qua ratione productus esset Spiritus sanctus, consubstantialis Patri, & non diceretur Filius, & productio eius generatio: idcirco suo ingenio infinitam Dei majestatem metitus, negauit Spiritum sanctum procedere consubstantialiter, Deúmque esse cum Patre & Filio: in cuius superbiam Sancti omnes acriter inuehuntur. Athanasius in epistola ad Serapion,

Basilius lib. 3. contra Eunomium, & Gregorius Nazianzenus oratio. 5. Theologiæ eius argumentum proponunt: Quomodo si productus est, & consubstantialis, non est genitus & filius? omnes respondent fidem esse habendam scripturæ & Ecclesiæ: cùm enim in naturalibus multa sint mirabilia, quorum ratio ignoratur stultum est, velle nihil esse in Deo, quod non sit ratione compertum: ita Sancti respondent. Augustinus lib. 2. de Trinitate cap. 3. & lib. 5. cap. 20. & lib. 15. cap. 27. aliquas congruas rationes affert, similiter & Anselmus Monolog. cap. 53. tamen vera & certa ratio ignoratur, vt docet Damascenus lib. 1. de fide cap. 10. His etiam nos acquiescimus fide, dicentes: Spiritum sanctum à Patre & Filio non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem. Habes quintò ex his etiam verbis venturum Paracletum, & veritatis Spiritum, id est, ad adimplendum animas cælesti consolatione, & dona gratiæ infundenda, ac veritatem Christi manifestandam.

4 Præterea Spiritum sanctum Deum esse, ac Patri & Filio consubstantialem, probatur ex illo Isaiæ loco cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* In hebraico legimus: רוח יהוה RVACH IEHOVA spiritus Iehoua, id est, spiritus qui est IEHOVA Deus: hoc enim nomen Iehoua tetragrammaton, soli Deo conuenit. Omnes autem hunc locum de Christo exponunt, tam Catholici, quàm Iudæi: quòd si spiritus Iehoua, qui est Iehoua, requieuit super eum, ergo spiritus qui est Deus & Iehoua, super eum mansit, ergo tertia in Trinitate persona Deus est. Hinc psalmo 18. *Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ*: hebraica habent ad verbum, *ad inspirationem spiritus nasi tui* iuxta id quod dicitur Exod. 15. *Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*: vbi quidam notant dictum nasi spiritum, quòd duæ nares diuinæ, hoc est, duæ personæ, Pater scilicet & Filius, sint vnus nasus, id est, vnum tantùm principium, spirans Spiritum sanctum. Illud etiam psalm. 142. *Spiritus tuus deducet me in terram rectam*, ita exponitur, vt per spiritum bonum, Spiritus sanctus intelligatur, quem spiritum principalem vocat idem Propheta psalm. 50. cùm ait, *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Colligunt autem quidam, hunc Spiritum sanctum cum Patre pariter & Filio mundi fuisse auctorem, hominúmque opificem ex illo loco Iob 13. quando dicit Heliu: *Spiritus Dei fecit me & spiraculum omnipotentis viuificauit me*, & ex illo psal. 103. *Emittes spiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ*, & psal. 33. *verbo Dei cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, in hebraico legimus: *exercitus eorum* id est cælorum, exercitus autem cælorum in sacris literis, sunt sol, luna, stellæ, & quotquot ibi virtutes, ac vniuersi Angeli: est ergo horum creator Spiritus sanctus sicut Pater & Filius. Et quamuis locum illum Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Chaldæus Paraphrastes de vento exponit: sic enim vertit: *Ventus à conspectu Dei insufflabat*, vbi vocat spiritum Dei ventum à Deo excitatum, iuxta illud psalm. 147. *Flabit spiritus eius & fluent aquæ.* Ipsis etiam hebræis magis placet, vt de spiritu diuino intelligatur, quasi dicat: Spiritus Domini arcana sua virtute fouebat substantiam illam aqueam, rudem

& indi

& indigestam, vt stabilis permaneret ad tempus: vnde D. Hieronymus lib. de quæst. hebraicis, *Pro eo* inquit. *quod in nostris codicibus scriptum est, ferebatur, in hebraico habe.* מרחפת MERACHEPET, *quod nos appellare possumus, incubabat, siue confouebat, in similitudinem volucris oua calore animantis: ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, sed de spiritu sancto, qui vt ipse viuificator omnium à principio dicitur: si autem viuificator, consequenter & conditor: quòd si conditor & Deus: emitte enim, ait, spiritum tuum, & creabuntur.* hæc Hieronymus.

Caput XII. DE INCARNATIONE DEI.

VT *fidentius homo ambularet ad veritatem*, inquit Augustinus libro 11. de ciuitate Dei cap. 2. *ipsa veritas Deus, Dei filius, homine assumpto, eandem instituit, atque fundauit fidem, vt ad Deum iter esset homini per hominem Deum: hoc est enim mediator Dei & hominum, homo Christus, Iesus Christus, per id quod est mediator, est homo, & via perueniendi ad Deum, per id enim mediator, per quod & homo, per hoc & via: Quia si per eum qui tendit, & illud quo tendit, via media est, spes est perueniendi: si autem desit aut ignoretur, quà eundum sit, quid prodest nosce quo eundum sit, sola est autem aduersus omnes errores via munitissima, vt idem ipse sit Deus & homo, quo itur Deus, qua itur homo.* hæc Augustinus. Quare vt idem docet Augustinus lib. de Trinitate cap. 11. *Christus in suo aduentu vt homines in illum crederent, & tanquam mediatorem susciperent, non solum opera facta secundùm formam serui, sed secundùm formam Dei voluit manifesta fieri. Nam secundum formam Dei Ioan. 1. omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil; secundùm formam serui factus sub muliere, factus sub lege. secundùm formam Dei, ipse & Pater vnum sunt, secundùm formam serui, non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius, qui misit eum. Secundùm formam Dei, sicut habet Pater vitam in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso: secundùm formam serui, tristis est anima eius vsque ad mortem, & Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix. Secundùm formam Dei ipse est verus Deus, & vita æterna, secundum formam serui, factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* hæc Augustinus. 1

Tam formam serui quàm formam Dei verbi incarnati, docet D. Hieronymus in lapide adamantino sacras literas indicare, cui similem dicit Christum, explicans verba illa Amos cap. 7. *Hæc ostendit mihi, & ecce Dominus stabat super murum litum, & in manu eius trulla cementarij.* quod idem sic vertunt Septuaginta. *Ostendit mihi Dominus, & ecce vir stabat super murum adamantinum, & in manu eius adamas.* Vbi Hieronymus: *Adamantem*, inquit, *pro eo quod in hebraico est* אנך ANAC *scriptum transtulerunt. Adamas*, inquit, *sui nominis lapis est, quem latinè indomitum possumus appellare, eò quod nulli cedat materia, nec ferro quidem: nam si ponatur super incudem, & graui ictu feriatur malleo, antea incus & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur. Cùmque ignis omnia domet, & vniuersa metalla consumat, reddit adamantem duriorem, vt nec paululum in eo angulum vis nimij ardoris obtundat. nulla denique lima minui potest. sic è contrario limat, terit, & quæuis attigerit lineis sulcat. Hic lapis durissimus & indomabilis solo hircorum cruore dissoluitur, & missus in calidum sanguinem, perdit fortitudinem suam. Est autem paruus & indecorus, ferrugineu* 2

habens colorem, & splendorem crystalli, dicitur quoque in electri similitudinem, venena deprehendere, & maleficij resistere artibus. Talis est Dominus & Saluator, qui cùm in forma Dei esset, non rapinā arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus Philip. 2. De quo Isaias scribit, non est ei species neque decor, vidimus eum, & non erat aspectus. hactenus Hieronymus.

3 Verbum itaque caro factum est & habitauit in nobis vt vulnera nostra curaret, & medicum se peritissimum præstaret: non est enim opus medico valentibus, sed malè habentibus; ideóque D. Augustinus libro 1. de doctrina Christiana cap. 14. *Quemadmodum*, inquit, *medici cùm alligant vulnera non incompositè, sed aptè id faciunt, vt vinculi vtilitatem quadam etiam pulchritudo consequatur: sic medicina sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam similibus; sicut enim ille qui medetur vulneribus corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, & humidum sicco, vel quid aliud huiusmodi, adhibet etiam similia quædam, sicut linteolum, vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturámque ipsam non eandem omnibus, sed similem similibus coaptat. Sic sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum, serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Nos immortalitate malè vsi sumus, vt moreremur: Christus mortalitate bene vsus est, vt viueremus. Corrupta anima fœminæ ingressus est morbus: integro corpore fœminæ processit salus. Iam verò similia quasi ligamenta membris & vulneribus nostris adhibita illa sunt, quòd per fœminam deceptos, natus homo, homines mortales morte mortuos liberauit.* hæc Augustinus.

4 Summam verò Christi humilitatem, quæ maximè in Christi incarnatione splendet, declarauit Tranquillus quidam Christianus apud Surium in vita sancti Sebastiani, quod ipse in hæc verba refert. *Dixit*, inquit, *Præfectus Tranquillo cuidam Christiano: Ego de Christo vestro interrogo, si id solùm à vobis colitur quod hisce oculis non videtur, cur Christum colitis qui & visus, & auditus, & interrogatus est, & omnia quæ humanæ fragilitati competunt, in eius passione leguntur esse completa. Tranquillus respondit: Audi tu similitudinem, & intellige veritatem: si hodie annulum tuum, gemma pretiosa insignitum videas in cloaca, aut in sterquilinio volutari, & ad eum extrahendum mittas seruos tuos, illi autem illum non modò non queant apprehendere, sed seipsos interea inquinent, postea verò tu ipse positis sericis, quibus indutus es vestibus, seruilem te tunicam induas, & descendens in cloacam, manus tuas mittas in stercus, vt annulum aureum vnà cum gemma recuperes. An non illo recepto præ gaudio amicos tuos inuitabis ad epulas, & ad extractum è cloaca & sordibus annulum gemmámque lætaberis. Præfectus dixit: cuius rei causa hanc adduxisti similitudinem. Tranquillus respondit, aurum corpus hominis, gemma verò anima, quæ in ipso inclusa est corpore: corpus verò & anima vnum faciunt hominem, sicut aurum & gemma vnum efficiunt annulum: sed quemadmodum tibi pretiosus & charus est annulus, ita, vel centuplo pretiosior est anima hominis Christo. Tu misisti seruos, vt annulum è sordibus leuarent, nec eum tamen vlla ratione extrahere potuerunt: ita & Deus misit Prophetas suos de cœlo, loquens ad eos, vt humanum genus de cœno huius mundi eleuarent: at nullo pacto, nulla instantia id facere potuerunt. Tu deposuisti vestes aureas, & seruili sumpto habitu descendisti in cloacam*

cloacam, manúsque tuas misisti in sordes, vt annulum inde eriperes: sic & diuina maiestas se suo splendore exuit, non tamen superna deserens, & induit se seruilis nostri corporis indumento, atque hic in cloacam huius mundi è cœlo descendens, misit manus suas in sordes passionum nostrarum, & passionem, quæ nostris debebatur meritis, in se suscipiens, gloriæ nos suorum reddidit dignos. Nam qui per incredulitatem volutabamur in squaloribus mundi, per fidem abluti à sordibus diuinis sumus manibus. Interea verò si qui serui tui, dum te in seruili cernerent habitu, tuum negassent dominium, an non iure, vt rebelles occidi potuissent: ita nimirum qui negant Christum Dominum suum, propterea quòd à maiestate sua se exinaniuit, formam serui accipiens, aut quaquam poterunt æterni ignis pœnas euadere. hactenus Tranquillus.

Iam verò animam Christi Verbo, ab instanti incarnationis fuisse beatam, indubitatum est apud Theologos: si enim non fuisset beata, maximam hoc in mente Christi argueret imperfectionem: humanæ enim menti imperfectio est, si fœlicitas desit. Nam videre Deum per speculum in ænigmate imperfecti hominis esse, testis est Paulus 1. Corint. 3. in hæc verba: *Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus: quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc facie ad faciem nunc cognosco ex parte.* Quia igitur ab vtero Christus non sapiebat vt paruulus: id quod Hieremias prædixit, inquiens: *Nouum creauit Deus super terram, mulier circundabit virum, &c.* Hierem. 31. Adde quod cui communicatur esse, ei etiam communicatur propria operatio rei, quæ consequitur ipsum esse: vt cui datur esse ignitum, ei quoque datur vt calefaciat: & cui daretur esse solis, hic sine dubio illuminaret: At propria Dei operatio est videre seipsum: hac enim visione beatus est. Ergo cùm anima Christi haberet esse diuinum, participabat & quodammodo (quo pacto humanæ naturæ cõmunicari potest) diuinæ naturæ propriam actionem & operationem, atque ideò videbat Deum. Denique maior est vnio animæ Christi cum verbo, quàm vnio beatorum, sed ex hac existit claritas in intellectu beati, vt Deum videat, ergo multò magis ex illa talis claritas orietur: quod D. Thomas hac ratione confirmat: Nam quantò receptiuum propinquius est causæ influenti, tantò abundantius, & plenius recipit influentiam eius: sed mens Christi propinquior erat causæ luminis gloriæ, quàm omnes Angeli beati: plenius ergo atque perfectius cognoscebat Deum. Argumentatur præterea D. Thomas, gloriam in anima fieri ex eo quòd diuinitas sit præsens intellectui, sicut lumen in aëre presentia solis: Quia enim gloria Dei ingrediebatur per orientalem viam, terra splendebat à maiestate eius, Ezechiel. 43. cùm ergo lux ipsa non solùm ingressa fuerit in anima Christi, sed etiam ei fuerit in idem esse personale coniuncta, claritas gloriosa inde sequuta est, vt splendor sequitur solem: vnde Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*, vt per veritatem perfectissimam Dei cognitionem, & beatam intelligamus. 5

De incarnationis autem mysterio Dionysius Areopagita 2. cap. de diuinis nominibus: *Iesu*, inquit, *in carne apparitio, & ineffabilis est sermone omni, & omni ignota intelligentiæ: ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primati non satis perspe-* 6

tia. Et Damascenus lib. 3. de fide cap. 1. mysterium hoc vocat nouum omnium nouorum, & solum sub sole nouum, per quod Dei apparuit infinita virtus, bonitas, & sapientia. Leo verò Pontifex Maximus concionibus de natiuitate, cùm esset ipse cardo, & vertex totius Ecclesiæ, hoc mysterium sacramentum miraculorum, quasi omnium cardinem, & verticem celebrauit. Cyrillus autem Alexandrinus ad Reginas ait, hoc esse quasi Ænigma sacratissimum, quod summa potius veneratione suscipiendum est, quàm humanæ iudicio trutinæ subiiciendum. Quamobrem meritò Agapetus Papa Epistola ad Antimum scriptum reliquit, solius contemplatione fidei cernendum esse, ad quæ prouehatur humilitas carnis, ad quæ etiam inclinetur altitudo Deitatis. Quid sit, quod caro sine verbo non agit, & quid quod verbum sine carne non efficit, quomodo Christus ita inter Deum, & hominem mediator apparuit, vt solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.

7 Quidam vocem ipsam incarnationis, quòd latina non sit, reprehendere ausi sunt. Quin potius refert Athanasius, interdum Catholicos illa vti formidasse, ne diuinum verbum solùm carnem sine anima sumpsisse, cum Appollinari, & Arrio sentire viderentur: sed non est quòd, vel vocis nouitatem, vel periculum timeamus: vulgare enim est illud Ciceronis, *Inuentis nouis rebus, noua licere adinuenire vocabula*, quæ tum maximè omni reprehensione, & periculo carent, cùm & in re ipsa, & in vsu sapientum fundamentum habent. Hæc autem incarnationis vox in ipso mysterio, *quo verbum carò factum est*, & in his eisdem verbis, quibus Euangelista Ioannes illud explicauit, fundata est. Nomen verò carnis, tam in verbis Ioannis, quàm in voce incarnationis, non excludit animam, sed ab ignobiliori parte integram humanam naturam significat, vt Ambrosius, & Augustinus variis locis adnotarunt, & optimè Cyrillus Alexandrinus lib. de incarnatione vnigeniti cap. 24. & D. Thomas contra Gentes cap. 33. Et habet fundamentum in frequenti vsu scripturæ sacræ, in qua nomine carnis totus homo significari solet, vt constat Genes. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam*. & Lucæ 3. *videbit omnis caro salutare Dei*: item ad Rom. 3. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro*. Hac igitur ratione ad significandam humanæ naturæ assumptionem, antiquissimi, & linguæ latinæ peritissimi Patres vtuntur hac voce, vt Leo Magnus concione 2. de natiuitate, Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum cap. 11. Cyprianus lib. 2. contra Iudæos cap. 2. Augustinus 9. de ciuitate Dei cap. 17. & Hieronymus in illud Marci 1. *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius*, & eandem vim habet vox græca σάρκωσις, qua vtitur Cyrillus lib. de incarnatione vnigeniti, & Damascenus lib. 1. de fide cap. 13. & lib. 3. cap. 6. vbi etiam ἐνανθρώπησιν, id est, inhumanationem vocat. Hilarius verò in prologo Psal. concorporationem, seu incorporationem appellat. Qua voce vsus etiam est Isidorus ad Florentiam sororem cap. 6. & Tertulianus in libro de carne Christi circa principium; denique in symbolo Concilij Niceni dicimus: *& incarnatus est de Spiritu sancto*, quæ vox apertissimè ad significandum mysterium accommodata est: Primùm, quoniam quod difficilius videri poterat, ac remotius à Deo, illa voce indicatur hoc illum effecisse pro nobis personam suam imperfectiori parti humanæ naturæ

turæ copulando, propter quod 2. Timoth. 3. dictum est, magnum esse pietatis sacramentum, quod manifestum est in carne. Deinde notatum est, hoc nomine Deum infirmitates nostras, & imbecillitates, quæ voce carnis significari solent, assumpsisse, vt homini qui peccando spiritum amiserat, verbum caro factum, eundem spiritum restitueret, & propterea de Christo loquens Paulus ad Hebræos 4. inquit, *qui in diebus carnis suæ*, vbi carnis nomine, non quamcunque, sed passibilem carnem significari planè constat. Tertio denique quoniam vera caro animam in se amplectitur, cùm carnem viuam animatam esse necesse sit & ideò incarnationis nomine conuenienter totius humanitatis assumptio significata est. Quam rationem indicauit Cyrillus in Epistol. ad Nesto. quæ habetur in principio Concilij Ephesini, & Tertullianus lib. de carne Christi cap. 6.

Denique ex hoc incarnationis mysterio ad omnes creaturas quædam peculiaris dignitas redundauit; quia in natura hominis omnes res creatæ quodammodo continentur, & ideò assumendo illam naturam omnes creaturas quodammodo Deus sibi specialiter copulauit: Et multi existimant hoc indicatum esse à Paulo, cùm dicit Ephes. 1. omnia esse in Christo instaurata: Nam verbum græcum recapitulare significat, vt ibi Hieronymus notauit. Dicuntur autem omnia esse recapitulata in Christo, vt sentit etiam Irenæus lib. 3. cap. 8. quia cùm omnia in natura humana quasi in summa contineantur, assumpta hac natura à verbo cæteræ res omnes, veluti in summã redactæ, illi censentur coniunctæ. Hac enim ratione in scriptura nomine vniuersitatis interdum homo significatur, vt notat Gregorius 6. moralium cap. 7. & 8. & Damascenus lib. 2. cap. 12. Ergo eadem ratione possunt dici omnia instaurata per hoc mysterium, propter nouam dignitatem, & excellentiam omnibus collatam, & propterea fortasse omnes creaturæ inuitantur ab Esaia cap. 45. ad hoc mysterium perficiendum, *Rorate cœli desuper, &c.* Et Ioan. 2. amori totius mundi idem mysterium tribuitur, & ad eandem rationem accommodari potest nomen, quo solent Patres græci hoc mysterium appellare: vocant enim illud *οἰκονομίαν* œconomiam, vt videre est in Nazianzeno oration. 42. non longè à principio, & Iustino in expositione fidei: est enim œconomia quasi domus seu familiæ administratio; per incarnationem autem toti vniuerso prouisum est, quia in totius cedit vtilitatem. 8

De Christo autem, & verbo incarnato loquitur Isaias cap. 28. cùm ait: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum angularem pretiosum, in fundamento fundatum: qui crediderit non festinet, & ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensuram:* Nam hic lapis est, qui Daniel. 2. percussit statuam, & factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram: de quo etiam Psal. 118. *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. à Deo factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris:* De quo etiam Zachariæ 3. *Ecce lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt. Ecce ego calabo sculpturam eius ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ illius in die vna* Paulo enim ante hæc verba præcedunt: *ad ducam seruum meum orientem*, & statim subsequitur: *Ecce lapis quem dedi, &c.* Chaldæus Paraphrastes reddit: *Ecce adducam seruum meum* 9

meum Messiam. Hic est lapis Iacob, quem Gen. 28. capiti suo apposuit. Quamobrem non abs re 1. Petri 2. dicit: *Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum, & honorificatum; & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis.* Verba etiam illa Isaiæ 35. de Christo intelligenda sunt: *Confortamini, & nolite timere; Ecce Deus vester vltionem adducet retributionis. Deus ipse veniet, & saluabit vos.* Ionatas pro *veniet*, exponit, *reuelabit se*: Nam venire Dei iuxta scripturæ morem, & idioma hebraicum nihil aliud est, quàm se reuelare: cùm enim Deus per suam immensitatem vbique sit, nullóque contineatur loco, constat planè filium Dei non secundùm quod Deus est fore venturum, sed secundùm hoc, quòd humana carne assumpta, visibilis factus homo apparere debebat. Talis ergo Deus ad nos venturus erat, qualem nos videre possemus: Nisi igitur visibilis naturæ formam assumpturus esset, ad nos venturus minimè dictus fuisset: De quo Isai. 25. *Ecce Deus noster iste, expectauimus eum, & saluabit nos iste Dominus: Sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius.* Quare Leuitici 26. dicit Deus: *& ambulabo in medio vestri, & ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum.* Quod etiam de Christi incarnatione exponitur, sed magis apertè in Baruch Propheta describitur eius aduentus, vbi de eo legimus: *Iste est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israël dilecto suo; post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

10 Quare Isaiæ 30. *Non faciet*, inquit, *auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis. Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram:* quæ verba sic interpretatur Chaldæus Paraphrastes: *& erunt oculi tui videntes diuinitatem eius*; Ex quo liquet futurum fuisse, vt homines doctorem haberent, quem oculis viderent, & à quo veritatis viam discerent: quod profectò haudquaquam futurum iri potuisset, nisi futurum fuisset Deum hominem fieri. Itaque quod dictum est: *non auolabit à te doctor*, neque Isaiæ, vt quidam interpretati sunt, neque cuiquam puro homini conuenire potest, nisi soli illi, qui demum in se credentibus, atque credituris dixit Matth. vltimo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Nam etsi in humanitate ad Patrem ierit, in forma tamen qua Patri æqualis est, nunquam à fidelibus suis discessit. Diuus ergo Augustinus de incarnatione Domini contra Iudæos: *O Iudæe*, inquit, *Citharam respice, tria pariter esse videntur, Ars, manus, & chorda, & tamen vnus sonus auditur. Ars dictat, manus tangit, chorda resonat. Tria pariter operantur, sed sonum sola chorda resonat: Nec ars, nec manus sonum reddunt, sed cùm chorda pariter operantur. Sonum sola chorda excipit: carnem solus Christus accepit: operatio tribus constat; sed quomodo pertinet ad solam chordam soni redditio, sic pertinet ad solum Christum carnis humanæ susceptio. Dicas ergo incredibile, quemadmodum virga arida floruit, & nucem protulit, & ego dicam quomodo virgo concepit. Sed profectò Iudæus nec virgæ poterit explicare conceptum, nec ego virginis partum.* hæc Augustinus.

Caput

Cap. XIII. DE ITINERIBVS INCARNATI DEI.

Verbum quod apud Deum erat ab æterno, caro factum est in tempore in ipso virginis vtero: cuius varia fuerunt itinera, dum in hoc mundo versaretur. Ac imprimis Beata Virgo cùm ex nuntio Gabriele conceptum cognatæ suæ Elisabeth intellexisset, illam mox salutandi causa inuisit, verbum incarnatum in vtero gestans. 2. Cæsarei occasione edicti cum Beata Virgine verbum incarnatum adhuc in vtero habente descendit è Nazareth in Bethlehem ciuitatem Dauid, vbi filium peperit, & pannis inuoluit, atque in præsepio posuit. 3. Ioseph, & Maria cum puero ad templum proficiscuntur, ipsóque purificationis puerperæ die oblatus, tanquam primogenitus in templo puer primùm à Simeone iusto sene post longam eius expectationem, deinde ab Anna vidua agnoscitur, & prædicatur. 4. Ioseph Angeli impulsu cum puero, & matre fugit in Ægyptum. 5. Extincto Herode, rursus Angeli monitu in terram Israël regreditur Ioseph cum Matre, & puero. 6. Puer iam duodennis factus, solenni Paschæ die parentibus pro consuetudine Hierosolymam petentibus iunctus, & ipse eo ascendit. 7. Cùm iam verbum incarnatum virilem attigisset ætatem, tempúsque esset prædicandi per ipsum Euangelij, è Nazareth egrediens, ad Iordanem se contulit, vt ibi baptizaretur à Ioanne: mox in desertum secessit: inde ad locum vbi Ioannes erat, reuersus, & digito eius demonstratus ad Cana Galileæ proficiscens, aqua ibi in vinum conuersa; Capharnaum se contulit, vbi aliquot diebus cum suis discipulis mansit. His septem itineribus peractis, ad alia varia, & multiplicia itinera peragenda se accinxit. 1

Demùm octauo itinere seipsum magis manifestaturus, è Capharnaum ad instans Pascha Iudæorum ascendit Hierosolymam, vbi flagello de funiculis facto è templo abegit vendentes, & Nicodemum nocturno docuit colloquio; Iudæámque perlustrans, cœpit in ea baptizare, cùm adhuc Ioannes baptizaret. Ob Ioannis verò incarcerationem, & simul Pharisæorum contra se, propter populi ad suum baptismum confluxum, ortam inuidiam, relicta Iudæa, suam repetiit Galileam, in quo itinere cùm necessario interiacentem Samariã pertransiret, occasione petitæ à se fatigato aquæ, mulieri cuidam Samaritanæ post longam vltro citroque collocutionem, tandem innotescit, ac per eam multis Samaritanorum, apud quos duos dies rogatus mansit, post quos cœptum prosequutus iter peruenit in Galileam, ab incolis benignè susceptus ob miracula Hierosolymis conspecta, inuisens vel in transitu Canam Galileæ Reguli filium absens, qui infirmabatur Capharnaum verbò sanitati restituit. Cæterùm iam ingressus Galileam, relicta ciuitate Nazareth, in qua nutritus ad hoc vsque tempus habitauerat, Capharnaum nobile Galileæ emporium, veluti commodam suæ prædicationis sedem, sibi pro mansione delegit. 2

Nono verò itinere è Capharnaum egressus, ad mare Galileæ proficiscens, Petrum, & Andream fratres, Iacobum cum Ioanne fratres, Zebedei filios ad Apostolatum vocauit. Cùm autem Capharnaum rediens in Synagoga Sabbato post doctrinam spiritum immundum pellens à Dæmoniaco, inde egressus, & cum eisdem discipulis in domum Petri ingressus, febricitantem eius socrum suo imperio sanat. 3

ITINERA INCARNATI DEI.

4 Decimo verò itinere socrus Simonis sanata postridie summo mane è Capharnaum egressus Dominus, solus desertum petiit orandi causa, vbi primùm à Simone cum suis ipsum requirente, deinde & à turbis repertus est, vidénsque se à turbarum multitudine circunseptum, dimissis turbis nauem ascendit; Ipso verò inter nauigandum obdormiente, grauis tempestas exorta metum discipulis iniecit: sed excitatus suo imperio tranquillum mare reddidit. Est autem nauigio delatus in regionem Gerazenorum, Galileæ oppositam, vbi obuios duos dæmoniacos liberauit à dæmonibus: sed ab incolis rogatus, vt discederet ob demersionem in mare duo millia porcorum, rursum eo vnde venerat transfretauit. Egressus itaque nauim, à turba confluente benignè excipitur, ac Capharnaum rursus ingreditur, vbi vna dierum in domo existens ac docens, Paralyticum per tegulas ob turbam ad se demissum, post peccatorum remissionem sanat.

5 Porrò itinere vndecimo rursum è Capharnaum ad mare egressus, in via Matthæum ad Telonium sedentem vocat ad sui sequelam; reuertitur autem Capharnaum, & ibi à Matthæo conuiuio cum plerísque publicanis excipitur; vbi à principe quodam Synagogæ Iayro rogatur pro sananda moribunda eius filia duodenni, ad quam dum pergit curandam emorrhoisam duodennem in via sanat, ac postea domum Iayri ingressus, eius filiam iam mortuam vitæ reddidit: vnde digressus duobus cæcis se sequentibus visum reddidit, ac post eos mox dæmoniacum mutum curat.

6 Itinere verò duodecimo post hæc, iterum è Capharnaum ascendit Hierosolymam, vbi apud probaticam piscinam Sabbato eum qui triginta octo annos languerat, curat. Inde è Hierosolyma egrediens, spicas Sabbato discipuli eius decerpunt, & confricantes comedunt, indéque ad mare secedens, multa cum sequente turba ex omnibus collecta regionibus, cunctos ægros, & dæmoniacos curat. Quo tempore cùm turbis relictis in montem orandi causa ascendisset, post noctem orando transactam, ex omnibus discipulis ad se vocatis duodecim elegit, quos & Apostolos nominauit: vbi insigni sermone summã Euangelicæ vitæ ac perfectionis complexus est doctrinam. Hanc sequuta leprosi mundatio est, & ingressus Capharnaum, Centurionis ob raram fidem insigniter commendati, seruum absens paralysi liberauit.

7 Demùm itinere decimo tertio, è Capharnaum rursum egrediens, proficiscitur ad ciuitatem Naim, vbi vnigenitum viduæ filium sepulturæ proximum ad vitam reuocauit in itinere: Ioannes è carcere ad Christum discipulos misit, per quos rogaret num ipse esset expectatus Messias. Rogatus etiam à Simone Pharisæo ad conuiuium, peccatrici ob singularem doloris, & amoris significationem, multa peccata remisit. Cùm autem post longum per diuersa loca circuitum, sese aliquando domum recepisset, Capharnaum reuersus cæcum, & mutum ab omnibus simul liberat malis, & mulier quædam, eius auditis sermonibus, fœlicem proclamat tanti magistri matrem.

8 Decimo quarto itinere, rursum è domo, & ciuitate sua Capharnaum egressus, mare abiit, vbi congregata ad eum turba plurima, iterum cœpit docere, sed in variis parabolis, vbi parabolam seminantis proposuit, parabolam etiam

Ziza

Zizaniorum, sementis crescentis, grani synapis, & fermenti: Parabolas etiam Thesauri, Margaritæ, & Sagenæ; post quas parabolas in patriam suam profectus Nazareth, postquam in Synagoga die Sabbati obuium Isaiæ locum in se expletum exposuisset, ac deinde incredulitatis suos ciues condemnasset, ab eis ciuitate eiectus, subduxit se de medio eorum, cùm conarentur eum è montis supercilio præcipitare, circumiens deinceps omnes ciuitates, ac vicos cum Apostolis, & aliquot mulieribus ei ministrantibus, misertus turbam, misit duodecim Apostolos, quibus ablegatis, suóque officio fungentibus, per Euangelij prædicationem, & morborum curationem secutus est ipsos Dominus quoquo versum; Quo etiam tempore iussit Herodes decollare Ioannem Baptistam. Itaque cùm intellexisset Dominus, quam de se suspicionem haberet Herodes, timens ipsum esse Ioannem qui resurrexisset à mortuis, & simul quia ad eum reuersi erant Apostoli, peractis mandatis, inuidiæ declinandæ, ac simul quietis causa cum suis secessit nauigio trans mare Galileæ in desertum locũ, vbi quinque panibus ordeaceis, & duobus piscibus pauit quinque millia virorum, qui ad eum confluxerant: ob quod miraculum, cùm aduerteret se à turba rapiendum in regem, discipulis iussis se trans mare præcedere, ipse solus in montem fugit: vnde ad suos pedestri in mari itinere veniens nocturno tempore, consternatos ob tempestatem ac phantasmatis existimationem, confirmat, ac tempestate sedata nauique in petitam ripam delata, vndique collectos ægros contactu fimbriæ sanauit.

Itinere autem decimo quinto è littore maris egressus, in partes Tyri, & Si- 9
donis Chananeæ filiã Dæmonio liberat: vnde reuersus ad mare Galileæ, surdum & mutum digitis in aurẽ missis, ac lingua sputo contacta sanat. Ascenso deinceps mõte multos ad se debiles delatos curat, vbi multitudinis, quę ipsum triduo secuta est, misertus, in deserto pauit septẽ panibus, & paucis pisciculis, ita saturans quatuor millia virorum: Dimissis itaque turbis rursus ascensa naui transfretrauit. Cùm autem venisset Bethsaidam, cæco ad se adducto visum restituit, prius imperfectè, postea perfectè. Illinc digressus, in partes Cæsareæ Philippi illic Petro post veram confessionem, singulare Ecclesiæ regimen addixit; post hæc octauo die ascenso monte excelso, coram tribus Apostolis in monte cum Moyse, & Elia loquens, transfiguratus est. Descendens autem è monte, postera die eiecit à puero dæmonium: Inde profectus cùm adhuc in Galileam diuersaretur omnibus admirandus, post longam profectionẽ, rursum Capharnaũ reuersus, ne quem scandalizaret pro se, ac Petro didrachma solui iussit, statere ex ore piscis recepto: vbi etiam parabolam illam de patre familias, qui serui sui in conseruum, immisericordis debitum decem millium talentorum semel remissum repetiit, docuit.

Denique decimo sexto itinere, è Capharnaum profecturus, Hierusalem 10
migrauit in totum à Galilea priusquam tamen eam relinqueret, cognatis monentibus, vt ob instantem tabernaculorum festiuitatem in Iudæam transiret, non acquieuit, nec prius eo ascendit, quàm illi præcessissent. Cùm ergo iam pergeret Hierusalem, & inter eundum à Samaritanis quibusdam ciuitate excluderetur, patientiam docens, abiit cum eis in alium pagum: Postea Samar-

riæ quendam vicum ingressus, obuios decem leprosos curauit; Ingressus autem Hierusalem in media scenopegiæ solennitate, post longam Iudæorum expectationem, cœpit docere in templo. Post hæc perrexit in montem Oliueti; ac vbi diluxisset, rursum regressus in templum docendi gratia, adulteram mulierem à Scribis, & Pharisæis subdole adductam, absoluit; ac postea post longam cum Iudæis contentionem, cùm eo tandem deuentum esset, vt tanquam blasphemum lapidare vellent, abscondit se egressus de templo, vbi cæcum à natiuitate in transitu Sabbato visu donauit: Differens deinde de vero pastore, & post hæc alios septuaginta duos discipulos designans, qui ipsum bini præcederent ad quæuis loca, eadem illis mandata prescribens, quæ nuper ipsis duodecim; Quibus cum gaudio ad se reuersis, cùm aliquando turgidus quidam legis peritus tentandi gratia Dominum rogaret, arrepta hinc occasione, parabolam de homine descendente ab Hierusalem in Iericho à latronibus vulnerato introduxit.

11 Tandem itinere decimo septimo contigit, vt dum aliquando Dominus iter faceret in Hierusalem, à Martha reciperetur hospitio in Bethania, indéque digressus quodam tempore cùm ab oratione cessasset, rogatus à discipulis, orationis modum, & breuem illis orandi formam præscripsit; Quo etiam tempore reprehendit præposteram munditiam: docuit non timendam mortem corporis, abiiciendam diuitiarum solicitudinem; docuit etiam officium fidelis serui erga venturum Dominum, & pœnitentiam agendam ob Dei patientiã, & in quadam Synagoga mulierem Dominus malitia contractam sanauit. Docuit angustam esse viam regni cœlorum, & ingressus ad sumendum Sabbato cibum in domum cuiusdam inter Pharisæos magni, hydropicum ante se collocatum sanat. Porrò post tabernaculorum festiuitatem, quod septimo quoque mense celebrabatur ob encæniorum festum, quod in fine noni mensis solebat obseruari, cùm Dominus rursum Hierosolymam ascendisset, atque in templo ambularet, à Iudæis ipsum circundantibus rogatur, vt palam ediceret, num ipse esset Christus, cuius responsum cùm ferre non possent, rursum Iudæi lapidare eum aggrediuntur.

12 Decimo octauo itinere, substraxit se manibus quærentium eum apprehendere, secessitque in fines Iudeæ trans Iordanem in locum Ioannis baptismo insignem: Nec ibi tamen latere potuit, quin ad ipsum plurimi conuenirent, quos pro more docuit, & curauit: quibus proposuit de villico iniquo, & disseruit de matrimonij indissolubilitate. Parabolam etiam de diuite epulone dixit: Docuit etiam scandalum vitandum, & etiam fidei virtutem: Protulit parabolam de Pharisæo, & Publicano, & paruulis: Adolescentem diuitem ad perfectionem inuitauit: proposuit quoque parabolam de operariis in vineam conductis.

13 Itinere autem decimo nono, cùm Dominus adhuc esset in finibus illis Iudææ, ibíque Lazari infirmitatem ex nuntio à sororibus misso intellexisset, non prius in Iudæam pergere voluit, quàm sciret eum mortuum: Tunc enim in Iudæam profectus cum suis, Bethaniæ quatriduo mortuum è sepulchro suscitat, multis Iudæorum qui spectabant per hoc ad fidem adductis. Id cùm

quorum

quorundam narratione intellexissent Pontifices, & Pharisæi, collecto Concilio ex sententia Cayphæ, Pontifices certò definierunt ipsum occidendum.

14 Ad hæc itinere vigesimo, definitionem Pontificum Dominus intelligens, secessit iuxta desertum in ciuitatem Ephem, & iam Pascha proximum erat, cùm iam appeteret tempus subeundæ passionis in proximo Paschate Dominus è suo sessessu ascendens Hierosolymam, assumptis secreto duodecim Apostolis, prædixit quæ esset Hierosolymis passurus, & accedens mater filiorũ Zebedæi, nomine filiorum petiuit primas in regno ipsius sedes. Post hæc cùm ciuitati Hiericho iam proximus esset, cæcum visu donauit, & Hiericho ingressus, Zachæum ex arbore ad se vocat; atque ab eo susceptus conuertit. Subiecit mox parabolam de homine nobili, qui tradidit decem minas seruis suis; quibus dictis, cùm ex Hiericho pergeret Hierosolymam, duos rursum cæcos, quorum alteri nomen erat Bartimeus, non longe à Hiericho cæcitate liberauit. Cæptum ergo prosecutus iter, ante sex dies Paschæ venit Bethaniam: in domo Simonis leprosi honorificè exceptus est cœna, in qua Lazarus cum aliis accubuit, & Martha administrante Maria pretioso vnguento caput Domini recumbentis aspersit. Postridie verò asello insidens per viam ramis instratam, cum gratulabunda populi acclamatione intrat gloriosè Hierusalem; templum autem Dei ingressus, cæcos & claudos sanauit: cúmque ibi gentiles quidam accenderentur desiderio videndi ipsum, voce cœlesti eius claritas est declarata.

15 Itinere verò vigesimo primo, vesperi ciuitatem Hierusalem egressus, concessit cum suis in Bethaniam: vnde cùm mane reuerteretur in ciuitatem, ficulneæ fructibus carenti in via maledicit, ac maledicendo aridam facit, & ingressus mox templum, zelo commotus ementes & vendentes eiecit, rursum autem vespera facta ciuitatem egressus est, cúmque mane reuerteretur, vident discipuli ficulneam arefactam stupefacti. Templo dehinc docendi gratia repetito, multis à Pharisæis & Saducæis impetitur subdole quæstionibus: ipse vicissim variis eos notat & quæstionibus & parabolis: Ac imprimis notantur Pharisæi parabola de locata vinea, & proponitur parabola de nuptiis filij: soluitur quæstio de tributo Cæsari dando: soluitur Sadducæorum quæstio contra resurrectionem, & quæstio Pharisæorum de maximo mandato, & proponitur quæstio de Christo, cuius filius sit, docet audiendos & cauendos Scribas; præfertur oblatio viduæ, prædicitur etiam ab ipso euersio templi Hierusalem, & aduentus filij hominis: docet quomodo ad aduentum suum nos parare debeamus, proponit parabolam de decem virginibus, & de distributis talentis, & modum aperit iudicandi in nouissimo aduentu suo, & iudicio, & Iudas paciscitur interim Pontificibus se illùm eis traditurum triginta argenteis. Post quæ cùm iam adesset dies prima azimorum, paratur agnus paschalis, veniensque cum Apostolis reliquis discubuit, agnum paschalem esitauit, lauantur deinde Apostolorum pedes, & instituitur Eucharistia, sequitur sermo Domini post cœnam, quo completo tandem orationem ad Patrem habet.

16 Demum vigesimo secundo itinere, his omnibus gestis, egressus Dominus cum suis in hortum quendam, à se frequentari solitum orationis gratia, vbi ab Angelo confortatus, vltrò se hostibus Iuda prodente capiendum tradit: captus ac vinctus post Annam Caypha Pontifici præsentatur, apud quem tanquam blasphemus condemnatur & illuditur: Mane facto Principes Iudæorũ vinctum tradiderunt Pilato Præsidi, vbi de variis accusatur à Iudæis. Intelligens autem Pilatus esse Galilæum, ad Herodem Galilææ Tetrarcham ipsum mittit. qui ob silentium à se contemptum, indutúmque veste alba, eundem mox remisit ad Pilatum: Pilatus autem de innocentia rei satis apud se persuasus, variis ipsum absoluere pergit modis, tandem cùm nihil efficeret, Barraba dimisso, flagellatus & coronatus Christus traditur crucifigendus.

17 Præterea vigesimo tertio itinere, deducitur ad mortem suis crucem gestans imprimis humeris, quæ deinde post ipsum portanda Symoni cuidam Cyrenensi imposita est: atque inter eundum plorantes mulieres, non suam mortem, sed imminens ipsis excidium deplorare iubet. Ad montem dehinc Caluariæ progressus, vino myrratho, felle mixto potatur, ac crucifigitur inter duos latrones cum fixo titulo, pendens in cruce orat pro crucifixoribus suis, vbi alter latronum ad Dominum se conuertens, obtinet Paradisi promissionem, matrem deinde ex cruce discipulo commendat, à Patre se derelictum queritur, aceto sitim professus potatur ac tandem omnibus consummatis, in manus Patris spiritum tradens moritur circa horam nonam, cùm ante sextam in crucem fixus fuisset. Variis interim signis ostensis, ex quibus & Centurio, & omnis turba innocentiam eius intelligebant, tandem aperitur eius latus, & à Iosepho & Nicodemo sepelitur honorificè.

18 Postremo itinere vigesimo quarto, surgit Christus è sepulchro, & Angeli apparẽt mulieribus, & posthæc eadem die apparet Dominus duobus discipulis Emaus euntibus, quibus in Hierusalem reuersis apparet Dominus bis, cógregatis in domo discipulis primùm cæteris absente Thoma, postea octauo die Thoma præsente ianuis clausis ingressus. Post hæc apparet septem discipulis in mari Galilææ piscantibus, visus deinde à suis in monte Galilææ. Dehinc post scripturarum explicationem, post promissionem Spiritus sancti, cùm eduxisset eos foras in Bethaniam, è monte Oliueti ascendit in cœlum, vbi sedet à dextris Patris, cum quo & Spiritu sancto est benedictus in sæcula.

Caput XIIII. DE MORTE INCARNATI DEI.

1 CRuci affixo Domino Iesu Christo hora sexta, vt refert Matthæus cap. 27. & Marcus cap 15. Lucas quoque capite 23. factæ sunt tenebræ super vniuersam terram vsque ad horam nonam: cúmque his addat Lucas Euangelista, & solem esse obscuratum, satis perspicuè declaratur, non ipsam Iudæam tantùm, vt aliquando Origenes in Matthæum tractatu 35. sentire visus est, sed vniuersum planè terrarum orbem offusum fuisse tenebris. Porrò ille ipse Origenes auctor prædictæ sententiæ, cùm agit aduersus Celsum Philosophum Epicurum

Epicurum, Christianorum hostem infensissimum, de admiranda tunc facta solis eclypsi, non ex Euangelistarum testimonio, quibus Ethnicus homo non crederet, sed ex Philegonte Adriani Imperatoris liberto, insigni chronographo, de quo plura scribit Suidas, testimonium citat his verbis. *De sole autem Tiberij Cæsaris tempore obscurato, quo imperante Iesus creditur cruci fuisse affixus*, & de magnis terræ tunc motibus factis scripsit Philegon in decimo tertio, vel decimo quarto, vt arbitror, de temporibus libro. Porrò ipsius Philegontis verba Eusebius recitat in chronico anno 33. Christi, sic dicens: *Scripsit verò super his & Philegon qui Olympiadum egregius supputator est, in libro 4. ita dicens: Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio solis facta est, dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus est, vt stellæ cæli visæ sint, terraque motus in Bithinia Nicenæ vrbis multas ædes subuerrit.* hæc Philegon. Tertullianus item aduersus gentiles in Apolog. non ex Euangelio testimonium sed ex ipsorum scriptis adducit, cùm ait: *Eodem quidem momento, dies medium orbem signante sole subducta est, deliquium vtique putauerunt, qui id quoque super Christum prædicatum nesciebant, & tamen eum mundi casum relatum in archiuis vestris habetis.* hæc Tertullianus. Lucianus itidem aduersus gentes agens: *Perquirite*, inquit, *in annalibus vestris, & inuenietis temporibus Pilati fugato sole interruptum tenebris diem.*

Quomodo autem eiusmodi solis defectio facta sit, Dionysius Areopagita scribens ad Polycarpum, cùm inuehitur in Apollophonem Philosophum narrat his verbis: *Quid de illo qui tempore crucis Dominicæ factus est solis defectus dicturus es? Eramus tunc ambo apud Hieropolim, ambòque simul incidentem mirabiliter soli lunæ globum notabamus: non enim huiusce coniunctionis tunc aderat tempus, ipsámque rursus ab hora nona ad vesperam ad solis diametrum supra naturæ vires restitutam. in memoriam autem illius reuoca etiam aliud quoddam: nempe enim, vt ipse non ignoras, eam hinc incidentiam ab oriente cœpisse, & vsque ad solaris corporis finem peruenisse: ac tum demùm resiluisse notauimus. Neque verò eadem ex parte, vt assolet, incidentia illa & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri. Hæc sunt quæ tunc temporis contigere, naturam profectò superantia, ac soli Christo possibilia, qui auctor est omnium, facitque magna ac stupenda, quorum non est numerus; ista illi si licuerit dicito.* hæc Dionysius ad Polycarpum. Quæ etiam eadem ad ipsum Apollophonem idem Dionysius scribit. *Heliopoli*, inquit, *tu quidem penè mihi coæuus, & ego quinque & viginti ferè annorum temporis exoluens vnà morantes constiteramus, cùm feria quadam sexta, & hora ferè sexta, sol horribilibus subitò est obuolutus tenebris.* hæc ille. 2

Cùm autem Christus in cruce positus dixisset *consummatum est*, clamans subinde voce magna, & dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*: inclinato capite tradidit spiritum: quo quidem tempore velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum. Quale autem eiusmodi genus veli esse soleret, præter illa quæ in diuina scriptura de eo scripta legũtur, Iosephus de bello iudaico libro 6. cap. 6. qui vidit quale illis temporibus esse soleret, sic vnà cùm loco in quo appensum erat, describit: *Interior porta inaurata erat, & circum ipsam auratas portas, desuper habebat auratos pampinos, vnde racemi statura hominis pendebant, & foris habebat auratas quinquaginta & quinque cubitus altas, sex-* 3

decimverò latas. Ad hæc auleum longitudine pari, hoc est, velum Babylonicum, hyacintho & bysso, & cocco, & purpura variatum, admirabili opere factum: neque contemplationis expers colorum permixtione: cocco enim videbatur ignem imitari, bysso terram, & hyacintho aerem, & mare purpura. Hæc de velo locutus est, exterius posito ante tabernaculum, vbi candelabrum erat, mensa atque thuribulum. Additque alterũ fuisse velum, quo intima pars templi, quæ dicebatur Sancta Sanctorum operiebatur. Ex his quidem erroris arguuntur, qui existimarunt vnum tantùm fuisse velum in templo. Porrò hoc tempore conscissum fuisse velum exterius positum, quod erat cunctis perspicuum, & populum segregabat à Sacerdotibus, Hieronymus iure affirmat epistola 150. quæst. 8. Quid verò portenderit tantum prodigium reliquimus interpretibus hæc fusius explicanda. Addit ad hęc sanctus Ephrem Syrus sermone de passione Domini, cuius summam in scribendo fuisse auctoritatem Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis tradit, tunc cùm velum templi scissum est, columbam etiam è templo egredi visum est.

4 Tunc etiam & magnus factus est terræ motus, adeò vt ea concussione scissæ sint petræ, de quo testimonium ex Phlegonte tradunt Origenes & Eusebius loco suprà citato. Meminit & Plinius naturalis historiæ libro 2. sub Tiberio ingenti terræ motu dirutas esse duodecim ciuitates in Asia, ad quas subleuandas, factam ab eodem Imperatore tributorum remissionem Suetonius tradit in Tiberio cap. 48. Eadem & Dio libro 57. De lapidibus eo terræ motu concussis hæc scribit Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus catechesi 13. *Hactenus Golgotha monstrat vbi propter Christum petræ scissæ sunt.* Porrò non tantùm Hierosolymis, sed & in plerisque aliis orbis terrarum partibus scissos montes eodem terræ motu, incolæ firma traditione testantur: nempe in Hetruria, montem Aluerniæ dictum, & prope litus Campanum Caietę promontorium. Ad hæc insuper addimus testari Hieronymum epistola 150. quæst. 8. ex Euangelio Nazaræorum, quod in latinum transtulit, eodem quoque terræ motu templi superliminare collapsum esse, tum & Angelos præsides templi auditos esse, dicentes, *transeamus ex his sedibus.* Id & Eusebius quoque tempore Christi passionis audisse testatur, licet Iosephus ad Pentecostes referat tempus: sed quàm facilè homo ille sine inconsiderantia, siue dolo malo, in his quę sunt temporis errore lapsus inueniatur, nõ est difficile deprehendere. Eodem insuper terræ motu, & monumenta sepulchrorum aperta esse, & multa corpora Sanctorum à mortuis surrexisse, Hierosolymámque venisse (nam sepulchra foras erant posita) & apparuisse multis, Euangelica docet historia matthæi 27.

5 Cùm igitur tot tantáque diuina prodigia facta essent, Centurio hæc videns, ac præcipuè admiratus, quod Iesus voce magna clamans expirasset, glorificauit Deum, & publica confessione testatus: *Verè*, inquit, *Filius Dei erat iste.* Omnes insuper his visis reuertebantur præ dolore admissi facinoris, pectora sua percutientes. Prædictum verò Centurionem Longinum nomine appellatum fuisse, Christi fidem sequutum abdicasse se à malitia, ac denique ad martyrij palmã aduolasse, qui eius res gestas scripserunt testantur. De qua re vide Simeonem


MORS INCARNATI DEI.

Simeonem Metaphrastem die 18. Octobris, ex quibus redarguuntur qui ex Apocryphis quibusdam scriptis tradiderunt, Longinum nomine eundémque cæcum, fuisse militem illum qui lancea latus Domini aperuit. Porrò cùm appropinquasset initium diei Sabbati, quem post horam nonam Iudæos publico signo auspicari consueuisse Iosephus scribit, ne remanerent in cruce corpora Sabbato: cùm alioquin à lege diuina statutum esset, vt appensi in patibulo eadem die sepelirentur Deuteron. 21. quod etiam ait Philo de specialibus legibus. Ante Occasum autem solis Iudæi ipsi adierunt Pilatum, vt iam viuentes adhuc in cruce ex more crurifragio necarentur, eorúmque corpora tollerentur. Aduenientes post hæc milites, vtriusque latronis fregerunt crura idem cum Iesu acturi: sed cùm mortuum vidissent, abstinuerunt; vnus autem militum lancea latus eius aperuit, & continuò fluxit sanguis & aqua: quod in propria significatione intelligendum est de vero sanguine, & de vera aqua: ita enim definitum est ab Innocentio in cap. quodam de celebratione Missarum contra quosdam qui negabant fluxisse veram aquam, sed pituitam, seu phlegmaticum quendam humorem, quem appellabant aquam, quòd in eo aqua prædominaretur, non quòd verè aqua esset. Itaque dicendum est, hoc non esse secundùm naturam factum, sed miraculosè, vt vera aqua tunc è corpore flueret: sicut etiam præter naturam factum est & miraculosè, vt è corpore iam mortuo verus flueret sanguis, quod mysterio non caruit, vnde Ambrosius lib. 5. de sacramentis capite 1. *Quare*, inquit, *aqua? quare sanguis? aqua vt emundaret: sanguis vt redimeret.* Ruffinus in expositione symboli, per aquam, baptismum, per sanguinem martyrium significatum dicit. Idem vult D. Hieronymus epistola 83. *Cùm ad occasum*, ait, *latus Christi percutitur lancea, baptismi atque martyrij pariter sacramenta funduntur.* 6

Ioseph autem ab Arimathia, accepto Iesu corpore, sepulturam eius diligenter curauit: nam (sicut mos est Iudæis defunctorum corpora sepelire) mixturæ myrrhæ & Aloës librarum quasi centum conditum corpus Iesu, & linteis inuolutum sepeliuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Non autem satis fuit vnctum semel corpus Iesu sepeliuisse: quin & mulieres illæ piæ, vt iterum vngerent, emerunt aromata, ac ad sepulchrum festinis passibus properarunt: quò cùm peruenissent diluculo, vt ait Matthæus cap. 28. terræ motus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Cùm ergo peruenissent, respicientes viderunt reuolutum lapidem, erat quippe magnus valde, & introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida, & obstupuerunt, qui dixit illis: *Nolite expauescere, Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Ecce locus vbi posuerunt eum.* De quo Apostolus Paulus 2. Corinth. cap. 13. ver. 4. *Crucifixus est in infirmitate, sed viuit ex virtute Dei.* Surrexit sua propria virtute, quod proprium Dei est: neque enim natura patitur, aut vlli hominum concessum est, vt seipsum possit virtute sua à morte ad vitam reuocare: hoc enim summæ Dei potestati reseruatum est. Quare Christus Dominus vi sua diuina, & potestate infinita seipsum à mortuis suscitauit. Id verò Dauid Spiritu Dei plenus prædixit his ver- 6

bis: *saluabit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius* psalm. 97. Deinde ipse Dominus Ioann. 2. *Soluite*, inquit, *templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, quod quamuis intelligerent de templo lapidibus extructo, sed ipse intelligebat de templo corporis sui. Denique videntibus Apostolis post quadraginta dies in cœlum assumptus est gloriosus; ægregium autem monumentum suæ ad cœlum ascensionis, Dominus Redemptor noster, non tantùm suis Apostolis, sed posteris quoque spectandum reliquit, nimirum suorum sacrorum pedum terræ impressa vestigia. De his olim Zacharias Propheta cap. 14. intellexisse videtur, cùm prophetica hæc locutus est: *Stabunt pedes eius in die illa supra montem Oliuarum, qui est contra Hierusalem ad orientem.* Secundùm prædicti situs rationem eam consuetudinem ad posteros esse delapsam, vt Christiani ad Orientem conuersi precarentur, Athanasius libro quæstionum quæst. 14 auctor est. Quod verò ad impressa vestigia Domini pertinet, hæc apud Hieronymum de locis hebraicis: *Mons Oliueti ad Orientem Hierosolymæ torrente Cedron interfluente, vbi vltima vestigia Domini humi impressa hodiéque monstrantur.* Ita Hieronymus. Inde enim videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum, cúmque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum: hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

HIEROLO





HIEROLOGIA,

SIVE SERMO SACER DE SVBSTANTIA CORPOREA NON VIVENTE.

Liber ſecundus.

Caput I. DE SVBSTANTIA COELESTI.



VANTVS ſit numerus ſphærarum cœleſtium parum 1
inter ſe conueniunt Philoſophi, & Theologi, vnum cœlum conſtituit Chryſoſtomus, duos Baſilius, Theodoretus, Origenes, Euſebius Emiſſenus, Diodorus Tarſenſis ponunt: de tribus non ambigit Ioannes Damaſcenus ſex ſtatuit Philoſtratus, & ſeptimum firmamentum. Auguſtinus verò libro 12. de Geneſi ad literam cap. 30. teſtis eſt quoſdam quatuor poſuiſſe cœlos, & non defuiſſe qui ſeptem ſtatuerent: plures verò qui octo cœlos conſtituerent, Quinam autem hi plures fuerint docet Orontius lib. 2. cap. 1. Coſmographiæ: Nam huius aſſertionis patronos facit Ægyptios, & Platonem in Timæo, atque Ariſtotelem libris de cœlo, Ptolomæum quoque & Auerroëm: dicit autem inuexiſſe decimum cœlum Alphonſum Leguerium ex Alphragono & Tebitio, propter motum trepidationis. Theologi verò vndecimum addunt. Ariſtoteles etiam libro 12. Metaphyſices pro numero motorum 45. orbes ſtatuit. Baſilides, de quo multa Irenæus, trecentos ſexaginta quinque cœlos commentus eſt, quem numerum hac dictione ἀβραξας complectebatur, & ab vltimo horum deinde mundum & hominem fabricatum eſſe, & non à Deo impiiſſimè aſſerebat ipſum Deum portentoſo nomine μίθραν quo ſolem Perſæ appellant, vocitans. Communiter autem Philoſophi decem cœlos eſſe dixerunt, quorum ſeptem à Planetis ſumpſerunt nomina: octauum verò vocatum eſt ſydereum, ſiue ſtellatum: nonum autem cùm neſcirent cuius conditionis eſſet, vocauerunt cœlum aqueum & cryſtallinum, non à frigiditate, ſed à tranſparentia. Decimum locum ſibi vendicat, quod vltimum Philoſophi putantes, primum mobile vocauerunt. Vndecimum verò cælum Beatorum ſedes eſt, ab Ethnicis Philoſophis ignoratum: quod idcirco Theologi Empy-

reum vocauerunt, non quòd calore, sed quòd splendore & claritate cæteros antecellat. Sunt itaque vndecim cœli, nempe cœlum Empyreum, primum mobile, cœlum aqueum siue crystallinum, cœlum sydereum, cœlum Saturni, cœlum Iouis, cælum Martis, cœlum Veneris, cœlum Mercurij, & cœlum Lunæ.

2 Sumitur autem cœlum tam in sacris literis, quàm in prophanis variè: nam propriè dicitur tota illa mundi pars, quæ est supra elementum ignis, quam Philosophi æthera appellant: vnde Iustinus Martyr Philosophus in libro expositionum fidei quæstione 5. definiuit, cœlum esse summam partem totius mundi, quæ est Dei domicilium & thronus Dei vocatur Matth. 5. *Ego autem*, inquit, *dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum quia thronus Dei est.* Philosophi etiam cælos loca superiora appellarunt, quod facit Varro lib. 4. Analogiarum. Aristoteles lib. de mundo ait cœlum & substantiam sydeream vocari ætheris vocabulo non quidem ab αἴθεσθαι, id est, ab ardendo, sed διὰ τὸ ἀεὶ θεῖν, quod semper in illo superiore loco currat. Apuleius quoque hunc Aristotelis locum exponens, ait, ætheris appellatione cœlum ipsum, stellas, omnémque sydeream compagem intelligi, non vt Anaxagoras putabat, quòd igneus sit & incensus, sed quòd cursibus rapidis semper rotetur. Hinc fit vt latinè cœlum à cælando quidam dictum putent, quòd inferiora omnia cælet ac tegat: ad cuius similitudinem Plinius lib. 11. cap. 37. cœlum capitis appellat ipsum cranium, eò quòd caput totum eo tegatur, vt inferiora hæc cœlo teguntur. Alij arbitrantur cœlum dici à stellarum imagine, quæ in eo quodammodo cælatæ apparent: nam & D. Ambrosius libro Exaemeron inquit, cœlum quasi cælatum appellari, quòd impressa stellarum lumina habeat, sicut argentum quod signis eminentibus refulget, cælatum dicitur. At Varro cœlum, quasi κοῖλον, hoc est, cauum dictum putat.

3 Vocatur præterea cœlum in sacris literis interdum locus iste nobis proximus, in quo nubes coguntur, vt constat ex variis locis: vnde vox hebraica שחקים SECHAKIM cœlum, id est, aëream regionē propriè designat, quamuis sæpe ad significādos supernos cælos transferatur. Est enim שחק SACHAK nubes leuissima, dicta sic ab aëre tenuissimo, dictio etiam ערפים ARIPHIM, deducta ab ערף ARAPH stillare, cœlum significat, & propriè aëream regionem: cœli enim dicuntur stillare, & influere pluuiam ac rorem in hæc inferiora: nam & apud latinos cœlum aliquando pro loco nubium vsurpatur. Cicero enim 4. Tusculanarum: *Cœlum*, inquit *hoc in quo nubes, imbres, ventique coguntur, humidum & caliginosum est, propter exhalationes terræ.* Quare Exodi 9. ver. 22. cùm legimus: *& dixit Dominus ad Moysen, extende manum tuam in cœlum, & fiet grando in vniuersa terra Ægypti super homines, & super iumenta:* ibi שמים SAMAIIM, id est, cœlum, non supremam mundi partem, sed potius aëream regionem designat: qua significatione passim scriptura sacra vocat cœli volatilia, & volucres cœli, vt Genes. 2. ver. 19. & Gen 7. ver. 13. tum Exodi 9. ver. 8. vbi præcipitur Moysi, vt tollat plenas manus cineris de camino, & spargat illum in cœlum coram Pharaone. Sic etiam Iob 2. ver. 12. amici Iob cùm eleuassent procul oculos non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisque vestibus

sparse

C OE L V M.

ſparſerunt puluerẽ ſuper caput ſuum in cœlum, id eſt, in aërem, ſiue aëream regionem. Denique Deuteron. 30. ver. 4. in verbis illis *ſi ad cardines cœli fueris diſſipatus, inde te extrahet Dominus Deus tuus*, cœlum diſtantiam potius, quàm ipſum cœlum ſonat. Quare Septuaginta ſummitatem cœli, Chaldæus Paraphraſtes fines cœli, Hieronymus cardines cœli tranſtulerunt. In quo etiam ſenſu eodem cap. ver. 12. ſumitur etiam cœlum, vbi ſcriptum eſt: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum, nec in cœlo ſitum, vt poſſis dicere: quis noſtrum valet ad cœlum aſcendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus & opere compleamus, &c. ſed iuxta eſt ſermo valde in ore tuo, & corde tuo, vt facias illum.* Simili modo loquitur ſcriptura Iſaiæ 13. ver. 5. *Dominus exercituum præcepit militiæ belli, venientibus de terra procul, à ſummitate cœli: Dominus & vaſa furoris eius, vt diſperdat vniuerſam terram.*

Propriè autem in ſacris literis שמים SAMAIIM, id eſt, cœlum, ſuprema mundi pars eſt non reperitur in ſingulari apud Hebræos. ſed interpretes, tam cœlum, quàm cœlos vertunt, vt loco quadrare melius putant. Idem hæc dictio ſignificat, quod ibi aquæ, quaſi dicas שם מים SAM MAIIM. Vocatur ergo cœlum ita à ſubſtantia aquea, niſi velis ex aqua & igne hoc nomen eſſe conflatum, nempe ab אש & מים ES MAIIM, vt quibuſdam viſum eſt. Neque deſunt qui aſſerant compoſitam eſſe hanc vocem à שאה SAHA, obſtupeſcere, & מים MAIIM aquæ, quòd regionem illam ſignificet, in qua aquæ illæ ſuperiores ſtupendo quodam modo, & prorſus diuino ſtupeſcunt, & quaſi obrigent, atque immotæ perſtant & torpent. Geneſ. autem 2. verſ. 1. vbi legimus: *Igitur perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum*: vocem SAMAIIM Hieronymus transfert, cœli, in numero multitudinis: Septuaginta verò interpretes, *cœlum*, in numero ſingulari: At neque ex Septuaginta licet colligere vnicum tantum eſſe cœlum, neque ex D. Hieronymo multos, quia vox hebraica dualis eſt: ſed neque inde concludi poteſt, duos tantùm eſſe cœlos: eſt enim dualis propter duplices aquas inferiores & ſuperiores, quas diuidit firmamentum. Itaque *perfecti ſunt cœli*, id eſt, ſuprema huius mundi pars, in qua ſtellæ, & planetæ continentur: ideò enim adiungitur, *& omnis ornatus eorum*, id eſt, omne decus, omnis dignitas eorum, ſiue coagmentatio compoſita, concinnéque digeſta: id enim ſignificat *κόσμος*, vt vertunt Septuaginta, quos ſequutus eſt Hieronymus, transferens vocem hebraicam צבאם SEBAAM, *ornatum eorum*. Nam צבי SEBI gloriam, & decorem ſignificat. Alij verò interpretantur, *exercitum eorum*: Eſt enim ſtellarum ac planetarum ordo atque ornatus, velut militia quædam, & exercitus. Itaque *perfecti ſunt cœli omni ex parte*, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad numerum, ornatum, dignitatem, ordinem, & pulchritudinem, atque militiam: Nam Chaldæus Paraphraſtes pro ornatu eorum, *exercitum eorum*, tranſtulit.

Hoc autem ſupremum cœlum aliquando in ſacra ſcriptura dicitur ערבה ARABA à pulchritudine, & gloria, atque iucunditate: Nam ערב AREB rem ſuauem, dulcem, & gratam ſignificat; Ideóque pro ſphæra ſuperiore ſumitur, quæ circuit omnia, & ſuo motu alias ſphæras impellit planetarum, eſtque varietate ſtellarum decorata. Sumitur etiam pro ipſo cœlo empyreo, vbi eſt

gloria beatorum, & iucunditas summa; Quare quod legimus Psal. 67. vers. 5. *Iter facite ei qui ascendit super occasum*, in hebraico pro, *super occasum*, legimus בערבות Barbaroth, quæ vox occasum, siue locum vbi sol occidit, designat: est enim ערב Ereb *vespera*, seu tempus vespertinum. Sunt tamen aliqui, qui primam & superiorem sphæram designare putent: vt sit sensus, *Iter facite ei qui ascendit super cœlum*. Quò alludere videtur Hieronymus, qui eundem locum sic transfert: *præparate viam ascendenti per desertum*: significat enim Araba solitudinem & desertum, per quod cœli extimi significantur, vbi Deus versatur: sic dicti quòd sint deserti, & vacui stellis: quod respicere videntur verba illa Lucæ 15. *Quis ex vobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit 99. in deserto*, id est, in cœlo: ibi enim per 99. oues, Angelos cœlestes designat Christus.

6 Porrò apud Hebræos ex antiqua consuetudine libri præsertim sacri alterius sunt formæ, quàm libri nostri, quos ex multis folijs constituimus: habent enim vnum dumtaxat folium, siue membranam oblongam, quæ circa cylindrum, siue axem ligneum circumuertitur instar lineæ telæ, radio textorio circumuolutæ. Videntur autem huiusmodi libri aliquam præseferre cœlorum imaginem; quia sicut axem illum ligneum, qui in medio voluminis est, plures ipsius membranæ, siue orbes, siue sphæræ altera super alteram ambiunt & occludunt: ita hanc terram quæ medium totius vniuersi axem tenet, plures cœlestes orbes alter super alterum collocati orbiculariter circundant & claudũt. Hinc ex illo loco Isaiæ 34. vers. 4. *& tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli*; ex ambiguitate vocis נגלו Nagolv duplex sensus eruitur: Nam in hebraico tam conuoluere, quàm euoluere, & tam complicare, quàm explicare significat: vtrumque enim verbum גלל Galal sonat. Primus itaque sensus est, quem ipse Hieronymus reddit in nostra latina editione; *complicabuntur cœli sicut liber*, id est, conuoluentur sicut liber qui complicatur; iuxta hebraicorum librorum consuetudinem, cœlorum circumuolutionem innuit. Intelliguntur itaque per cœlorum militiam ipsa luminaria & stellæ: hæc autem tabescere, est lumen amittere; quod vt magis exponat, adiungit: *& complicabuntur sicut liber cœli*: si enim librum complices & conuoluas, literæ non apparent: ita cùm luminosa corpora sint in cœlo sicut literæ in libro (sunt enim signa temporum) si cœlum complices & conuoluas, non apparebunt, obscurationem igitur luminarium cœlestium notant hæc, quæ nihil aliud quàm supremam tristitiam, & rerum aduersarum quandam inundationem innuunt: & hoc est quod Euangelistæ dicunt: solem obscurandum, lunámque retracturam lumen, & stellas de cœlo ruituras. Chaldæus paraphrastes nullam facit ad librum comparationem: sic enim habet, *& tabescent omnes cœli cœlorum, & delebuntur desuper cœlum, sicut dictum est de eis in libro*: vbi indicare videtur, hanc cœlorum tabem, & dissolutionem scriptam fuisse in aliquo libro Prophetico: quis autem sit, iste liber non explicat, & complicationis nullam facit mentionem. Alter autem sensus huius loci nascitur ex significatione euoluendi, quam vox גלל Galal secum affert: vt sit sensus, *& explicabuntur, siue euoluentur cœli sicut liber*, id est, cœli qui nunc obuoluti sunt

sicut

ſicut liber, in fine mundi quando tabeſcet omnis militia eorum, euoluentur & aperientur, vt manifeſtentur nobis omnia conſummatæ illius gloriæ premia, quæ nunc ab oculis noſtris remota ſunt. Hunc ſenſum reddit Aretas Cæſareæ Epiſcopus in commentariis Apocalypſeos. Idem ſentit Clemens Romanus poſt Petrum Pontifex in tertio libro recognitionum, cui Iuſtinus Philoſophus, & martyr in libro quæſtionum à Gentibus poſitarum ſubſcribit.

Nomen quoque רקיע RAKIA ſignificat cœlum in ſacris literis: ſed propriè firmamentum, quod *ςερέωμα* Septuaginta à *ςερεόω*, quod eſt firmus ſum. Duo enim in cœlo conſiderantur: eius extenſio, & eius firmitas atque ſoliditas; nomen hebraicum RAKIA extenſionem deſignat, nomen verò græcum *ςερέωμα*, latinè firmamentum, denotat firmitatem, & ſoliditatem, ac ſtabilitatem: eſt enim רקה RAKA extendere, vt habes Exodi 39. vbi lamina aureæ extendi dicuntur: Hinc RAKIA id quod extenditur & diffunditur, vt vela, & cortinæ. Notandum autem eſt diuinas ſcripturas ita loqui ſolitas vt cùm elementa diffuſa ſint, & longiſſimè protracta, dicant Deum ea effudiſſe atque porrexiſſe; Quare Iſai. 42. dicitur extendiſſe terram, & germina eius; Idem habes cap. 44. Tota itaque cœli porrectio, & effuſio appellatur hoc nomine, quam vocem Septuaginta non conuertunt extenſionem, ſed *ςερέωμα*, id eſt; firmamentum. Gellius lib. 13. cap. 21. neruos vocat firmamentum membrorum, quòd in illis conſtet totius corporis robur & ſoliditas. Rhetores etiam firmamentum appellant quod à Quintiliano vocatur continens cauſæ, à Græcis *συνεχὸν*, id eſt, cardo ille circa quem totius cauſæ deciſio verſatur. Noſtri hodie Iuriſconſulti vocant punctum deciſionis litis. Igitur Septuaginta cœlum *ςερέωμα*, ſiue firmamentum nuncuparunt, ſtabilitatem innuere cupientes, quam accepit à Deo. Hanc non ſolùm cœlo tribuunt Septuaginta interpretes, verùm etiam terræ, vt Pſal. 92. *ἐςερέωσεν οἰκυμένην*, id eſt, firmauit orbem terræ. Vt igitur terram adeò ſtabilem eſſe dixerunt: ſic idem fortaſſe ſentiunt de cœlo, cùm firmamentum ipſum appellant: Nam & illud quod Pſal. 32. hebraicè eſt: *verbo Domini cœli facti ſunt* ipſi vertunt *ἐςερεώθησαν*, id eſt, *firmati ſunt*. Quare Hebræi ad porrectionem, & diffuſionem cœlorum reſpexerunt, nominantes cœlum RAKIA, Septuaginta verò eius ſtabilitatem appellantes *ςερέωμα*: Eſt ergo cœlum porrectum & firmum, quemadmodum & terra. Fieri etiā poteſt, vt Septuaginta hac voce reſpexerint ad cœlorum duritiam: Nam Homerus ſæpe in ſuis Rapſodiis appellat *χάλκεον ὀυρανὸν*, id eſt, æreum cœlum, & *χαλκοβατῆ δώματα*, id eſt, æreas domos, aut ære ſtratas, & *σιδήρεον ὀυρανὸν*, id eſt, ferreum cœlum. Plato quoque in legibus, aſtrologiam verſari dicit circa *ςερεῦ φοράν*, id eſt, ſolidi motum, cœlum ſignificans. 7

Sic ergo intellige quod dicitur Geneſ. 1. verſ. 7. *Dixitque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis; Et fecit Deus firmamentum, diuiſitq; aquas, quæ erant ſub firmamento ab his quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita, vocauitque Deus firmamentum, cœlum.* Eſt itaque firmamentum totum illud corpus extenſum, expanſum, ſolidum, & firmum, quod diuidit aquas ab aquis, in quo ſtellæ ſunt poſitæ. Non deſunt qui velint huiuſmodi firmamen- 8

tum

tum esse aërem, corpus deductum & expansum, quod ideò firmum vocant: quia Deus insignis artifex ita illud consolidauerit, vt quouis ære, & adamante sit durabilior, nec motus pernicitate consumatur, aut velocitate, quod dicunt diuidere has aquas inferiores ab aquis superioribus, quę in nubibus sunt. Sed quo pacto per firmamentum possit aër significari difficillimum est, cùm scriptura dicat posuisse Deum stellas in firmamento cœli, & constet non esse positas in aëre, nisi vnum isti statuant cœlum cum Chrysostomo, & dicant firmamentum esse aërem extensum, & expansum vsque ad altissimum stellarum locum: sic enim tota aëris, siue corporis aërei massa diuideret aquas ab aquis: sed reuera firmamentum est tota illa cœlorum expansio à primo vsque ad octauum, in quibus planetæ, & stellæ continentur, quibus aptè tribuitur extensio, quam vox hebraica significat, & etiam soliditas & firmitas, quam græca denotat.

9 Aristoteles de mundo ait, cœlum græcè dici οὐρανὸν ab ὅρος, terminus, quasi sit terminus extimus supremorum corporum, quamuis οὐρανὸς quasi ὁρανὸς, vt ait Ambrosius in Exameron, ab ὁράω nuncupari etiam possit, quòd sit visui peruium. Est itaque cœlum supremus totius mundi locus, atque ab omni calamitate, & perturbatione alienus; Quamobrem præter cætera loca omnia, Dei sedes esse dicitur, sicut scriptum est Isai. 66. *cœlum sedes mea est*, propterea locus omnium pulcherrimus, & elegantissimus est, quique Dei maiestatem ac gloriam apertissimè omnium indicat, iuxta illud Eccles. 43. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius est, species cœli in visione gloriæ*: & rursus Psal. 18. *cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Denique locus ille vt sublimis & excelsus, habitatorem suum maximum, supremum, ac potentissimum, necnon ab hominum infima conditione separatum longè, indicat, neque cum vlla alia ex inferioribus rebus comparabilem. Hinc Psal. 115. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*: & Exod. 20. *hæc dices filiis Israël: vos vidistis quod de cœlo loquutus sum vobis: non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.* Huius etiam loci adnotatione potentia, virtus, atque efficientia habitantis ostenditur, vt Psal. 113. *Deus autem noster in cœlo, omnia quæcunque voluit fecit.* Summam etiam erga mundum prouidentiam cœli locus vt altissimus, ita prospiciendi rebus, & summo consilio ac iudicio gubernandis opportunissimus probat. Hinc Psal. 13. *Dominus de cœlo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum*: & Psal. 10. *Dominus in cœlo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt*: sic Oseæ 2. *Exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, vinum, & oleum.* Hanc autem rationem Christus vno sermone est complexus Matth. 6. *Respicite volatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cœlestis pascit ea.*

Caput II. DE SVBSTANTIA SYDEREA.

1 QVàm necessaria sit his qui in lectione sacrarum scripturarum versantur, cognitio eorum, quæ ad orbes spectant cœlestes, varia sacræ scripturæ loca apertè testantur, in quibus interdum fit mentio Arcturi, Orionis, Hyadum,

S T E L L A.

dum, Pleiadum, Saturni, Solis, Lunæ, Luciferi, & aliorum Syderum, & Planetarum: Neque decet Theologum Scarabeo esse inferiorem: is enim, vt scribit Appion ille grammaticus (quem cymbalum mundi Tiberius appellare solitus erat, túmque etiam Aristoteles, Plutarchus, & alij excellentissimi scriptores testantur) certo anni tempore bubulum excrementum nactus, materiam eam suscipit sibi elaborandam, & primum ex ea pilulas conficit, vt iam mundi ipsius formam initio imitetur: mox eas ab exortu ad occasum versus posticis impellens pedibus, nō intermissa rotatione protrūdit; ipse interim auersus ortum spectat, quasi de industria id det operam, cœli ipsius exemplar intuendo, imaginem eius exprimere conetur. Illud etiam notandum, quod intertrudendum à subsolano in Africam fertur, quasi astrorum cursui fieri obuiam contendat, vbi eas per dies octo, & viginti sepultas occultat, quot itidem diebus Luna duodecim zodiaci signa perambularit, atque hyeme potissimum rigente fiunt: Dúmque ita pilæ in terra coopertæ confouentur, animantur primum in vermiculos, inde paulatim in id genus informantur, fimo tamen vt filliculo quodam inclusi: nono autem & vigesimo die Pater nido prodit, pilulas egerit, & singulas, vti dicebamus, protrudendo, in aquam prouoluit, vtpote qui diem cum Solis, & Lunæ coitu conciliare non ignorat: At perinde mundi ipsius generationem quandam assimilare orbe, inde Luna noua oriri incipiente, pilæ autem in aquis mollitæ primum, atque ita non multò post adapertæ, cùm fuerint iam informati, excluduntur scarabei, & nigrum it campis agmen. Adhæc scarabæo digituli sunt vnicuique triginta, totidémque sunt mensis dies, quibus Sol ortu continuo gradatim per singula signa cursum peragit suum.

Illud ergo imprimis notare volumus, sacrarum scripturarum studiosum, 2
per virtutem cœlorum in sacris literis, intelligi totam illam stellarum innumerabilem multitudinem, quâ cœlum ornatur, & mundus à Deo regitur, stellis famulantibus Dei imperio, & veluti sub imperatore militantibus, quæ nullo numero comprehendi facilè posse videntur, sicut in exercitu homines. Sublimiori verò intelligentia etiam significatur Angelorum multitudo, propter quos potissimùm dicitur Deus, Dominus virtutum, qui & ipsi in scripturis dicuntur virtutes, quòd sint potentes virtute ministri Domini, ad faciendum voluntatem eius. Illud autem Ecclesi. 43. *Vas castrorum in excelsis*, quamuis communiter tribuatur Lunæ, quòd ea sit vas castrorum, id est, præclarum instrumentum Dei inter astra, & militiam Dei: sed magis tribuendum videtur ipsis astris, quorum excellentiam post Solem, & Lunam ibi iam Sapiens prosequitur, appellans vas castrorum totum illum, qui in cœlis videtur, astrorum apparatum instar castrorum pulchrè ordinatum & dispositum: vnde & militia cœli dicitur, & exercitus Dei, quo Deus ad iusta sua complenda vtitur: est enim græcè σκεῦος παρεμβολῶν, quod rectè verti potest, apparatus instructio, vel armatura castrorum: σκεῦος enim vas significat, & quæuis arma, deriuatúrque ab σκευάζω, quod est paro & instruo.

Stellæ autem dicuntur, quæ in cœlo lucent singulariter sumptæ, aut cum 3
aliis sociatæ: sydera verò siue astra appellantur, quæ ad aliquod signum com-

L plurium

STELLA.

plarium stellarum composita sunt, vt Aries, Taurus: sed confunduntur hæc vocabula, & alia pro aliis sumuntur sæpe tam in sacris literis, quàm in auctoribus prophanis. Sic etiam apud græcos ἀστὴρ, & ἄστρον, diuersa sunt teste Suida: Nam ἀστὴρ est stella vna, at verò ἄστρον signum stellis coactum. Dicitur autem stella à stando, quòd stare stellæ videantur, quamuis semper moueantur: nomen autem hebraicè habet כוכב Cocab, vt quidam volunt à כבה Caba, id est, extinxit per antiphrasim, quasi lux, aut lucerna semper lucens: stella enim dicitur esse lux aggregata in suo orbe, ita vt quantò maior est aggregatio luminis stellati corporis, tantò stella sit maioris quantitatis, splendoris, ac lucis, atque etiam virtutis ac potestatis: secundùm enim Platonicos stellæ igneæ sunt naturæ: cœlum namque cum suo ornatu esse igneum multi antiqui posuerunt. Sydus autem, quod græcè ἄστρον vocatur, nomen græcum esse volunt ἀπὸ τῦ σὺν, id est, simul, & εἴδειν videre, quòd plures stellæ simul conspiciantur, aut παρὰ τὸ συνοδεύω, quod est commeo & conuenio, vt sit plurium stellarum conuentus; rectius tamen latinum esse putatur, & à sido deduci, quod est, deorsum ferri, & demitti ad sedendum, propterea quòd sydera occidentia in mare subsidere videantur.

4 Habent autem stellæ in hæc inferiora simul cum luce vires agendi, quarum virtute conciliantur, & ad concordiam reuocantur sibi inuicem contraria elementa. Earum autem splendore illustrantur omnia, sicut calore refouentur vniuersa: si autem stellarum naturam spectes, sunt simplicissimæ, & expertes interitus: si formam, lucidissimæ: si figuram, sphæricæ & rotundæ: si substantiam, solidæ: si ipsum earum situm, altissimæ: si motum, velocissimæ: si quantitatem, miræ magnitudinis, quamuis propter situs distantiam videantur paruæ: si multitudinem, penè innumeræ. Ortu suo & occasu tempestates concitant, & serenitatem efficiunt. Teste autem Aristotele lib. de cœlo & mundo, stellæ sunt extrema corporis cœli, in quo positæ & fixæ, ac subinde secundùm suam naturam splendidæ sunt, sicut & cœlum ipsum, quo reuoluuntur; Quare stellæ omnes proprio lumine constant, præter Lunam, & quamuis ex se lucidæ sint, tamen sui splendoris perfectionem à Sole accipiũt. Stellas autem signa esse rerum inferiorum, & in cœlo positas ad rerum gubernationem, colligimus ex illo Genes. loco cap. 1. vers. 14. *Fiant*, inquit, *luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem & sint in signa, tempora, dies & annos*. Quod autem dicitur, *in tempora*, hebraicè legimus למועדים Lemoadim, ne per tempora intelligas id, quod à Philosophis vocatur mensura motus: de quo Plato agens: *Vna*, inquit, *cum cœlo conditum est tempus, vt quia simul effecta sunt, simul dissoluantur*: Sed hîc tempora vocantur, quod vox hebraica indicat dies statos & solennes, quos Hebræi à contestatione, & admonitione Moadim appellant, à verbo יעד Iaad, id est, testatus est: quorum dierũ siue temporum frequentissima mẽtio est in sacris literis. Septuaginta quoque nõ vertunt hoc loco χρόνους tempora, sed καιρὸς, quæ vox benè gerendarum rerum tempus, & occasionem significat, quæ à Platone ἄνθος χρόνου, id est, flos temporis vocatur, quòd sit selectissimum atque maximè opportunum tempus. Sensus ergo est, *& sint in signa*, nempe, serenitatis & tempestatis, vel in signa, id est, miracula,

la, vel prodigia, vt Iosue 10. & Isai. 38. vel per signa intellige momenta & in tempora, id est, ad solennitates & festa. Aliqui interpretantur mensuram motus, id est, horas, quia per motionem stellarum significantur signa, id est, momenta & tempus, id est, horæ. Alij per tempora intelligunt quatuor anni partes: ver, æstatem, autumnum, & hyemem.

Itaque noctis imperium cum Luna stellæ obtinent, lucentes, & pulchritu- 5
dinem, efficientiámque suam mundo ostendentes, iuxta illud Genes. 1. *Luminare minus, vt praeesset nocti, & stellis*: quo alludit illud Psal. 135. *Lunam & stellas in potestatem noctis*. Earum numerus, & vsus omnium hominibus ignotus est: Deo autem conditori cognitus, qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat, vt dicitur Psal. 146. Ex his autem rationibus stellarum nomen sic vsurpari solet in sacris literis, vt innumerabilem multitudinem significet: sic Genes. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli*: & Deuteron. 1. *Estis hodie sicut stellæ cœli*: & Nahum 3. *Plures fecisti negociationes tuas, quam stellæ sunt cœli.* Aliquando stellæ vocabulo significantur varia ingenia hominum, eadémque præstantia virtutésque diuersæ: sic Iob 25. *Et stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*: & 1. Corint. 15. *Stella à stella differt in claritate.* Modo etiam arcano stellæ aliquando Ecclesias, & Ecclesiarum ministros indicãt: sic Apocal. 1. *Septem*, inquit, *stellæ Angeli sunt septem Ecclesiarum*. Nonnunquam prosperitatem, & secundarum rerum vsum, & facultatem nomine stellarum interpretamur, vt Isaiæ 13. *Quoniam stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum*: & Ierem. 31. *Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, & ordinem Lunæ, & stellarum in lumine noctis*: & Ezechiel. 32. *Nigrescere faciam stellas eius*: & Ioëlis 2. *Stellæ retraxerunt splendorem suum.* Iacob in Iosephi somno stellarum nomine fratres definiuit Genes. 37. Denique stella indicauit Christum Dominum Dei filium Magis Matth. 2. qui viderunt stellam in Oriente, & venerunt adorare eum, qui erat vera orbis lux & salus: de quo scriptum est Apoc. 22. *Ego sum stella splendida, & matutina.*

Nam & Numer. 24. vers. 17. stella eundem Christum significat: *Videbo*, 6
inquit, *eum sed non modò intuebor illum: sed non prope. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël stella ex Iacob*: & est sensus: *Orietur siue nascetur stella ex Iacob*, vbi Chaldaica editio apertissimè indicat, fore vt stella quædam, id est, rex ex Iacob nasceretur: sic enim habet, *Consurget rex ex Iacob, & pullulabit Messias de Israël, & interficiet principes Moab, & dominabitur omnibus filiis hominis.* Obseruatione igitur dignum est quantùm is locus Christianorum fidem confirmet: id enim in tota editione Chaldaica factum esse percipiamus, vt si quis locus in sacris literis ea tempestate de Messia esse videretur, clarissimè sit ab illis Chaldæorum interpretibus translatus, amotis vocabulis ambiguis. Itaque de Messia is locus intelligendus est qui principes Moab interfecit, id est, omnes Idololatras, qui per eum populũ maximè significantur, aut Antichristum quem Moabitam futurum esse asserunt, dominabitúrque super vniuersum orbem, Christus videlicet. Quid autem per filios Seth intelligendum sit, Chaldaica demonstrat editio, omnes scilicet homines, quia à Seth omnes propagati sumus: is enim in locum Abel interempti successit, proles autem Cain diluuio

extincta est. Noë verò à Seth originem ducebat; in Noë verò omne humanum genus est reparatum; quare filij Seth sunt sicut filij Adam, id est, omne genus hominum, quia inde omnes proueniunt: sed & Dauid Kimhi, hic Christianæ Religionis acerrimus hostis & oppugnator, ipsa Chaldaica translatione coactus, notat hoc loco regem Messiam ob magnitudinem suam, & eximiam sublimitatem stellæ assimilari: stellæ enim proprietates Christo Domino conueniunt, cùm se mundi lucem dicat Ioan. 9. & qui se non sequuntur, in tenebris ambulare affirmat.

ARCTVRVS.

7 Ex cœli autem, luminarium, & stellarum ordine, & habitu vario, variæ etiã in firmamento rerum constitutiones efficiũtur, vt serenum, nubilum, pluuiæ, imbres, fulgura, tonitrua, fulmina, ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum. Quare Arcturus stella est in signo Boote, id est, Bubulei, ita dicta quòd more Bubulei plaustrum, nempe sydus cœleste sic appellatum, sequatur, quæ quatuor alias stellas iunctas habet in dextera manu nunquam occidentes. Dicitur verò Arcturus, siue ἀρκτῦρος παρὰ τὴν τῦ ἄρκτυ ὐρὰν, hoc est, ab vrsinæ caudæ similitudine: ἄρκτος enim vrsum, vel vrsam significat, ὐρὰ verò est cauda, Bootes verò, siue arctophylax, id est, vrsæ custos, est sydus prope maiorem vrsam, ita dictum, quòd eam à tergo quasi custos videatur subsequi. Vrsæ autem dicuntur duo sydera, quas ἄρκτυς etiam græci appellant: Nos à similitudine septem boum iugum subeuntium, Septentriones dicimus: sunt enim septem stellæ, ex quibus quasi iuncti triones figurantur. Scribit autem Varro triones rusticorum vocabulo boues vocari, quasi teriones hoc est arãdæ terræ, & colendæ idoneos. Alij triones à situ dictos malunt: quoniam ita sitæ sunt huiusmodi stellæ, vt ternæ quoque ex illis proximæ inter se trigonã, id est, triquetram figuram constituant, quam recentiores vocant triangulum. Hæ itaque septem stellæ à nostris Septentriones appellantur, à quibus etiam ventus spirat, qui austro obiectus est, & latinè Septentrio, & Septentrionalis vocatur. Denique hæc eadem sydera, siue stellæ septem, id est, vrsa maior, quæ Helice, & vrsa minor, quæ Cynosura nuncupatur: quoniam plaustrorum similitudinem referunt, à Græcis ἅμαξαι nominantur, id est, plaustra. Constant autem hæc duo sydera ex quatuor stellis in quadrangulum dispositis, quæ totidem rotarum speciem referunt, & ex aliis tribus, quas qui Poëticam Astrologiam descripserunt, tribus equis currum trahentibus solent assimilare. Sydus ergo Bootes, siue arctophylax, id est, vrsæ custos est prope maiorem vrsam. Arcturus autem stella quædam est ex his quæ sunt in Boote sita post caudam maioris vrsæ: eius autem ortus, & occasus tempestates excitant: & quia sita est hæc stella iuxta Septentriones, interdum in sacris literis arcturus totam Septentrionem designat regionem.

8 Hinc facilis est loci illius expositio Iob 37. vers. 9. *Ab interioribus egredietur tempestas, & ab arcturo frigus*; Vbi D. Hieronymus per arcturum non tam stellam dictam arcturum quæ est in signo Boote iuxta vrsam maiorem, quàm stellas quæ sunt in parte aquilonari, siue plagam aquilonarem videtur intelligere: propriè enim arcturus dicitur עש As, vel כימה Cima, vt habes Iob 9.

& Amos

STELLA.

& Amos 5.hoc autem loco in hebraico est מזרים Mekarim. Significat autem propriè hæc dictio stellas aquilonares, quæ ita dicuntur à זרה Zara dispergere, siue ventilare. Est ergo sensus: *Ab arcturo frigus*, id est, à stellis aquilonaribus, & dispergentibus, ac ventilantibus veniet frigus, nempe à ventis septentrionalibus: quod rectè per arcturum significauit D. Hieronymus, quia etiam pro septentrionali plaga interdum sumitur. Sed & Septuaginta transtulerunt: *à promontoriis frigus*. Promontoria autem in parte aquilonari vt plurimum sita esse solent. Hoc ipsum etiam videtur indicare Chaldæus Paraphrastes, sic exponens: *Et à characteribus arcturi frigus*, id est, ab influentiis aquilonaribus.

ORION.

Orion autem est sydus cæleste, cuius ortu maximæ tempestates excitantur: hinc Virgilius Æneidos 1. Orionem nimbosum appellat. Sunt qui græcè ὀρίων, ab aquarum inundatione sic dictum velint, quòd ortus eius hyemis initium afferat & mare ac terras tempestatibus turbet: ὀρίω enim idem est quod turbo, & concito. Plautus hoc sydus iugulum vocat, quòd stellarum fulgore quasi gladiis armatum terribile videatur: si fulget, serenitatem: si obscurat, tempestatem præfefert. Denique hoc sydus ad modum armati pedes & brachia extendentis disponitur, & ferè per latitudinem trium signorum eius extenditur latitudo, quod in signo Tauri maximè fulget: cùm autem in ortu suo primùm tempestates significet, postea serenitatem subito operatur: Sole autem existente in signis Tauri & Geminis, vbi hoc Orionis sydus situm est, omnia germinant, quæcunque nutrimentum suscipiunt ex aquis, aëre, & terra. His ita positis, verba illa Iob 9 ver. 9. *qui facit arcturum, & Orionem, & Hyades, & interiora Austri*, sic sunt interpretanda, vt nomine Arcturi intelligamus totum sydus Septentrionum, id est, septem stellas quæ Triones dicuntur, non enim hoc loco significatur nomine arcturi sola illa stella, cuius proprium nomen est Arcturus. עוש Vs est congregare, & inde deducitur עש As, constellatio scilicet illa, quæ plaustrum dicitur: est enim sydus plaustro simile, & aliàs dicitur Vrsa, vt dictum est: Nomen itaque hebraicum à stellarum huiusmodi congregatione deducitur. Est itaque sensus, *Qui facit Arcturum*, id est, totam illam constellationem, siue sydus stellarum congregatarum, quod dicitur Vrsa & Plaustrum à latinis verò Septentriones. Hæc autem vox Iob 4. ver. 19. tineam significat: *Quanto* inquit, *magis hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum consumentur velut à tinea* quamuis alij propter vocis ambiguitatem, pro tinea Arcturum vertant in hunc modum: *Consumentur donec fuerit arcturus*, id est, omnia tempore quo manebit Arcturus, nempe regio septentrionalis. Quo alludere videtur versus sequens: *Domine vsque ad vesperam succendentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt.* Nomine autem Orionis, quod hebraicè כסיל Cesil vocatur sydus illud intellige, quod maximas excitare solet tempestates: sic autem hebraicè appellatur ab inconstantia, quia eius ortus tempestatibus orbem variè ac multipliciter turbat: כסיל Cesil enim inconstantiam, & instabilitatem designat, sicut etiam ὀρίων græcè à turbando vocatur. Arbitrantur aliqui hoc loco Cesil stellam magnam signifi-

L 3 care

STELLA.

care, quæ Arabicè dicitur SOHIL. Nonum quoque mensem ab hebræis dictum כסלו CISLEV, quidam putant ab ortu Orionis ita vocatum, quòd eo mense magna sit cœli inconstantia, & intemperies. Quoniam verò maximus est splendor stellarum quæ hoc Orionis sydere continentur, ideò Hieronymus Isai. 13.ver.10.pro וכסיליהם VCSILEHEM, id est, Oriones eorum, transfert, *splendorem*, vbi per splendorem significat splendida astra cœli, *Quoniam*, inquit, *stellæ cœli, & splendor eorum non expandent lumen suum*, ac si dicat nec stellæ cœli, nec Orion splendidissimus expandent suam lucem.

HYADES.

10 Hyades iuxta Suidam sunt septem stellæ in capite Tauri, quæ quoties nascuntur & occidunt, pluuias concreant ὑάδες græcè dictæ, ἀπὸ τοῦ ὕειν pluendo: à latinis vocantur Suculæ, ignorantia græcæ linguæ, vt Tiro libertus Ciceronis putauit. Cùm enim scirent prisci illi ὗας à græcis dici, quas nos vocamus *Sues*, putauerunt etiam ὑάδας latinè posse verti Suculas, tanquam ὑάδες ἀπὸ τῶν ὑῶν, id est, à suibus, ac non potius ἀπὸ τοῦ ὕειν, hoc est, à pluendo dicerentur. De Tironis iudicio vide Gellium lib. 13.cap.9. Non tamen absurdum videtur Suculas idcirco à latinis vocatas esse, quòd propter maximas quas adferunt pluuias, luto gaudere videantur, quemadmodum sues. Exoriuntur autem Suculæ, siue Hyades 12. Calendas Iunij, quo tempore vapores à mari, & terra per caloris solaris vim fortius ad superiora trahuntur, qui motu Hyadum in pluuias resoluuntur. Habent autem situm suum huiusmodi stellæ in fronte Tauri, & cùm iam dies extenditur, & Sol feruentius ascendit, solent primò ipsæ apparere. Quod notat D. Gregorius super Iob cap. 20. Quando verò à Saturno compelluntur, diuersas concitant tempestates: sed cùm ipsæ oriuntur, fruges vberius crescunt: quòd tunc à pluuiis irrigentur. Hoc ergo significatur Iob cap. 9. vers. 9. vbi mentio fit Hyadum, & Orionis, atque Arcturi. Itaque Hieronymus hoc loco vocem hebraicam כימה CIMA Hyadas vertit, nempe harum stellarum constellationem, quæ pluuiam inducit. Sed quoniam CIMA interdum sumitur pro coniunctione stellarum vocata Arcturus, aliquando pro stella magna, quæ dicitur oculus Bouis, accipitur, & in vniuersum designat stellas in parte septentrionali sitas. Hinc fit, vt sit multiplex, ac varia eius significatio, & variè ab interpretibus sumatur. Quare Hieronymus hoc loco vocem hebraicam Hyadas, at verò Amos 5. Arcturum, Iob verò 31. Pleiades interpretatur.

PLEIADES.

11 Teste Seruio Pleiades septem aliæ stellæ sunt ante genua Tauri, quæ ortu suo primæ nauigationis tempus ostendunt: vnde græcè πλειάδες, aut πληιάδες, dicuntur, ἀπὸ τοῦ πλεῖν, quod est nauigare: latinè Virgiliæ dicuntur, à verni temporis significatione quo oriuntur, exoriuntur enim verno tempore, & circa æquinoctium mane occidunt. Sunt qui putent Pleiades dictas, quasi πλείονας hoc est, plures, quòd nunquam singulæ appareant, sed omnes simul, præter Meropem, quæ vix conspicitur. Harum nomina putantur, Electra, Alcione, Celeno, Maia, Asterope, Taygete, & Merope. Quantò autem aura serenior est, & frigidior, tantò melius à se inuicem discernuntur: sunt enim sibi vicinæ,

sed

sed ad inuicem distinctæ. Sol enim in mense Iunio per Pleiades iter facit, & tunc aëris caliditas pluuiis vernalibus temperatur, atque terra ornatur florum pulchritudine. Iuxta Abulensem verò oriuntur Pleiades in 16. gradu Tauri cum Hyadibus,& motu suo turbant aërem: de quibus Iob 38. ver. 31. *Nunquid coniungere valebis micantes stellas Pleiades, aut gyrum Arcturi poteris dissipare.* Quo loco Hieronymus CIMA Pleiades interpretatur. Dicuntur autem Pleiades stellæ micantes,id est, splendentes & pulchræ: idenim vox hebraica מערבות MAARABOT designat à pulchritudine & splēdore:nam inde etiam ערבה ARABA cœlum appellatur: significat enim ערב EREB rem dulcem, suauem, & gratam.

Caput III. DE SVBSTANTIA PLANETARVM.

PLanetæ dicuntur septem stellæ terris proximæ, præter motum primi mobilis, quo ab ortu in occasum rapiuntur, peculiarem quandam illique contrariam habentes conuersionem: Nomen accipiunt ἀπὸ τοῦ πλανᾶσθαι ab errando, quòd hæ solæ ex omnibus stellis errent & vagentur, reliquis in vno loco consistentibus, vnde & fixæ dicuntur. Planetas autem latini græcorum imitatione errantia sydera, & errantes stellas appellant:ideò græcè πλανῆται dicuntur. Ex his Saturnus summum locum obtinet, proximum Iupiter, tertium Mars,quem deinde Sol ordine subsequitur,Solem Venus, sub Venere Mercurius situs est, Luna vltimum terrisque citimum, ideoque minimum orbem possidet.Differunt autem abinuicem situ,virtute,& effectu, vim suam tam elementis, quàm rebus omnibus, quæ oriuntur & intereunt communicantes.Suo autem proprio,peculiari, atque contrario motu impetum corporis cœlestis retardant;interdum tempestates, fluxus etiam maris & refluxus concitant.Sunt etiam sæpe causa fertilitatis, & sterilitatis in istis inferioribus per mutuum aspectum & coniunctionem, qualitates proprias aliqua ratione mutant: malitia enim noxij Planetæ per præsentiam benefici moderatur. Quare quidam ad aliquem Planetam referri illud putant, quod legimus Danielis 1. vers. 10. *Timeo ego Dominum meum Regem, qui constituit vobis cibum, & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum Regi.* Quamuis enim אשר כגילכם ASER CEGILECEM ad verbum idem sonat quod *similibus vestris*: quia גיל GIL similitudinem significat, & seruato eodem sensu transferat Hieronymus, *coæuis vestris*, quia coæui & coætanei similes sunt inter se. Quia tamen vox illa hebraica ad גלל GALAL reduci potest(nisi Chaldęa sit)vt Planetam à reuolutione significet:tunc sensus erit:*si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus vestræ Planetæ*, id est. sub eodem vobiscum Planeta natis, condemnabitis caput meum. Sanè Chaldæi astris omnia tribuebant; est autem qui ibi loquitur Chaldæus: quæ sane vox hebræis doctoribus familiaris est, cùm Planetas,aut sydera significare volunt. Nam dictionem גיל GIL exponunt מזל MAZAL, quod sidus siue planetam designat.Legimus præterea 4.Reg.23.ver.5. *& deleuit aruspices,quos posuerunt Reges Iuda,&c.& eos qui adolebant incensum Baal,& Soli,&*

li, & Luna, & duodecim ſignis, & omni militia cœli: vbi dictionem מזלות MAZALOTH quam Hieronymus transfert, *duodecim ſigna*, Septuaginta interpretantur, *& planetis*. ſed idem eſt ſenſus, cùm Planetæ per duodecim ſigna diuagentur: appellantur autem מזלות MAZALOTH, quòd curſu ſuo influant in hæc inferiora, eſt autem נזל NAZAL influere, defluere vel, ſi mauis, dicti ſunt planetæ ab eundo, & errando: nam אזל AZAL, à quo deduci poteſt vox illa, eſt idem quod ire, ambulare, pro quo tranſlatio Chaldaica ponit, *Et ſyderibus, & omnibus virtutibus cœlorum*. Poſſet etiam ſignificare ſtellam quandam vocatam מזרות MAZAROTH, cuius mentio fit Iob 38. ver. 32. tranſmutata litera ר in literam ל.

SATVRNVS Planeta,

2 Planeta Saturnus à latinis inde dictus, quòd annis ſaturetur, vt ſcribit Cicero de natura Deorum: græcè vocatur κρόνος, quaſi χρόνος, hoc eſt, tempus. Eſt autem hic Planeta noxius, frigidus, & ſiccus, nocturnus, grauis, & ponderoſus, ideóque à Poëtis ſenex deſcribitur: eſtque à terra maximè remotus, cui peſtilentiſſimus eſt, propter maximam à terra diſtantiam. Triginta annis curſum ſuum peragit, & magis quando retrograditur nocet, quàm cùm directè procedit, quem ideò Poëtę fingunt habere falcem curuam. Depingitur etiam colore pallidus ac liuidus: conſtat enim qualitatibus peſtilentiſſimis, frigiditate & ſiccitate. Quare fœtus eo imperante conceptus aut natus, vel moritur, vel peſſimis afficitur qualitatibus. Cõſtat autem ex obſeruatione Aſtrologorum, eos qui ſub hoc Planeta naſcuntur, eſſe vt plurimum pigros, triſtes, rarò hilares, eſſe etiam incultos & melancholicos. Reprimitur autem huius Planetæ malitia, cùm eſt Ioui vicinus imitato iam colore: cùm enim ſit natura ſua plumbeus, ex claritate Iouis cui iungitur, fit clarus & candidus.

3 Illud autem Hieremiæ 7. ver. 18. *filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli, & libent Diis alienis*, ſic interpretari poſſumus, vt per Reginam cœli, magnam ſtellam Saturni, & omnium planetarum ſupremam intelligamus, cui placentas faciebant, tanquam illuſtriori Reginæ, & dominatrici cæterarum ſtellarum. Nam vox hebraica כונים CAVANIM ſignificat placentam. Erant autem placentę, quædam ciborum genera, quæ parabantur & offerebantur ſimulachris: dicebantur autem ſic à כנה CANA, quod eſt adurere: erant enim collyridæ, ſiue tortæ ad ignem torrefactæ, panis ſcilicet, ſiue cibi genus, quod citra fermentum in furno coqui conſueuit, ex farina ferè conſtans ſiliginea, caſeo & melle adiecto quamquam & innumeris aliis penè modis confici ſoleret. Quò verò facilius poſſet percoqui tenue admodum fiebat, & latum cruſtarum imaginem, duritiémque referens. Id autem ex præcedentibus declaratur: nam ad eiuſmodi placentas efficiendas filij colligebant lignum, & patres ſuccendebant ignem, & mulieres conſpergebant adipem. Pro adipe eſt in hebraico בצק BASEK, quod Septuaginta reddunt, *ſimilaginem*, & Chaldæus Paraphraſtes, *maſſam*: id autem totum eò referebatur, vt facerent eiuſmodi placentas Reginæ cœli. Hinc factum eſt, vt כונים CAVANIM imaginem ſignificet Saturni, quam in ipſis placentis impreſſam illi offerebant: Nam כיון CIIVN eſt Saturnus planeta

PLANETA.

neta: in lingua enim Ismaelitica, siue Arabica כיואן CIIVAN, & כיואן CIVAAN significat Saturnum, vt sit sensus: *Filij colligunt ligna, vt faciant imaginem Saturni in placentis pressam*, quas placentas Reginæ cœli, id est, stellæ, nempe supremo & magno Saturno suam imaginem referentes, offerebant. Hinc locum illum Actor. 7. intelligis, vbi Stephanus ex Amos cap. 5. vers. 26. pro hac voce, quæ Saturnum significat, ponit ῥέμφαν, cùm ait: *& suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus Dei vestri, ῥέμφαν figuras quas fecistis, adorare eas*, sic enim habet Amos *Et portastis tabernaculum Moloch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sydus Dei vestri, quæ fecistis vobis.* Nam apud Amos pro imagine est, כיון CIIVN, quod Saturni imaginem significare diximus. Quarum quidem imaginum, quæ Reginæ cœli fiebant, id est, Saturno, mentio etiam fit Ieremiæ 44. ver. 19. Pro Regina verò cœli, habes in hebraico למלכת LAMLECETH à verbo מלך MALAC regnauit: sed per Reginam cæli hoc loco D. Hieronymus in commentariis Lunam intelligit, quasi reginam inter Planetas: probabile enim est, huiusmodi placentas factas esse, vt Lunæ offerrentur. Quia verò לאן significat operari, à quo vox מלכת MELECETH deduci potest, deficiente litera א, & adiuncta litera מ seruili, ita vt significet opus, siue machinã cæli. Interpretari etiam possumus huiusmodi placentas, siue tortas, factas esse, vt offerrentur ab eis machinæ operi, siue militiæ cæli, id est, astris cæli, vt etiam D. Hieronymus exponit in commentariis.

IVPITER Planeta.

Proximus est Saturno Iupiter Planeta, sic dictus, quasi iuuans pater: Est enim nomen stellæ illius salutaris, quæ ordine secunda est. Natura verò sua beneficus est hic Planeta, quia calidus & humidus, diurnus etiam, & temperato calore præditus, argenteus, colore candidus, clarus, blandus, atque suauis, quare in eius orbe Philosophi antiqui fælicitatem posuerunt. Propter sui verò orbis altitudinem, duodecim annis absoluit cursum proprium, bonitate autem sua reprimit malitiam Saturni, quando ei fit vicinus, ideóque antiqui finxerunt parentem suum, nempe Saturnum à regno expulisse, qui si aliis inferioribus Planetis coniungatur, immittit in hæc infima clementiam, saluberrimos influxus: humana autem corpora afficit pulchritudine & honestate, colore etiam niueo, ac rubore permixto. Est enim illi virtus maxima agendi in aërem: in sanguinem etiam, ac sanguineam complexionem. 4

Vnde quod legimus Isaiæ 65. ver. 11. *Et vos qui reliquistis Dominum, & qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam*: si vox hebraica גד GAD pro quo fortunam posuit Hieronymus, fælicitatem significet, sanè fortunæ mensa Ioui Planetæ mensam appositam significare videtur: Est enim stella Iouis planeta salubris, & designat fælices euentus, qui dicitur ab Arabibus, ככב צדק COCAB SEDEK, id est, stella iustitia, cui parabant mẽsam, vt prosperè res sibi succederent. Significare verò vocem hebraicam גד GAD fælicitatem & bonam fortunam, facilè colligimus ex illo loco Genes. cap. 30. ver. 11. vbi Helpha filium edente, quem conceperat statim Lia, dixit בגד BAGAD, id est, in fœlicitate, fœliciter, & idcirco vocauit nomen eius Gad. Scio quosdam exponere בגד BAGAD *in excursione*, id est, turmatim ve- 5

M niunt

niunt mihi filij, sed reuera idem est quod venit fœliciter, ac si diceret, באגד BA GAD בא BA venit, גד GAD, fortuna nempe bona, id est, fœliciter mihi succedit, propterea Septuaginta exponunt *ἐν τύχῃ in fortuna*, id est fortunatè, & potest exponi בא מזל טוב BA MAZAL TOB venit sydus bonum, siue stella bona, id est, Planeta bonus & salubris, qualis Iupiter. In hunc ergo sensum interpretatus est Hieronymus hunc Isaiæ locum, *qui ponitis fortunæ mensam*: erat enim (vt ipse scribit libr. 12. commentariorum super Isaiam cap. 65.) in cunctis vrbibus, & maximè in Ægypto, & in Alexandria idololatriæ vetus consuetudo. vt vltimo die anni & mensis, eorum qui extremus est, ponerent mensam refertam varij generis epulis, & poculum mulso mistum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes: id autem verba sequentia subindicant, *Et libatis*, inquit, *super eam*.

MARS Planeta.

6 Vt Varro scribit libro 4. de lingua latina, Mars Planeta sic dictus est, quòd maribus bello præsit: est enim antiquitus creditus Deus belli. Hic autem planeta quatuor & viginti mensibus & sex diebus minus ferè orbem suum lustrat. Est autem calidus, siccus, & nocturnus, ideóque vim suam exercet in ignem, & quamcunque colericam complexionem: confert etiam hominibus animum, audaciam, atque appetitum vindictæ; inde etiam bellorum dictus est Deus. Sequitur autem hic planeta Iouem, atque Venerem, siue Luciferum præcedit. Ex vtriusque autem benignitate, & vicinitate, eius malitia temperatur. Colore fulgidus est, & rutilans sicut ignis, & maiore præditus est vi in calefaciendo, quàm alij planetæ, ad excitandam coleram in corpore humano, in animo autem mobilitatem, & leuitatem concitat, iracundiam quoque, & alias colericas affectiones accendit.

Propterea quod apud Isaiam cap. 65. ver. 11. de Ioue planeta interpretati sumus, dum diximus ibi גד GAD fortunam & fœlicitatem significare, exponi etiam de Marte planeta potest, sicut à quibusdam exponitur: significat enim גד GAD Martem, quasi excursorem: est enim גדד GADAD turmatim excurrere, quod Marti planetæ bellorum præsidi videtur aptè conuenire, cui mensam illam parabant, vt in bello contra aduersarios opem ferret: sicque interpretantur locum illum Isaiæ: *Qui ponitis ipsi Marti planetæ mensam, & libatis super eam*. Significat enim גדוד GEDVD exercitum, & globum militum, quæ omnia ad ipsum Martem spectare videntur.

SOL Planeta.

7 Planetarum omnium medius est Sol temporum dispensator, & qui aduentu suo diem, recessu noctem efficiat, dictus Sol quasi solus, quòd vnicus sit, & non plures, vt sentit Cicero 2. de natura Deorum, & tantam claritatem solus obtineat, vt solus cùm est exortus obscuratis omnibus appareat. Est autem planeta fortunatus & salutaris, diurnus, calidus, & siccus, quem Ambrosius in Exaëmeron vocat oculum mundi, iucunditatem diei, pulchritudinem cœli, mensuram temporum, ac vigorem omnium nascentium, omnium planetarum decorem, & perfectionem omnium stellarum. Denique omnibus rebus vitam præstat, motúque suo, ratione optima, & recto ordine perficit vniuersa.

Pro

PLANETA.

Proprium autem cursum absoluit 365. diebus & sex horis, ex quibus annus constituitur. Cùm autem sol ab Ethnicis Deus esse crederetur, omniáque suo lumine illustraret & videret, Dei lampas dictus est ab Euripide: atque vt summatim dicam: post ipsum Deum rerum omnium auctorem & moderatorem, Solem patrem & principium generationis arbitrati sunt: quippe quod ille omnium operatorum Deorum vires vnus reipsa contineret. Denique ipsum cuncta videre, cuncta audire, cuncta cognoscere mortalia putarunt, vt ait Æschilus in Prometheo: quem etiam quidam Dei simulachrum in mundo esse censuerunt, tum quia cunctis syderibus sit fons luminis, vt beneficentiæ auctor in omnes res naturales, tum etiam quia pro suo cursu cæteris omnibus iustitiæ & administrationis sit moderator, vt ait Plutarchus in libello de doctrina Principum. Demùm lucis vitæque quæstor vocatus est à Proclo, clauium, ac rerum humanarum gubernator: Nam & Anaxagoras Solem μύδρον esse, hoc est, ferrum candefactum opinatus est, atque ita omnia ex eo gigni conformaríque affirmabat: ferrum enim ita dispositum, in quod volueris opus informabis magnificentius. Euripides Anaxagoræ discipulus cum eodem sentiens, Solem auream glebam appellauit.

Vocatur autem Sol hebraicè שמש SEMES ab administranda luce. Dicitur etiã חרש CHERES ab ardore & excitatione, appellatur quoque חמה CHAMA à calore quem producit. Nomen græcum est ἥλιος, qui ἀπόλλων, vt scribit Plato, dictus est ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὰς ἀκτῖνας, hoc est, à iaculando radios. At verò Chrysippus Appollinem dictum ait ab ἄνευ particula priuatiua καὶ πολλοί, quòd non multi, sed solus claritatem obtineat. Speusippus existimabat ideò dici Apollinem, quòd ex multis ignibus eius vis constet. Cornificius autem Appollinem nominatum putauit Solem ἀπὸ τοῦ ἀνατέλλειν, quia intra circuitum mundi, quem græci πόλον appellant impetu latius feratur. In sacris verò literis Sol maius luminare splendore, caloréque suo cætera omnia vincere dicitur, atque effectu ipso superare. Hinc psal. 17. *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam. à summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius: neque est qui se abscondat à calore eius*: Sic etiam psal. 135. Solem positum legimus in potestatem diei, & Lunam in potestatem noctis. Atque in significationum generibus diei partes Sol indicare solet in sacris literis, vario ac multiplici sermone, vt Gen. 19. *Sol*, inquit, *egressus est super terram, ortúsque ex statim Sol*, & Gen. 32. *Cùm incaluisset sol*. Exodi quoque 16. *reddes ei ante Solis occasum*. Et Deut. 24. *antequam Sol occumberet*. & 3. Reg. 22. *mortuus est occidente Sole*. Gen. quoque 15. *Cùm Sol occumberet, sopor irruit super Abraham*. Neque temporum tantùm, sed terrarum etiam, & locorum index Sol est, vt Deut. 4. *Trans Iordanem*, inquit, *ad Solis ortum*. Et rursum Deuter. 11. *Qui vergit*, inquit, *ad Solis occubitum*. Psal. quoque 106. *à Solis ortu vsque ad occasum*, omnis terra significatur. Et Eccles. 1. *Sub Sole vniuersus orbis est*. Præterea Sol eximiam virtutis & dignitatis pulchritudinem, atque diuinum quoddam significat decus, *Lux Solis erit septempliciter, &c.* Isaiæ capite tertio, & psalmo septuagesimo septimo *Thronus eius sicut Sol in conspectu meo*. Idem significatur verbis illis Christi in Euangelio Matthæi capite decimo-

 tertio.

PLANETA.

tertio *Fulgebunt iusti tanquam Sol in regno Patris mei.* Sic 1. Corint. 15. *alia claritas Solis, alia claritas Lunæ.*

9 Iam verò Sol iustitiæ dicitur Christus Malachiæ 4. *Orietur*, inquit, *vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Quare Matth. 17. *Facies eius erat vt sol*, Solis autem obscuratio, & cæterorum luminarium obtenebratio calamitatem maximam, & miseriam, & Dei indignationem, atque vltionem in sacris literis significare solet, vt Isaiæ 24. *Erubescet cœlum, & confundatur Sol cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Hierusalem*: sic Sol ante tempus occidens festinam & prematuram calamitatem designat, & protendit, vt Hieremiæ 15. *Defecit anima eius: occidit ei Sol, cùm adhuc esset dies, confusa est & erubuit.* Quod verò legimus Isaiæ 54. *Et ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos*: Sic iuxta Hieronymum intelligimus, vt propugnacula significent fenestras, ex quibus quasi propugnaculis potest domus defendi, quem sensum ex hebraica voce hausit Hieronymus: nam cùm שמש Semes hebræis sit Sol, legimus in hebraico שמשתיך Semostaic pro eò quòd latinè est, *propugnacula tua*, quod ad verbum est *solaria tua*, ac si diceret: *& ponam lapidem solaria tua*, id est, fenestras tuas, per quas Sol lucem immittit, vbi fenestræ ideò solaria vocantur, quia per eas Sol ingreditur, & Solis vicem habere videantur, quòd per eas lux Solis diffundatur.

10 Quod verò legimus de Sole 1. Paral. 4. vers. 22. aliquam ingerit nobis difficultatem: sic enim habet scriptura: *Et qui stare fecit Solem, virique mendacii, & securus, & incendens, qui principes fuerunt in Moab, & qui reuersi sunt in lehem*, vbi pro verbis illis, *& qui stare fecit Solem*, in hebraico tantùm legimus: ויוקים Vetokim: cùm autem Iochim non significet Solem, nec verba illa voce hebraica significari possint, in quibus fit mentio Solis, quem per hanc vocem non posse significari manifestissimum est, necessariò conuincimur virum aliquem extitisse, qui Solem stare fecerit, cùm vulgata editio nostra hoc manifestè asserat. Hunc autem virum fuisse diuersum à Iosue constat apertè ex eodem libro Paralipomenon: vocatur enim Iokim, & dicitur esse ex Tribu Iuda, vixisseque annis ducentis post Iosue, cùm Iosue fuerit ex Tribu Ephraim. Quare ex hoc loco necessariò statuendum est, duos fuisse qui Solem stare fecerint in scriptura, Iosue, & Iokim. Hebræi doctores asserunt virum hunc fuisse Elimelech, maritum Noemi, patrem Malon, & Chelion, (vt refert Hieronymus in libro hebraicarum quæstionum) in cuius tempore tradunt Solem stetisse propter præuaricationes legis. Quod verò sequitur reuersos fuisse viros illos in Lehem, aiunt demonstrare Nohemi & Ruth, quæ in Lehem, id est, Bethlehem propter inopiam panis reuersæ sunt. Sed dices quare noster interpres hæc verba, *qui stare fecit Solem*, in nostra editione posuerit: cùm nihil tale habeatur in hebraico, nec id vox hebraica Iokim significare videatur. Fateor quidem, neque in codicibus hebraicis, neque in græcis, aut chaldaicis fieri aliquam mentionem Solis. Iure tamen optimo pro dictione illa hebraica Iokim transtulit, & posuit: *Qui stare fecit*. Scio huius rei difficultatem adeò viros doctissimos vexasse, vt locum istum intactum præterierint. At reuera noster interpres in editione vulgata, verum, & genuinum sensum ac literalem ex hebraica

hebraica veritate reddit quando transtulit: *& qui stare fecit Solem:* quod vt fiat apertum, illud est in memoriam reuocandum, præcipuum optimi interpretis officium esse, non verba sed potius sensum reddere; Quare si interpres sacræ scripturæ verba illa. Exodi 3. *Abiit Moyses, & reuersus est ad Jetro*, sic transtulisset: *Abiit eductus ab aqua, & reuersus est ad Ietro*, eundem verum, & genuinum sensum reddidisset, quia Moyses, & qui ab aqua eductus est, eadem prorsus sunt persona: Nam dictio Moyses eductum significat: id enim est מׂשה MASA educere, & extrahere. Fuisse autem Moysen eductum ab aqua historia capitis primi Exod. manifestat, quæ fidem facit Moysen ab aqua eductum fuisse per filiam Pharaonis, & ideò hoc nomen ei impositum est. Quis autem eum interpretem reprehenderet, qui verba illa Marci Tullij Ciceronis 2. in Catilinam, *Senatum in ædem Statoris vocaui: Conuoque el Senado ala casa de que hizo parar los Romanos, y hazer rostro alos Samnitos, aquiem hauian ya buelto las espadas:* his enim verbis significatur Iupiter, qui à veteribus stator dictus est, quia stetit, id est, stare fecit Romanos iam in fugam à Samnitibus versos. Quare idem prorsus sensus est si dicas: senatum in ædem iouis vocaui, aut senatum vocaui in ædem eius qui stare fecit Romanos, sic igitur noster interpres, quia in ipso nomine Ioëim latebat mysterium, maxime Dei omnipotentiam extollens, scriptum in libro qui verba vetusta vocatur in eodem 1. Paral. 4. quem temporum iniuria periisse constat, noluit transferre IOKIM, vt Septuaginta verbo ad verbum: sed reddens eundem sensum, posuit: *qui stare fecit Solem*, simul prodens mysterium, quod vel legit in libro verba vetusta, si ad manus eius peruenit, vel à Spiritu sancto edoctus, vt interpres sacræ scripturæ Canonicus certò intellexit historiam, siue traditionem ea ex parte, qua testatur aliquem extitisse, qui stare fecerit Solem, esse veram. Nam יוקים IOKIM dimanat à verbo קום KVM surgere, stare, & הקים HEKIM est facere stare, & יקים IAKIM idem est, quod stare faciet: Hinc יוקים IOKIM eo trahitur, vt statorem significet, siue eum qui stare fecit. Rectè ergo noster interpres cùm idem sit IOKIM, & qui stare fecit, nempe Solem, non IOKIM ad verbum, vt Septuaginta, sed ad sensum transtulit: *Qui stare fecit Solem:* Neque enim hoc nomen vir iste habuit sibi à natiuitate inditum, sed impositum temporis successu ab hoc admirando effectu. Quemadmodum enim hoc nomen Moyses est diuersum longè ab illo, quod ei fuerat impositū circuncisionis die octauo, cuius nulla extat memoria, sed vbique Moyses vocatur, vt extractionis eius ab aqua, tanquam singularis beneficij fieret sæpe in sacra scriptura mentio: ita etiam dicendum est IOKIM binominem fuisse, sed nomine statoris vocitatum postquam stare fecit Solem: cuius hoc loco mentionem facit scriptura, vt rei huius tantum, & tam insigne mysterium proderet: quod disertis verbis noster interpres explicauit.

Porrò porta illa Hierusalem, quam fictilem vocat D. Hieronymus, solarem etiam vocatam, quòd ad ortum Solis exposita esset, ex hebraica dictione quæ habetur Ieremiæ 9. vers. 2. facilè colligere possumus: *Egredere*, inquit, *ad vallem filiorum Ennon, quæ est iuxta introitum portæ fictilis:* Nam ex ambiguitate vocis hebraicæ החרסית HACHARSITH duplex huius loci resultat sensus: Primus 11

PLANETA.

quem ponit Hieronymus, reddens: *portam fictilem*: legit enim vocem hanc per literum ש, sinistram, non per ס: est enim חרס Cheres testa, fictile: quem sensum etiam reddunt Septuaginta eadem ratione ducti: sic enim transtulerunt: *& egredieris in polyandrion*, id est, cemeterium filiorum Ennon, quod est in vestibulis portæ fictilis. Secundus sensus est: *egredere ad vallem, quæ est iuxta introitum portæ solaris*: Nam ס ח Cheres per ס, non fictile, sed solem significat: Idem חרסה Charsa, hinc deducitur חרסית Charsith solaris nomen, videlicet portæ quæ erat ad ortum solis, quasi dicas portæ Orientalis: dicitur autem sic Sol ab ardore & exsiccatione. Dicebatur itaque porta hæc solaris, siue Orientalis iuxta hunc sensum: Chaldaica verò Paraphrasis vocat portam sterquilinij: sic enim porta fictilis, siue solaris dicebatur: quo tempore scripsit Chaldæus Paraphrastes. Constat autem portam sterquilinij, siue stercoris eam fuisse, quæ contra atrium portæ anguli sita, solem orientem respiciens, omnes ciuitatis sordes, quas pluuia congregare poterat, in Torrentem Cedron euomebat, vnde non immeritò postea sterquilinij, siue stercoris nomen accepit. Fit huius portæ mentio Nehemiæ 2. & 3. & 12. cap. Vide Brocardum itinere 6. & Lyranum in cap. 3. Nehemiæ.

VENVS Planeta.

12 Stellarum errantium vna Venus est, inter Solis, & Mercurij sphæram sita, quæ φώσφορος græcè, Lucifer verò latinè, & etiam Venus vocatur, quæ ab antiquis gratiarum, pulchritudinis, voluptatúmque omnium Dea habita est. Planeta est nocturnus, sed moderatus. Secundùm proprias qualitates, calorem scilicet & humorem, colore præditus est candido, & splendido, simili electro. Inter omnia verò sydera fulget iucundius: quare & Iubar dicitur: emittit enim à se Iubar radiosi luminis, & ideò vmbram efficit. Absoluit autem proprium sui motus cursum 367. diebus.

13 De hoc Planeta intelligendus est locus ille Iob 38. vers. 32. *Nunquid produces Luciferum in tempore suo, & vesperum super filios terræ consurgere facies.* Pro eo autem quod Hieronymus transtulit, *Luciferum*, id est, Planetam Venerē, Septuaginta vocabulum hebraicum in græco contextu reliquerunt, sic enim habent: *aut aperies Mazaroth in tempore suo.* Itaque propter variam acceptionem vocis מזרות Mazaroth, varij etiam sunt hoc loco interpretes, qui omnes consentiunt significare aliquam stellam, aut sydus cœleste: Nam מזל Mazal stellam significat: Hinc מזלות Mazaloth: Nam litera ר, in isto loco Iob posita est pro ל: facilè enim hæ literæ permutantur: Ita vt sit sensus: *Nunquid produces potentia tua stellas in tempore suo*, id est, in tempore quo ascendunt & oriuntur. Nonnulli putant esse vnam ex stellis meridionalibus, quæ nonnisi exiguo tempore conspicerentur in ea regione, quam Iob inhabitabat, & ideò dictum: *in tempore suo.* Alij Planetas exponunt; Chaldæus Paraphrastes constellationes Planetarum interpretatur. Sed cùm constet tam Septuaginta interpretes, & etiam Paraphrastē Chaldaicam dictionem sequentem עיש Aiis esse interpretatos, *vesperum*, optimè D. Hieronymus dictionem מזרות Mazaroth Luciferum, id est, Venerem exposuit: vesperus enim, qui & Mercurius dicitur, Solem sequitur: Lucifer, id est, Venus Solis ortum præcedit.

Quare

P L A N E T A.

Quare Isai.14. Lucifer vocatur הילל בן שחר Helel ben sachar, id est, Lucifer filius auroræ: *Quomodo*, inquit, *cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris*, ad verbum Lucifer filius auroræ, quia in aurora solet oriri. Tempus itaque huius planetæ est aurora. Sensus ergo est: *Nunquid produces Luciferum in tempore suo*, id est, in aurora, & potest explicari: *& vesperum*, id est, eundem Planetam Veneris, qui quando retrogreditur Solem dicitur vesperus, & consurgit super filios terræ, id est, super terras Occidentales: Nam, vt inquit Cicero 2. de natura Deorum, infima est quinque errantium, terræque proxima stella Veneris, quæ φωσφόρος græcè, latinè verò Lucifer dicitur, cùm antegreditur Solem, cùm subsequitur autem ἕσπερος. Sed D. Hieronymus in suis commentariis apertè dicit loqui scripturam de duobus Planetis, qui diuersi inter se sunt, quorum alter Lucifer, alter Vesper nuncupatur, quod ex litera hebraica apertè colligitur: Nam pro Lucifer est מזרות Masaroth, & pro vespere Aiis. Dicendum ergo est, hîc mentionem fieri duorum Planetarum, nempe Veneris, qui Lucifer propriè appellatur, & Isai. 14. dicitur filius auroræ, & Solem antegreditur, quamuis aliquando sequatur, & Planetæ Mercurij sexti in ordine Planetarum, qui Solem sequitur, & dicitur Vesper: quamuis interdum Solem antecedat, & oriatur diluculo: de quo Planeta D. Hieronymus Isai. 14. *Hanc*, inquit, *stellam multi putant Hesperum*, vnde & Italia Hesperia nominata sit, eo quòd illic tempore suo primum apparet. Notandum etiam illud est quod legimus Prouerb. 4. vers. 18. *Iustorum autem semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem*: Nam ex duplici significatione vocis נגה Noga duplex germinat sensus: significat enim splendorem: quem sensum nobis exhibuit D. Hieronymus. Designat etiam Luciferum, nempe Planetam Venerem, qui non occultatur ascendente aurora ob suum splendorem, vocatur autem Planeta Venus נגה Noga ab eximio inter minores stellas splendore.

Mercvrivs Planeta.

Est autem Mercurius vnus ex septem Planetis, cuius corpus cunctorum syderum minimum fere subest radiis solaribus à quibus non recedit longius quàm viginti octo gradibus: ideò ab Astronomis στίλβων dicitur, quod est radians: vnde etiam solatus, vel perustus fingitur, quòd Soli vicinior sit, quàm reliquæ stellæ. Est verò temperatus Planeta, & nocturnus, & vt notatum supra est ante Solis ortum, & aliquando post occasum splendet, ideóque interdum Vesper nuncupatur: cito autem ad naturam illius se accommodat, cui coniungitur, aut fit vicinus, vt cum salubribus Planetis salubris, cum noxiis noxius, cum mediocribus mediocris efficiatur. Ob suam celeritatem cursor Deorum à Poëtis fictus est, quia iam cum Sole statim ante Solem, & rursum post Solem graditur. Absoluit autem cursum proprium 334. diebus. 14

Hoc loco Solum est animaduertendum Isai. 63. vers. 11. quod supra fortunæ mensam interpretati sumus de Ioue, quod etiam diximus de Marte posse intelligi non defuisse qui id ad Mercurium referrent: Nam verba illa quæ sequuntur והממלאים למני ממסן Ve ha memaleim lamni mimsan, 15

quæ

quæ reddunt Septuaginta: *& impletis fortunæ potionem*, ex varia significatione dictionis, hebraicè מני Minni, varios etiam sensus accipiunt. Symmachus enim interpretatur, *absque me*, vt sit sensus, *qui paratis fortunæ mensam, & impletis absque me potionem*, vt significet non sibi fieri, sed Dæmoni illum cultum. Alij מני Menni interpretantur, id est, numerum à מנה Mana numerauit, vt sit sensus, *qui impletis*, id est, libamini, Numero scilicet stellarum, id est, septem planetis. Sunt etiam qui putent significatum hic esse Mercurium Planetam, qui dicitur מני Meni à numerando, quòd ei libarent, qui eum in negotiatione sibi propitium esse vellent; Putabatur autem Mercurius negotiationi, & mercaturæ præesse. Sunt etiam qui hanc vocem simpliciter numerum exponant, cui nonnulli Idololatræ seruirent Pythagoræorum more.

LVNA Planeta.

16 Luna à lucendo dicta, quòd noctu Sola luceat, & lucem emittat: Alij Lunam quasi lucem alienam dicunt, quòd lumen à Sole accipiat. Hæc Solis discipula obsequitur cursibus supernis, & prout accedit ad Solem, vel recedit à Sole, crescens, aut senescens dispensat lumen, ideóque semper est instabilis: Quæ, vt dicit Macrobius, dispensationibus septenariis luminis sui vices sempiterna lege variando disponit. Primis septem diebus diminuta semiorbem ostendit, græcóque sermone διχόμηνος, & διχοτόμος vocatur, quasi dimidia: Secundis totum orbem complet, fitque plenilunium, quod Græci πανσέληνον vocant: Tertiis rursum διχοτόμος efficitur: Quartis fit totius lunæ cum Sole coitio, græcè σύνοδος, quod interluniũ vocant, & silentem Lunam ac intermenstruã. Plenilunium est cùm Luna quintadecima, & rotunda est, Solíque ex diametro opponitur. Interlunium autem est, vt inquit Plinius lib. 18. Cùm Luna apparere desierit, ipsa coëunte & silente: vnde Lunæ coniunctio dicitur dies silentis Lunæ. Est verò Planeta frigidus, humidus, & nocturnus, cuius decremento medullæ in ossibus, cerebra in capitibus, & humores in corporibus decrescunt: eiusdem autem incremento crescunt & multiplicantur; Breuissimo verò tempore proprium cursum absoluit: per spatium enim viginti octo dierum per omnia signa Zodiaci euagatur, manétque in quolibet signo duobus tantùm diebus & sex horis. Est autem inter stellas errantes quæ magis in incerto vagatur, & discurrit motu inconstanti: Nam sui cursus breuitatem interdum sub Sole, aliquando ante, rursum retro vagatur: Et quo tempore Sol lustrat, circulos australes superiores Luna percurrit: boreales etiam superiores, quæ cùm in principio rubet, ventos designat; cùm autem in summo corniculo maculis quibusdam nigrescit pluuiosum designat mensis exordium. Galeno autem auctore in commentariis criticorum dierum, per coniunctionem corporis Lunaris cum stellis fortunatis profluunt morbi & ægritudines, quas valetudo consequitur: si autem stellæ quibus coniungitur, sint noxiæ, ad interitum perducit.

17 Marcus Tullius Cicero lib. 2. de natura Deorum: *Luna*, inquit, *eadem quæ lucina*. Itaque vt apud Græcos Dianam, eámque Luciferam: ita apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocat: vidi in aureo numismate apud Achillem Maffeum in postica facie inscriptum cum Dianæ simulachro facem arden

P L A N E T A.

ardentem habentem: *Sic* D*IANA* L*VCIFERA, quæ etiam Diana omniuaga dicitur, quòd inter septem numeretur, tanquam à vagantibus Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quòd ij maturescant, aut septem nonnunquam, aut plerumque nouē Lunæ cursibus, qui quia menstrua spatia cōficiunt, menses nuncupantur, concinnéque vt multa Timæus, qui cùm in historia dixisset qua nocte Alexander natus esset, eadem Dianæ Ephesiæ templum deflagrauisse adiunxit minimè esse mirandum, quòd Diana cum in partu Olympiadis adesse voluisset, abfuisset domo.* hactenus Cicero. Isim verò Diodorus Siculus, aliíque eandem esse cum Luna tradidere, quod docens simulachra ipsa, vt dicit Plutarchus, quoniam κερασφόρα, id est, cornigera ad Lunæ similitudinem effingebantur, & μελανοστόλος, hoc est, nigris vestibus, quibus occultationem, & adumbrationem eius significabant. Veruntamen Isis (vt in octauo Æneidos Seruius interpres testatur) credita est Ægypti genius, qui per sistri motum, quod gerere fingebatur in dextera, Nili accessum significat: per fistulam quam sinistra tenebat, omnium lacunarum affluentiam ostendebat.

Nihil autem magis naturam humanam exprimere videtur, quàm huiusmodi Lunæ astrum: homo enim à limo terráque est conflatus; Lunaris autem globus etiam terra esse perhibetur. Pythagoras enim Lunam modò terram cœlestem, modò terrestre cœlum appellat, ac terræ similem eam dicit Aristoteles. Varia præterea est Lunæ facies, diebúsque singulis commutata conspicitur; vnde Elurus, id est, Felis, filius Lunæ à Poëtis fingitur, quòd Lunæ sequatur naturam, vt Demetrius Phalareus in eo dicit, quod est περὶ ἑρμηνείας, vnde etiam nos hodie experimento comprobamus Felium oculos sicut Lunam mutari, hoc est, pupillam augeri, & minui iuxta Lunæ cursum, neque varietati quicquam magis obnoxium, quàm rerum humanarum conditio. Apud Gentes autem æternitatis significatio fuit, propterea quod cùm defecisse videatur, noua iterum fit, sæpiúsque anno toto iuuenescit. In Faustinæ aliquot nummis est simulachrum, quod læua pallam sustinet, dextera auiculam cum Luna superſidente, inscriptio Æ*TERNITAS*. In nummis etiam aliquot Seueri, Alexandri, Augusti simulachrum videre est, quod dextera nouam Lunam attollit in sublime, inscriptione addita P*ERPETVITATI* A*VGVSTI*. Vita porrò nostra Solis, & Lunæ regimine ducitur, cuius cùm duæ præcipuæ partes sint, eæque propriè, sentire & crescere, quorum alterum græci αἰσθητικὸν, alterum φυτικὸν dixêre, sentiendi vim à Sole, crescendi à Lunæ globo sortimur, vtque ait vtriusque luminis beneficio hæc nobis constat vita qua fruimur. Denique humore vnius, & alterius calore sustentatæ rerum species propagantur, æternæque fiunt. 18

Luna verò secundùm literas sacras ideò mensium spatia suo proprio cursu definit, quia sicut legimus Psal. 103. *Fecit Lunam in tempora*; Ipsa etiam tempus noctis, & operationes eius occupat, vnde Psal. 120. legimus: *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem*. & Psalm. 135. *Lunam & stellas in potestatem noctis.* Deuteron. quoque 33. *De pomis fructuum Solis ac Lunæ.* Apud Onirocritas Luna matrem significat, vt Genes. 37. *Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te.* Luna præterea in comparationibus 19

N per-

fectam quandam naturam, & suo in genere absolutam significat, vt Psal. 77. *Sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Pulchritudinis quoque exéplum Luna est, vt Cantic. 6. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol,* & Ecclesi. 50. Luna plena significat gratiæ diuinæ vsum, vbi legimus: *quasi Luna plena in diebus suis lucet.* Denique leuitatem quoque, & inconstantiam animorum quorundam refert, vt Ecclesi. 27. *Stultus sicut Luna mutatur.*

20 Nomen autem græcum Lunæ est σελήνη sic dicta παρὰ τὸ σέλας καὶ νέον, id est, à nouo lumine: sic Cleomedes. *Quod*, inquit, *lucem semper nouam habeat*, σελήνη *est nuncupata, & quòd sacra Diana adeuntibus faces præstet*, σελασφόρος, & φωσφόρος, *id est, splendida, & Lucifera etiam appellata est: item quòd noctu imprimis cernatur* νυκτία & νυκτιπόλος, *hoc est, nocturna.* Reperitur denique apud Græcos verbum σεληνιάζομαι, à Luna deductum, quod significat lunaticum esse: de quo genere morbi cùm alij multa, tum plura Galenus, cuius etiam in Euangeliis mentio fit. Creditur verò vocatus hic morbus, quòd furor non sit perpetuus, sed certis recurrat interuallis: Alij quòd qui interlunio natus sit, hoc morbo tentari soleat. Hebraicè verò Luna dicitur ירח IAREACH: Hinc mensis vocatur ירח IERACH, quòd Luna singulo innouetur mense. Exponunt quidam verbum ipsum ירח IAREACH pro spirare, respirare, quod fit olfaciendo, vt affine sit verbum רוח RAVACH, & hinc nomen Lunæ ductum putant, quòd noctu respirationem, & refrigerationem præbeat rebus, interdiu Solis ardore adustis. Dicitur ergo mensis IERACH, quasi lunationem dicas, spatium scilicet quod Luna conficit per mensem à Sole abeundo, & ad eundem redeundo. Hinc etiam ירחו IERECHO, vel יריחו vrbem Iericho dictam putant in sorte Tribus Benjamin, centum quinquaginta stadiis iuxta Iosephum distantem ab Hierosolymis, quòd Lunæ formam referret, quæ & ciuitas palmarum aliquando vocatur; vide Ecclesi. 24. Accepit etiam Luna nomen à candore, dicitúrque לבנה LEBANA, vt Isai. 24. vers. 23. & Canticor. 6. vbi Sponsa dicitur pulchra vt Luna: sumit enim Luna pulchritudinem à candore: nam לבן LABAN album significat.

21 Quod autem Lunæ vi, & influxu fructus iuuentur, & maturescant locus ille Deuteron. 33. vers. 14. satis indicat, vbi Ioseph ait: *De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli, & rore atque abysso subiacente, de pomis fructuum Solis, & Lunæ*, id est, de delicatis, & dulcibus Solis, de delicatis etiam fructibus maturis, vel maturationis Lunæ. Pro maturationis Lunæ in hebraico legimus גרש GERES, id est, *eiectionis Lunæ*: maturitatem enim appellat Lunæ eiectionem. Habes præterea in hebraico ירחים IERACHIM Lunarum: quamuis enim vna sola sit Luna, quia tamen multoties innouatur, ponitur in numero multitudinis contra normam aliorum Planetarum: *De pomis*, inquit, *eiectionis Lunarum.* Luna enim decoquit maturátque, id est, ad maturitatem perducit fructus: quædam enim ex terræ nascentibus, nocte ad Lunæ dominium fœlicius ad maturitatem perueniunt. מגד MEGED autem, quod poma transfert Hieronymus, propriè significat omne pretiosum, & optimum tam in fructibus, quàm in auro & argento. Denique Iudicum 8. vers. 21. ornamenta camelorum ob similitudinem ad Lunæ rotunditatem, bullæ à D. Hieronymo, ab aliis lunulæ nuncu

nuncupantur: *Surrexit*, inquit, *Gedeon & interfecit Zebee & Salmana, & tulit ornamenta ac bullas, quibus colla regalium camelorum decorari solent.* Quod enim hebraicè legimus שהרנים Saaronim, tam Chaldaica, quàm Septuaginta, *torques*, interpretati sunt: sed melius Hieronymus, *bullas*, alij *lunulas*: erant enim bullæ rotundæ in modum Lunæ, quæ ornatus causa adhibebantur, sic dictæ à שהר Sahar, quod est rotundum: Magis autem huic loco quadrat Bulla, quàm Torques. Nam apud Latinos Bulla erat primò insigne triumphantium, quam in triumpho præsegerebant, inclusis intra eam remediis, quæ crederent aduersus inuidiam valentissima. Erat autem hæc Bulla rotunda, vt Macrobius scribit, in cordis figuram formata, quam ante pectus annectebant in collo, vt Bullam inspicientes, ita demùm se homines esse cogitarent, si corde præstarent. Romani autem deposita adolescentia eam exuebant. Hinc etiam Bullæ dicta sunt ornamenta, quibus cingula decorantur, quæ etiam rotunda sunt, & lunulæ dici possunt, qua etiam ratione hæc ornamenta in collo camelorum posita bullæ etiam dici solent, quæ rotundæ sunt: nam & vox hebraica, vt diximus, rotunditatem ad morem Lunæ significat.

Caput. IV. DE QVATVOR PLAGIS COELI.

Plagæ in cœli, terræque diuisione dicuntur spatia & tractus, qui modò Climata, modò Zonæ appellantur. Sumuntur etiam plagæ pro fine, vel termino præsertim in plurali, & sic sunt regiones, & quatuor cœli limites ac cardines: ortus, occasus, meridies, & Septentrio. In plaga Septentrionali, siue aquilonari situs est polus, id est, terminus diametri mundi, siue axis, qui à nostris vertex dicitur aut cardo. Apud Platonem in Timæo πόλος, axis vertitur à Cicerone. Est autem immobile punctum in fine axis imaginarij, super quod totum cœlum voluitur, vnde & nomen habet ἀπὸ τοῦ πολεῖν, id est, vertendo: vertitur enim cœlum circa vtrumque polum, Arcticum, & Antarcticum. Arcticus siue aquilonaris nunquam nobis occidit, super nos semper existens. Antarcticus verò est australis, polo arctico oppositus, qui nobis semper occultatur. Inter duos istos polos, tanquam inter duos extremos vertices semper voluitur firmamentum, qui nunquam ipsi mouentur ad alium locum, sed in suo loco persistentes, circulari motu cum sphæra, & circulo reuoluuntur, & circumferuntur: Axis autem à polo ad polum per medium centri terræ extenditur, circa quem totus firmamenti impetus rapitur & mouetur, qui non materia constat, sed potius linea quædam est, quæ solo intellectu percipitur, tracta à polo ad polum recto diametro, sicut linea à puncto ad punctum. Terminus itaque huius lineæ nobis apparens per stellam sibi coniunctam, dicitur polus arcticus, per cuius situm discernuntur situs, & termini aliorum sydérum, & cœlestium circulorum, & quatuor mundi plagæ siue regiones. Dicitur autem polus arcticus à vicinitate stellæ, quæ Vrsa dicitur: ἄρκτος enim Vrsam significat. Quemadmodum ergo polus arcticus plagam aquilonarem, siue Septentrionalem constituit, ita polus antarcticus australem, siue meridianam. Illa enim pars cœli quæ ad antarcticum vergit polum, est plaga meri-

COELI PLAGÆ.

diana & quia circa axim vtriusque poli Sol voluitur & circumfertur, pars illa cœli in qua Sol oritur dicitur plaga Orientalis: illa verò in qua occidit, est regio siue plaga Occidentalis, siue plaga ipsius occasus.

2 In sacris literis interdum quatuor mundi plagæ intelliguntur in quatuor ventis, vnde venti illi spirant: oriens enim dicitur à quo spirat Eurus: occidens à quo Zephirus: Septētrionalis verò plaga à qua propriè spirat ἀπαρκτίας, qui lätinè Septentrionalis dicitur Gellio auctore lib. 2. cap. 22. Meridionalis verò plaga à qua spirat Auster siue Notus; quod apertè constat ex loco illo Zachariæ 2. *Quoniam in quatuor ventis cœli dispersi vos.* Sic dicitur Matth. 24. *& congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Hoc idem legimus Isaiæ 43. *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni; da, & austro: noli prębere, affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ*, & apertiùs cap. 10. *Et leuabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ, & auferetur Zelus Ephraim, & hostes Iuda peribunt:* quod in filiis Israël, id est, in omnibus Tribubus cœpit expleri, prædicantibus Apostolis, & pleniùs explebitur in consummatione sæculi.

3 Porrò Oriens, & Occidens interdum ita sumuntur in sacris literis, vt dicatur Oriens quilibet punctus qui magis ortui Solis propinquus est, vbicunque oriatur, & Occidens dicitur quicunque punctus magis vicinus occasui Solis, vbicunque occidat, & hoc pacto variato loco, necesse est variari Orientem, & Occidentem, imò etiam Aquilonem, & Meridiem, sicque cuilibet loco suus Oriens, & Occidens respondebit, sicque sumi debet illud Genes. 13. *Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, & Orientem, & Occidentem; Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo in sempiternum.* Astrologi verò ortum, & occasum vocant puncta fixa, ita vt distet ortus ab occasu per diametrum totum cœli; qui sic ortum, & occasum considerant, vt inueniant longitudines ciuitatum ab inuicem, & latitudines per respectus, & dispositiones quas habent ad ipsum ortum & occasum, iuxta circulos, & arcus interceptos intermeridianos earum, & sic sola Indorum regio diceretur Oriens, quæ puncto Orientis est magis vicina, & sola Hispania Occidens, quia vicina est puncto occasus. At in sacris literis non ita Ortus, & Occasus vsurpantur, sed Oriens dici solet illa regio, siue plaga, quæ admodum distat ab alia, & sita est in parte Orientali, quæcunque illa sit: sic etiam Occidens dicitur regio illa, quæ longè ab alia distat, sita ad Occidentem. Idem intellige de regione Aquilonari, & Meridiana; & sic eadem regio ad diuersa loca relata potest dici Oriens, & Occidens: quod sacris literis familiare est. Nam Hierusalem relata ad Hispanos dicitur Orientalis: si autem referatur ad Indos, est Occidentalis: vnde Matth. 2. legimus: *Vidimus stellam eius in Oriente*, vbi per Orientem non significatur terra Indorum, sed illa vnde Reges venerunt, vt puerum adorarent, quæ respectu regionis Indorum posset dici Occidens. Id etiam constat ex illo loco Numerorum vigesimo tertio vbi dicit Balaham: *De Aran adduxit me Balac Rex Moabitarum de montibus Orientis:* Vbi montes Aran, id est, Mesopotamiæ vocantur montes Orientis, cùm Mesopotamia non multum distet ab Hierusalem: ibi enim habitabat Thare

re pater Abraham, & inde egressus est Abraham, vt intraret terram Chanaam.

ORIENS PLAGA.

Dictio hebraica קדם KEDEM, quæ Orientem significat, ambigua est, aliquando enim tempus, interdum verò locum significat. Quare locus ille Gen. 2. *Plantauerat autem Dominus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem quem formauerat*, duplicem potest habere sensum: si enim vox hebraica Kedem tempus significet, idem est quod principium, & antiquitus sensus est: *Plantauerat autem Dominus paradisum à principio, siue prius*, quem sensum reddit D. Hieronymus, & etiam Chaldæus Paraphrastes: si autem significet locum, sic orientem denotat, vt sit sensus: *plantauerat Dominus paradisum in orientali plaga*, quem sensum reddunt Septuaginta interpretes. Esse autem plantatum paradisum in plaga orientali, inde colligere possumus, quòd Iudæorum regio orientalis sit, & fluuius Ganges è paradiso manans labatur per terram Indorum, quæ ad ortum Solis sita est. Si autem habeatur ratio loci, in quo est creatus Adam & formatus, non enim formatus est in ipso paradiso, ratione huius loci, siue sit terra Chanaan, siue alius situs, paradisus quoque fuit ad orientem positus: quod aliqui putant posse intelligi ratione loci, in quo Moyses erat quando ita scripsit: Genesim enim, & sequentes libros legis, scripsit dum esset in deserto post Ægypti egressum in Arabica regione, quæ magis ad occidentem est quàm paradisus. Ratione ergo regionis vbi Moyses hæc scripsit, haud dubiè situs erat paradisus ad orientem. Quare illud quod scribit Moyses cap. 3. Gen. vers. 24. *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim*: quoniam pro dictione *ante*, litera hebraica habet מקדם MIKEDEM aliqui interpretantur: *Et collocauit ad orientem è regione paradisi* Quemadmodum etiam Genes. 29. בני קדם BENE KEDEM dicuntur filij orientis, id est, in terram orientalem. 4

Propter eandem huius dictionis ambiguitatem, locus ille Isaiæ 2. vers. 6. 5
variam sortitur interpretationem, vbi legimus: *Proiecisti enim populum tuum domum Iacob, quia repleti sunt vt olim, & Augures habuerunt vt Philisthiim*: nam verba hebraica מלאו מקדם MALEV MIKEDEM interpretatur diuus Hieronymus: *repleti sunt vt olim, vt à principio*, quem etiam sensum ponunt Septuaginta interpretes, vt Chaldæus Paraphrastes: sed potest quoque ex alia significatione secundus sensus consurgere, quatenus orientem etiam plagam significat, in hunc modum, *Quia repleti sunt* מקדם MIKEDEM *præ oriente maleficiis, & malis artibus*, id est, repleti sunt magis quàm oriens, hoc est, quàm omnes orientales vt sumatur locus pro locato: vel præ Anomenis, qui sunt in plaga orientali, respectu filiorum Israël, vel præ oriente, id est, orientali scientia, nempe Magia. Potest etiam dictio MALEV exponi transitiuè sic: *quia repleuerunt*, nempe terram suam, *præ oriente*, id est, præ orientalibus. Quòd autem hæc dictio KEDEM interdum plagam orientalem significet, ex loco illo Exodi 27. vers. 13. manifestum est, vbi legimus: *In ea quoque atrij latitudine, quæ respicit ad orientem*: ibi enim huic dictioni קדם KEDEM alia adiungitur, quæ ortum Solis significat, nempe מזרח MIZRACH, ad maiorem rei explicationem. Nam ad

verbum hebraicum habent, *& latitudo atrij ad angulum*, id est, plagam, siue partem קדמה מזרחה KEDEMA MIZRACHA ad orientem ortus Solis, siue antrorsum ad ortum Solis, posterior enim vox, ad prioris explicationem additur: est enim MIZRACH locus vbi Sol oritur, seu oriens.id est, pars orientalis. Habes etiam coniunctas istas duas voces Numer. 2. vers. 3. & Deuteron. 3. vers. 27. tum etiam 2. Paralipomenon 3. vers. 14. & Deuteron. 4. vers. 47. & 4. Reg. 10. vers. 33. Porrò Galilæam terram dici orientalem, ex loco illo Ezech. 47. deducere possumus, vbi habes: *Et ait ad me, aquæ istæ quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti; intrabunt mare, & exibunt & sanabuntur.* Nam quod in hebraico legimus גלילה GELILA, & transfert Hieronymus *tumulos sabuli*, quia גל GAL tumulum significat, Chaldæus Paraphrastes, *tractum, regionem, siue terminum*, interpretatus est quia terminum, siue confinium GAL significat, qui terminus orientalis erat. Sed quoniam GELILA nomen est prouinciæ, regionis, siue termini, hinc factum est vt postea dicta sit ארץ הגליל ERES HA GALIL, terra confinij ea Iudææ pars quæ gentibus erat confinij, ideò vocata est Galilæa. Quare Septuaginta interpretes transtulerunt: *Et aqua hæc quæ egreditur in Galilæam, quæ ad orientem.* Nam illud etiam Ioelis 3. vers. 4. quod Hieronymus vertit, *Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palestinorum*, Septuaginta ita transtulerunt, vt pro termino Galilæam ponerent, in hunc modum: *Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis Galilæa alienigenarum*, quam ad orientem fuisse sitam vox hebraica quæ sequitur הקדמנה HA KADMONA satis indicat, quæ partem orientalem designat.

OCCIDENS plaga.

6 De Occidente, siue de plaga occidentali eodem modo sacræ literæ loquuntur, atque de oriente, siue plaga orientali: Nam Daniel. 8. vers. 5. de plaga occidentali legimus: *Ego intelligebam, & ecce hircus caprarum veniebat ab occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram.* Quod autem in hebraico legimus מן המערב MIN HA MAARAB, & Hieronymus transfert, *ab occidente.* Septuaginta interpretes reddiderunt: *ab Africo.* Idem tamen est sensus, nam Africa, siue Libya ad occidentem est ipsi Iudææ, cùm alluatur mari magno, quod est ei etiam ad occidentalem plagam: est autem MAARAB occidens siue pars occidentalis cœli regio, quæ ad vesperam spectat: nam ערב EREB vesperam significat, qua voce pro occidente scriptura vtitur 1. Paral. 26. vers. 18. & 1. Paralip. 7. ver. 28. tum etiam psalm. 102. *Quantum* inquit, *distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras*, & Isaiæ 45. vers. 6. *vt sciant qui ab ortu Solis, & qui ab occasu*, &c. Eadem plaga occidentalis voce hebraica vocatur אחור ACHOR, id est, plaga posterior, quemadmodum oriens dicitur קדם KEDEM, id est, pars anterior, vt Iob 23. vers. 8. *Si ad orientem*, inquit, *iero, non apparet, si ad occidentem non intelligam*, vbi occasus siue plaga occidua dicitur ACHOR, quod retrò sit facie hominis ad orientem versa, iuxta quem ordinem & Meridies ad dextram, & septentrionalis regio ad læuam esse dicitur. Quare statim vers. 9. sequitur: *si ad sinistram quid agam, non apprehendam eum; si me vertam ad dexteram, non videbo illum*: vbi per sinistram, Aquilonem: per dexterem Meri,

COELI PLAGÆ.

Meridiem siue meridionalem plagam intellige: quem sensum reddit Chaldæus Paraphrastes. Septuaginta verò interpretes has voces KEDEM & ACOR non ad locum, sed ad tempus referunt, quare sic transferunt, *Si ad priora iero: si ad posteriora & nouissima, illa ignoro*: sic per sinistram & dexteram intellige opera creata, quæ præcesserunt, & quæ postea à Deo in tempore fient, iuxta Septuaginta interpretes.

AQVILONARIS plaga

Plaga Aquilonaris dicitur ab Aquilone vento septentrionali, frigido & sicco, qui ita dictus est à vehementissimo volatu instar Aquilæ. Vocatur etiam plaga septentrionalis à septem stellis in ea cœli parte sitis, ex quibus quasi iuncti triones, id est, boues figurantur, quòd sint quasi septem triones, id est, septem boues: vel si mauis istæ septem stellæ triones dicuntur à situ, quoniam ita sitæ sunt, vt ternæ quæque stellæ proximæ inter se trigonum, id est, triquetram figuram constituant, quam recentiores vocant triangulum. Aquilo autem in sacris literis Assyriam, Chaldæam regionem significare solet, & ipsam regiam vrbem Babylonem, quod ea pars Israelitis Septentrionem versus ad ortum sita sit, vt Hieremiæ 13. *Leuate oculos vestros qui venitis ab Aquilone, vbi est grex qui datus est tibi*, & Hierem. 47. *Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt quasi torrens inundans*. Significat quoque Aquilo regionem Mediam ratione ad Babel relata vt Hieremiæ 10. *Quoniam ascendet contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram eius in solitudinem*. Designat etiam Aquilo sinistram mundi partem, vt Gen. 13. *Vide*, inquit, *terram ab eo loco in quo nunc es ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem*, &c. Denotat etiam orbis partem in habitationem hominum concessam, vt psal. 77. *Aquilonem & mare tu creasti*. Namque maxima terræ pars Aquilonem spectat. Aliquando Chaldæam regionem designat, vt Hierem. 1. *Ollam succensam video, & facies eius ad Aquilonem*. Et Ioel. 2. *Eum qui ab Aquilone est procul faciam à vobis*. In Hierosolimitanæ verò vrbis descriptione, Aquilonis latera indicant montem Sion, vt psal. 47. *Labem aquilonis ciuitas regis magni*. 7

Itaque Assyrij quorum Metropolis est Niniue, vocantur in sacra scriptura aquilonares: item & Chaldæi. De Chaldæis quidem notum est illud Hierem. 1. *Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ, quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Hierusalem*. De Assyriis verò ex Sophonia cap. 2. *& extendet*, inquit, *manum suam super Aquilonem, & perdet Assur*; causa nominis est, quòd Chaldæi, & multò magis Assyrij Iudæis sunt ad Septentrionem, vnde flat Aquilo: nam Hierusalem habet 31. gradus latitudinis, & quadraginta minuta, vt tradit Ptolomæus lib. 5. cap. vltimo, id est, distat ab Æquinoctiali versus septentrionem 31. gradus; Babylon verò distat 35. ex eodem Ptolomæo loco citato. Niniue autem caput Assyriorum, distat 36. & 40. minutis, ex eodem Ptolomæo lib. 6. cap. 1. quare, quò magis ab Æquinoctiali distant, eò magis vergunt ad Septentrionem. Notum autem est ex Iudith cap. 5. exercitum Regis Assyriorum, non multò post reditum à Babylone, inuasisse Galilæá duce Holopherne, de quo cap. 16. dicitur: *Venit Assur ex montibus ab Aquilone in* 8

multitu

multitudine fortitudinis suæ. Partem verò aquilonarem sacra scriptura vocat צפון SAPHON, id est, locum occultum, quòd non sit ita peruius hominibus, siue quòd iter Solis non vergat ad eam plagam, sed ad meridianam, ac si plaga illa esset Soli abscondita: nam צפן SAPHAN est abscondere. Sic intellige locum illum Ezechiel. 47. vers. 17. *Et erit terminus à mari vsque ad atrium Enon terminus Damasci, & ab Aquilone ad Aquilonem: terminus Emad plaga septentrionalis*, vbi verba hebraica sunt ה צפון צפונה VE SAPHON SAPHONA, ad verbum *absconsionis ad absconsionem*, id est, terminus aquilonis respectu Israel ad aquilonem totius orbis, siue residuum termini ab aquilone terræ Israel, ad aquilonarem mundi plagam. Quidam putant hoc nomen esse inditum septentrioni respectu habitantium in Iudæa tantum, quibus pars aquilonaris sit ignota, & recondita, sicut & septentrionalibus australis mundi pars, & propterea Iob 37. חדר יתמן CHADRE TEMAN, id est, penetralia Austri dicuntur loca austri dicuntur loca australia, à nostra habitatione remotiora, & proximè ad Polum alterum sita.

9 Illud autem quod legimus Ioelis 2. vers. 20. *Et eum qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis* quidam eum populum interpretantur, qui ab Aquilone est: existimant enim vocem hebraicam ה צפוני HA SAPHONI nomen esse gentile, & significare populum aquilonarem gentem septentrionalem, sicut Numer. 26. vers. 15. ה צפוני HA SAPHONI nomen est gentile: sic enim habet, *filij Gad per cognationes suas Sephon ab hac familia Sephonitarum*: sensus ergo est: *vt populum septentrionalem procul faciam à vobis*, quem sensum reddit Chaldæus Paraphrastes cùm ait: *populum verò qui venit ab aquilone procul faciam à vobis.* Alij dicunt non esse vocem hanc gentilem, sed significare cogitationem prauam absconditam in corde, quia SAPHAN est abscondere, vt sit sensus: *Et cogitationem, aut machinationem prauam, quæ latet in corde hominis, procul faciam à vobis*: id enim potest significare SIPHONI, qualis erat cogitatio illa Pharisæorum, quibus dictum est in Euangelio: *vt quid cogitatis malum in cordibus vestris?* Nonnulli interpretantur exercitum locustarum ab Aquilone erumpentium, ac si dicat huiusmodi: locustarum exercitum ab aquilonari plaga prouenientium, ego longè faciam à vobis.

MERIDIES plaga.

10 Aphrica prouincia tertia pars orbis dici solet, quæ est ad partem meridianam Sole feruente, qua parte flat ventus Aphricus, qui & Auster dicitur: pars autem illa dicitur australis plaga: Meridies autem medium diem significat. Nam, vt inquit Varro, D. antiqui, non R, in hac dictione ponebant, non enim proferebant meridies, sed medidies: nam suauioris pronuntiationis gratia mutatum est D, in R. Quod confirmat Cicero in oratione ad Brutum, dicens: *ipsum meridiem cur non medidiem? credo quòd erat insuauius.* Meridies autem est quando Sol medium tenet cœlum, & est in suo feruore maximóque splendore; sumitur autem meridies sæpe, aut pars meridiana pro plaga australi. Significat autem meridies terram Israeliticam iis qui sunt Babylone, sicut apud Ezechielem iuxta hebraicum est cap. 21. *fili hominis ponam faciem tuam ad meridiem, vt stilla ad sanctuaria.* Esse autem meridiem, siue austrum dextrę orbis plagæ indi

gæ indicem, ex cap. 3. Deuteronomij colligimus, cùm legimus: *ad Aquilonem, & ad Austrum, & plagam Austri in meridiem.* Indicat enim ibi solitudinem eam in qua filij Israël commorati aliquando sunt, vt etiam Habacuch 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Propter plagæ autem illius calorem, Auster interdum terram calidam, & arentem significat, vt Iosue 15. *terram australem & arentem dedisti mihi*, & psal. 125. *conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in Austro.* Auster etiam apud Danielem cap. 11. Ægypti regnum significat, cùm legimus: *& confortatus est rex Austri.*

Per interiora verò in sacro sermone aliquando designatur Polus antarcticus, qui semper est nobis occultus in parte meridiana, à qua quidem plaga flant venti australes, qui maximo impetu feruntur: nec tamen inde intelligas Austrum suum flatum à Polo antarctico emittere, cùm incipiat flare à tropo æstiuali, vt docet Aristoteles 2. Meteororum. Dicitur autem Auster flare à Polo antarctico: quia tropicus æstiualis, vnde spirare incipit, in ea parte est respectu nostræ habitationis: & sic intellige illud Iob 37. vers. 9. *ab interioribus egredietur tempestas, & ab Arcturo frigus*, vbi pro *interioribus* legimus מ ה חדר MIN HA CEDER, id est, à meridie, à plaga australi, quæ dicitur interior, quia occultatur ea pars nobis, quæ est iuxta Polum antarcticum: vox enim hebræa CHEDER, à penetrando indicat locum absconditum, & cubiculum penetrale propriè significat, quia pars mundi meridionalis, est nobis interior atque occulta, qui versus Septentrionem habitamus ad Polum arcticum. Hinc stellæ quæ sunt in parte australi, nobis non vsque adeò nota, dicuntur penetralia austri, siue interiora austri, quia sunt versus Polum antarcticum nobis abditum: sic enim legimus Iob 9. vers. 9. *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyades, & interiora Austri*, id est, stellas sitas in parte australi nobis occultas. Cùm ergò legis Iob 37. *ab interioribus egredietur tempestas*, intellige à plaga australi, quæ est ad Polum antarcticum nobis abditum, ideo sequitur, *& ab Arcturo frigus*, id est à parte aquilonari, quam vocat Arcturum ab Vrsa stella nobis semper conspicua, quæ dicitur ἄρκτος græcè, à qua Arcturus stella in eius cauda sita, & inde tota aquilonaris plaga Arcturus vocatur, quæ quidem sita est ad nostrum Polum arcticum. 11

Multis etiam aliis nominibus hæc meridionalis plaga insignitur in sacris literis: nam de siccitate, & ardore, quòd in ea sit summa siccitas, & ingens calor, vocatur נגב NEGEB, vt Iudic. 1. vers. 14. & Isaiæ 21. vers. . Est enim נגב NAGAB desiccare hinc psal. 125. vers. 4. *Conuerte Domine captiuitatem nostram sicut torrens in Austro*, aut, vt Hieronymus reddidit, sicut riuulos in austro, vbi pro austro hebraicè legimus ב נגב BE NEGEB, id est; in terra australi, & sicca atque calida, quæ non est habitabilis sicut aliæ plagæ, propter excessum siccitatis & caloris. Est autem notandum, hanc vocem ratione siccitatis, quam indicat, significare etiam desertum; quare Isaiæ 30. vers. 6. & Hierem. 13. vers. 19. quidam per meridiem. alij per desertum exponunt. Itaque loci illius psal. 125. sensus erit: *Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in terra arida, vel in deserto, aut in planitie*: vox enim ista etiam planitiem notat, quia desertum planities est. Vocatur quoque in sacris literis plaga meridiana תימן THE- 12

O MAN

COELI PLAGÆ.

MAN, eò quòd sit in parte dextra: ימין IAMIN enim dextram significat, & addita litera ת fit תימן THEMAN. Dicitur autem hæc plaga dextra, quòd aspicientibus orientalem plagam quæ ante faciem est, meridies sit ad dexteram, & propterea in sacris literis plaga orientalis dicitur anterior, occidentalis verò posterior, meridionalis dextera, & aquilonaris sinistra. Quare quod legimus psal 88. vers. 13. *Aquilonem & mare tu creasti: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*, vbi Septuaginta propter vocis ambiguitatem, quæ in hebraico est, nempe ימין IAMIN, *mare*, posuerunt, ים IAM enim mare significat. D. Hieronymus posuit *Austrum*: nam Iamin dextram significat, & hoc loco dextram mundi partem, hoc est, australem. Quod ergo Septuaginta verterunt: *Aquilonem, & mare tu creasti*, Hieronymus interpretatur, *Aquilonem, & meridiem, siue austrum tu creasti*: ad verbum, Aquilonem, & dextrum, id est, plagam dextram tu creasti. Hinc itaque plaga australis est sortita nomen THEMAN, quòd ad dextram sit, sicque vocatur Iob 9. vers. 9. *Qui facit Arcturum, & Orionem in interiora Austri*, & Iob 29. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit Accipiter, expandens alas suas ad Austrum*, & Isaiæ 43. vers. 6. *Dicam Aquiloni, da, & Austro noli prohibere*. Abacuch etiam 3. vers. 3. *Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*: Tum etiam Ezechiel. 20. vers. 46. *Fili hominis pone faciem tuam contra viam Austri, & stilla ad Aphricam*, & Numer. 2. ver. 10. *In castris filiorum Ruben ad meridionalem plagam erit Princeps Elisur sedens*. In omnibus autem prædictis locis pro *Austro*, aut *meridie*, in hebraico legimus THEMAN, id est, portam dextram. Denique Septuaginta loco citato pro *mare*, meridianam quoque plagam intellexerunt Aquiloni oppositam, quam etiam significat Chaldæus Paraphrastes: quem sensum confirmat quod statim sequitur: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*. Nam complexus est Psalmographus quatuor plagas, quia per istos montes plagam orientalem, & occidentalem significari cõstat: Thabor enim in terra Iudææ ad occidentem vergit: Hermon verò ad orientem Quare Chaldæi Paraphrastis hæc sunt verba: *Desertum Aquilonis, habitatorésque Austri tu creasti, Thabor ab occidente, & Hermon ab oriente in nomine tuo laudes dicunt*. Postremò pars australis vocatur etiam דרום DAROM Deuteronom. 32. vers. 23. sic dicta vt quidam volunt ob altitudinem: id enim רום ROM significat, quasi litera ד sit addita: sed hoc est contra morem linguæ sanctæ, cùm hæc litera non sit seruilis.

13 At verò Isaiæ 49. vers. 12. mare non partem australem, sed occidentalem significat, vbi legimus: *Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra australi*. Nam in sacris literis ipsum mare propriè occidentalem plagam significat, eò quòd mare magnum, siue mediterraneum nostrum sit ad plagam occidentalem terræ Israël, & ideò Chaldæus Paraphrastes hoc loco pro mari posuit occidentem, sicut & Hieronymus Exodi 26. vers 22. pro mari, etiam occidentalem plagam posuit cùm sic transtulit: *Ad occidentalem plagam tabernaculi, facies sex tabulas*. Idem facit Gen. 28. vers. 14. *erit*, inquit, *semen tuum quasi puluis terræ, & dilataberis ad orientem, & occidentem, & septentrionem, & meridiem*. Sic quoque Gen. 13. vers. 14. *Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es ad aquilonem, meridiem, orientem, & occidentem, omnem terram quam conspicis*

piscis tibi dabo. His enim omnibus locis pro occidentali plaga in hebraico eſt ים IAM, id eſt, mare. Hinc colliges Ezech. 43. verſ. 17. per mare intelligi debere tractum occidentalem, vbi cùm agatur de ſuburbanis ciuitatis, dicitur: *Erunt ad Aquilonem ducenta quinquaginta, &c. & ad mare ducenta & quinquaginta, &c.*

Caput V. DE SVBSTANTIA IGNEA.

SImplex corpus eſt ignis natura calidum & ſiccum, cuius ſitus iuxta Philoſophorum ſententiam, eſt inter ſphæram Lunæ & regionem aëream: eius autem proprietates refert Dionyſius Areopagita cap. 12. cœleſtis Hierarchiæ: eſt enim corpus ſenſibile, longè excellentius, & ſubtilius omnibus aliis rebus elementaribus, naturæ ſpirituali proximus, effectus ſuos longè alio modo atque alia operans, ſitum habens ſublimiorem, quia eſt leuioris naturæ: cùm enim pondere careat, ſublime petit, & cætera tranſcendens, tam elementa reliqua, quàm elementis conſtantia ſub ſe continet. Superat autem alia elementa puritate, & ſubtilitate: vnde vix ſenſu percipitur, actiuitate autem, mobilitate, & claritate etiam ſuperior eſt: ſubtilitate verò ſua omnia penetrat, qui triplici nomine à Philoſophis ſolet inſigniri: dicitur enim lux in ſua ſphæra, flamma in materia accenſus, carbo autem ignitus ſi in ſubſtantia terrea producatur. Non ſolùm Romanos, ſed aliquot etiam nationes ſacrum ignem publicè cuſtodiſſe legimus: nam Athenis ignis ſempiternus aſſeruabatur, non à virginibus, ſed, vt ait Plutarchus, à mulieribus iam matrimonio ſolutis. Strabo in libro Polyadis, Mineruæ templum in ſaxo vetuſtum ſcribit, in quo lychnus inextinguibilis, & virginũ domus, id eſt παρϑενῶν, quem Ictinus condidit, vbi Minerua Phidiæ ſculptoris opus eburneum fuit. Ægyptij quoque ignem ſeruabant, vt teſtatur Diodorus. Perſæ etiam ſumma religione ignem cuſtodiebant, venerabanturque, vt teſtatur Procopius Hiſtoricus lib. 2. belli Perſici. Strabo libro 15. de Capadocia, ſcribit apud eos Magos fuiſſe multos, quos Pyretos vocabant, hoc eſt, ignitos, tum illud ſubiungit: *Suntque Pyrethia ſepta ingentia, in quorum medio ara eſt: in ea Magi, & cinerem multum, & ignem inextinguibilem ſeruant, qui quotidie ingreſſi, imprecationes faciunt.* Illud verò in commentariis græcorũm legitur, ignem cœlitùs in agrum Argiuum primùm decidiſſe, qui in Apollinis templo ſeruabatur, quod Argis fuerat in foro conſtructum; in quo ſi quando extingueretur (vt Athenis accidit Ariſtoni tyranno, & Delphis templo à Medis incenſo, & Romæ Mitridatico, & ciuili bello) Tum verò fas non erat ex altero igne ſuccendere, ſed nouum elicere oportebat: ex Sole accendebatur flamma pura, certáque ratione vaſa ſcaphia parabant, in quæ Solis radij excepti in fomite arido ignem iniiciebant: ſed & aliàs elicitur ignis ex Sole & ſpeculo, vel ex vitrea phiala aqua gelida plena. 1

Non videtur omittendum quod Plutarchus in quæſtionibus narrat, veteres olim non ſolitos Elichnium extinguere, ſed ipſum per ſe langueſcere & deficere ſolitos permittere: cuius rei aliquot reddit cauſas, ſeu quòd ignis hic cognatus eſſet illius inextinguibilis, & immortalis cœleſtis, ſeu quòd indica- 2

rent non oportere quod animatum est, nisi alioqui noceat, interimere. Porrò ignem animal putabant, quòd alimento egeat, & per se moueatur, & cùm extinguitur velut occidatur, vocem emittat, aut vt huiusmodi more doceremur, non oportere nec ignem, nec aquam, nec eorum quicquam quæ ad vsum spectant, etsi abundè supperant consumere aut corrumpere, sed indigentibus vtenda relinquere cùm nobis illa opus non sunt. hæc Plutarchus. Dioscorides verò lib. 2. & Plinius lib. 10. cap. 67 scribunt Salamandram esse animal lacerti figura stellatum, ac varium, cui scilicet tantus rigor insit, vt ignem tactu suo extinguat. Hinc & nata est vulgi deprauata opinio, existimantis igne eam vesci, nec vnquam eo absumi: nam etsi præ frigiditate aliquo tempore in igne illæsa subsistere possit, tamen in ardentem fornacem iniecta, non dubium quin ab eo tandem consumi debeat, quod & Galenus libro 3. de temperamentis scripsit, cæterùm inter venena numeratur: nam haustum eius sequitur inflammatio linguæ, & cum torpore, & resolutione aliqua tremor & sermonis impedimentum, & liuor totius corporis, vt Dioscorides lib. 6. & Plinius lib. 29. cap. 2. tradunt.

3 Æthna verò Siciliæ mons perpetuo clarus incendio est, de quo Trogus, Virgilius, Claudianus, Plinius, & omnes ferè veteres veluti de miraculo quodam meminerunt. Vulcania autem tellus pro Therasia insula, quæ est inter Lypariam, & Siciliam ponitur. Dicta est autem postea Hiera, quòd Vulcano sacra esset: est enim in ea, auctore Plinio collis, qui nocturnas euomit flammas. Vaseus verò, qui & Vesuuius, mons est iuxta Sarnum fluuium Neapoli vicinus, vini bonitate percelebris, præter verticem qui cinerosus est & cauernosus Strabone teste amœnissimus. Euomit hic etiam interdum flammas, ac cineres, quod ætate nostra accidit, vt notat Marianus Victorinus. Olympius quoque mons, non ille Thessaliæ, qui certè non ardet, sed alius qui est in Æthyopia ad mare rubrum, Heliopoli oppido vicinus, ab ortu Solis ad quintam vsque diei horam flammas euomere à veteribus scribitur, de quibus hæc sunt verba D. Hieronymi in epistola ad Furiam: *Non Ethnæi ignes, non Vulcania tellus, non Vaseus & Olympius tantis ardoribus æstuant, vt iuueniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.* Interdicere autem aqua, & igni formula legitur exilij priscis temporibus vsitata: quoties enim quis exilij pœna dignus videbatur, ei nulla exilij facta mentione, tecto, aqua, igni, interdicebatur: ita earum rerum quæ maximè sunt ad vitam sustentandam necessariæ, vsu priuatus, cùm vno aëris alimento contentus esse non posset, abire cogebatur, ex quo exulari ciues Romani dicebantur. Huc adiunge quod scribit Lactantius lib. 2. institutionum diuinarum cap. 10. & illud Seruij in librum 12. Æneidos, *Ad facienda fœdera*, inquit, *aqua & ignis adhibentur, vnde è contra, quos arcere volumus à nostro consortio, eis aqua, & igni interdicimus.*

4 Denique cùm ignis supremum sit, & nobilissimum inter quatuor elementa, si vocis eius, siue nominis significationem inquiramus, latinè ab IN priuatione, & gignendo dicitur, quòd in eo nihil nascatur, græcè verò πῦρ dicitur, & quidam πῦρ pro æthere sumi volunt, vt in illo adagio ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί, id est, *me mortuo terra cœlo misceatur*: tamen πυρὶ alij vertunt incendiis

I G N I S.

cendiis,& ita Cicero accepit, cùm dixit 3. de finibus: *Quoniam vox illa inhumana,& ſcelerata dicitur eorum,qui negant ſe recuſare quominus ipſis mortuis terrarum omnium deflagratio conſequatur, quod vulgari quodam verſu græco pronunciare ſolent*, hæc illæ. In ſacris literis hebraicè ignis dicitur אש Es. Sunt qui deflectunt ab אנש Anas, quòd res inſanabiliter infirmet & conſumat: אנוש Anus enim dolorem, & afflictionem ſignificat, & infirmitatem,defectum. In ſacris verò literis fere nulla mentio fit elementaris ignis, quem antiqui ſub lunari orbe collocabant: ſed de eo ſæpe qui, vel terra concipitur, vel ex terræ halitibus conceptus in aëre medio incenditur, quem ignem de cœlo ſacræ literæ dicunt. Ignis itaque ſic ſumptus, interdum auxilium præſentiſſimum,& efficaciſſimum ſignificat,vt 4. Reg.6. *Ecce mons plenus equorum, & curruum igniorum in circuitu Eliſæi*. Significat etiam liberationem diuinam piorum, & punitionem impiorum, vt Iſai.66. *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius*, & Iſaiæ 5. *Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi fauilla erit*. Periculi etiam,& probationis atque examinationis rerum perſonarum ſignificandæ cauſa aliquando ignis ponitur in ſacro eloquio: ſic 1. Corinth.3. *Vniuſcuiuſque opus quale ſit ignis probabit*: ſic etiam Zachariæ 13. *Ducam tertiam partem per ignem, & vram eos ſicut vritur argentum,& probabo eos ſicut probatur argentum*, ſic Pſal. 16. *igne me examinaſti*. Ignē etiam excutere, & ſcintillas excitationem iræ atque offenſionem maximam erga aliquem indicat, vt Iſai.50. *Ecce vos omnes accedentes ignem, accincti flammis ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis quas ſuccendiſtis*. Item Ezech. 21. *In igne furoris mei ſufflabo in te*. Denique ignis in ſpinis celerrima vis eſt, & citiſſimam conſumptionem efficit, atque idem in tranſlatione ſignificatur, vt Pſal. 117. *Et exarſerunt ſicut ignis in ſpinis*.

F L A M M A.

Flamma eſt fumus accenſus,ſiue materia ignea in ſubſtantia aërea accenſa: 5
Nam aër ratione ſubtilitatis ſubſtantiæ ſuæ, & immediatæ vicinitatis cum ſphæra ignis facilè accenditur, & in naturam ignis conuertitur. Quare quantò ſubſtantia aërea purior fuerit, tantò flamma erit clarior & lucidior,& magis naturæ lucis ſimilis apparet. Mouetur autem flamma ex ſua natura in locum ſuperiorem, & ex omni parte rei accenſæ recta linea in acutum tendit,& in conum pyramidis efficiens formam: ideóque in ſuo acumine propter concurſum radiorum in angulo acuto fortius caloris ſui imprimit actionem: propterea in ſummo pyramidali angulo calidior cùm ſit, rem ſibi oppoſitam inflammat facilius & accendit, calorem ei rei in quam agit inducens, ita vt obſcuram,& turbidam lucem reddat & fumoſam,ſi res illa turbida ſit & obſcura. Eſt autem flamma pura rutilans, & ſplendidos radios vndique circunfundens, ſi res illa quam accendit, diaphana ſit & munda, quæ in motu eſt continuo, & nunquam penitus quieſcit propter ſuam leuitatem, & materiæ aëreæ agilitatem in quā agit. Venti verò modicùs impulſus flammam excitat & accendit,qui ſi fuerit nimis vehemens, eam diſſipat, & extinguit ipſa autē tortuoſè, & anfractuoſè aërem continuo impellit, mouetúrque circulariter, eodémque motu cætera incendit; ex violentia autem ſui motus partes rei in

quam agit, inuicem allidens concutit, & ex partium mutua collisione sonum gignit, & cùm in superiorem locum semper tendat, rem cui adhæret, ab inferis ad superiora trahere conatur: Præterea quamuis flamma sit igni similis, non tamen est ignis. Est itaque flamma, vel fumus accensus, vel aër inflammatus & ardens: Nam si flamma esset ignis, non posset oculis percipi: est enim ignis rarius omnibus elementis: quantò enim aliquid rarius est, tantò minus videri potest, ideò enim aërem non videmus, quia est rarior aqua. Ratio autem ob quam ignis in sua sphæra oculis percipi non potest, raritas est. Quamobrẽ Aristoteles 2. de ortu & interitu, statuit flammam esse fumum ardentem, vel ignitum. Id etiam videtur ex eo constare, quòd flamma initio est densior & obscurior, & postea efficitur rarior & lucidior: consumitur enim, & vertitur in ignem. Si autem sola ignis natura esset in flamma, non amitteret densitatem quam prius habebat: Nam quandiu ignis esset, permaneret in eadem densitate: constat autem flammam conuerti in aliud per attenuationem, non ergo flamma est ignis, sed potius ab igne agente conuertitur in ignem per illam attenuationem: non enim conuertitur in aërem, quia cùm aër densior sit, conuerteretur in rem densiorem. Idipsum etiam ex eo perspicuum apparet, quia fumus subito inflammatur, vt experimento constat extincta candela: Nam manente fumo si statim altera candela accensa adiungatur summitati fumi, vel eius medio, continuò omni ex parte fumus ille inflammatur etiam vsque ad partem inferiorem, ita vt subitò candela illa quæ fuerat extincta, ardeat manente figura illa quæ erat in fumo; vnde apertè monstratur hanc flammam nihil aliud esse, quàm fumum præcedentem, qui iam inflammatus est. Sicut ergo carbo ardens, vel ferrum ignitum non sunt ignis, sed res ignitæ: ita flamma non est ignis, sed fumus ignitus, aut aër ardens, aut res alia rara igne accensa.

6 Flamma autem dicitur à φλέγω ardeo, & vocatur hebraicè להב LAHAB: vnde quia gladius assimilatur flammæ quando ignis flãmescit, ideò appellatur etiam להב LAHAB: Gladius enim micare, & splendere videtur sicut flamma; Quare Nahum cap. 3. vbi legimus: *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis, & micantis gladij*; pro *micantis gladij*, in hebraico habes ולהב חרב VE LAHAB CHEREB ad verbum, *inflammantis gladij*: & Iudicum 3. vers. 22. flamma pro gladio, siue ferro gladij ponitur: sic enim legimus: *Extendítque sinistram manum, & tulit sicam de dextro femore suo, infixitque eam in ventre eius tam valide, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe stringeretur; nec eduxit gladium, sed ita vt percusserat, reliquit in corpore*; vbi pro *capulo*, hoc est, ferro gladij habes להב LAHAB, ac si flammam gladij dicas, & huiusmodi ferrum, quod etiam LAHAB, id est, flammam vocat, dicit relictum fuisse in eius corpore. Denique quod D. Hieronymus Nahum 3. transfert, *micantis gladij*, siue, *splendentis gladij*, Chaldæus Paraphrastes in eundem sensum ita expônit: *Eques ascendit, & flammæ aciésque gladiorum*: Transfertur enim LAHAB flamma, ad aciem gladij significandam. Dicitur præterea flamma lingua, quia linguæ more lambit comburendo, vt Isai. 5. vers. 24. *Sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum*

I G N I S.

eorum quasi fauilla erit, & germen eorum, vt puluis ascendet; vbi pro *lingua*, habes לשון Leson vocem flammam significantem.

Ponitur etiam interdum flamma pro periculo, vnde Cicero in Bruto dixit Galbam eripuisse sese de flamma incendij, cùm significare vellet eum liberatum esse à periculo Iudicialis damnationis. Sic etiam in variis scripturæ locis flammam pro periculo positam inuenies. Hinc Isaiæ 13. vers. 8. facies combustæ dicuntur facies flammarum: *Vnusquisque*, inquit, *ad proximum suum stupebit, & facies combustæ vultus eorum:* Nam ibi פני להבים Pene lehabim ad verbum est, *facies flammarum*, id est, facies inflammatæ; vnde Septuaginta sic reddunt: *& stupebunt, & faciem eorum sicut flamma mutabunt*, & Chaldæus Paraphrastes: *Vnusquisque in proximo suo tabescent, vultus flammarum conturbabit faciem eorum.* Hieronymus verò, quia ex inflammatione vultus sequitur combustio, id sua expositione demonstrat, dicens: *facies combustæ vultus eorum.* Posset etiam vox Lehabim hoc loco etiam exponi Libycorum populorum, qui sic appellantur, & ab inflammatione, & adusta facie sic dicti videntur, vt sit sensus: *Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies libycorum populorum vultus eorum*, id est, facies eorum combustæ similes erunt vultui eorum, qui in lybia commorantur, & ob nimium solis calorem adustas habent facies. 7

Plinius historiæ naturalis lib. 18. cap. 35. de prognosticis agens tempestatum: *Si fluctuosè*, inquit, *voluet flamma ventū præsagit, idem lumina cùm ex sese flammas elidunt, aut vix accenduntur. Item cùm in eo pendentes coaceruantur scintillæ, vel cùm tollentibus ollas carbo adhæreſcit, aut cùm contectus ignis à se fauillam discutit, scintillámue emittit, vel cùm cinis è foco concrescit, & cùm carbo vehementer perlucet.* hæc Plinius. Quod autem ad flammam spectat, hoc quidem tunc considerandum est, cùm ignis flammas emittit, tuncque vocatur in sacris literis ignis inflammans, qui hebraicè ad verbum dicitur ignis flammæ, vt habes Isaiæ 4. vers. 5. *Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est nubem per diem & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte*, hebraica litera habet אש להבה Es lehaba ignis flammæ: sic loquitur Apostolus 2. Thes. 1. ver. 8. *In reuelatione Domini Iesu de cælo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantes vindictam iis qui non nouerunt Deum:* habes autem in græco ἐν πυρὶ φλογός, *in igne flammæ:* Hinc Chaldæus Paraphrastes exponit: *& caliginem splendorémque tanquam ignis flammæ in nocte.* Septuaginta verò lucem ignis ardentis transtulerunt. 8

SCINTILLA.

Scintilla verò est parua ignis portio, ex ignea materia impetu, & virtute caloris resoluta; quare motus scintillæ subitus est: virtute enim ignea subito resoluitur sursum mota, sed ex grauitate partis terrestris ad centrum tandem inclinatur: est autem motus eius clarissimus ad modum stellæ, & splendens, quæ per diffusionem sui ardoris in aëre apparet viridis & radians, vi pollet maxima in agendo: Nam parua scintilla in fungo, aut stipula recepta subitò ignem multum procreat, in aëre subitò euanescit, & extincta nihil nisi fauillam post se relinquit. Accenditur autem vento, & flatu temperato, impetuoso verò extinguitur. Scintillam autem definiunt fauillam ardentem, quæ exire 9

solet

solet ex cilice, siue igniculum qui ex cilice cùm cæditur exilit; dicitur græcè *σπινθήρ*. Accipitur autem per translationem pro minima lucis alteriúsue rei particula, vnde & belli reliquiæ scintilla dicuntur. Appellatur verò hebraicè ניצן NISON, quasi eruptio flammæ vel ignis, ad similitudinem floris & gemmæ, quæ dicuntur נצה NISA, & נץ NES, erumpúntque ex herbis & arboribus: Nam נוץ NVS est florere, quo eruptio florum significatur: sic etiam scintilla erumpit ab igne. Significat etiam נצה NASA velociter ire, quasi volare: vnde etiam dici potest scintilla נצון NISON, quasi velociter transiens, quod satis ei quadrare videtur.

10 Sic vocatur scintilla Isaiæ 1. vers. 31. vbi scriptum legimus: *& erit fortitudo vestra vt fauilla stupæ, & opus vestrum quasi scintilla, & accendetur vtrumque simul.* Ex amphibologia vocis hebraicè פעלו POALO duplex huius loci eruitur sensus: primus, quem reddit Hieronymus, vt opus ipsum significet, quasi dicat: quemadmodum scintilla iuncta stupæ vtrumque consumitur: sic opera, & sculptilia vestra simul vobiscum comburentur. Chaldæus Paraphrastes hunc sensum amplexus ait: *Et erit fortitudo impiorum vt stupa lini, & opus manuum eorum sicut scintilla ignis, quæ cùm applicantur adinuicem ardent ambo simul: sic consumentur impij & opera eorum praua, & non erit super eos misericordia.* Quia verò פעלו POALO potest significare factorem eius: Hinc alter huius loci sensus emanat, scilicet, *& factor eius erit in scintillam*, id est, factor illius imaginis sculptilis erit causa combustionis eius. Quemadmodum enim scintilla ignis comburit stupam, quæ subitò accensa statim extinguitur, parúmque durat eius incendium, tales erunt imaginum sculptibiliúmque factores: pariter enim simúlque cum suis sculptilibus post breuissimum splendorem quem emittunt, subitò extinguentur & consumentur.

11 Vox autem hebraica רשף RESEPH, cùm non solùm scintillam, sed volatile, prunam, & lapidem possit significare, varios nobis elargitur sensus loci illius Cantic. 8. vers. 6. *Lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Primus igitur sensus sit, quem nobis D. Hieronymus exhibet: *lampades eius*, id est, incendia eius emulationis, *incendia ignis atque flammarum.* Alter sensus est: *Pruna eius, pruna ignis atque flammarum*, id est, prunæ ignitæ atque inflammatæ. Hunc sensum nobis præbet Chaldæus Paraphrastes, cùm ait: *Dicent filij Israël in die illa: pone nos sicut sculpturam super cor tuum, & sicut sculpturam annuli super brachium tuum, & non addamus vltra esse exules. Quoniam fortis est, sicut mors dilectio Deitatis tuæ, & robustus, sicut gehenna zelus populorum qui zelant nos, & inimicitia quam reseruant nobis, similes est prunis ignis gehennæ quem creauit Deus, vt succendantur in eo cultores Idololatriæ.* hæc ille. Quatenus autem vox ista volatile significat, transfertur ad significandas scintillas ignis, & sagittas arcus, quæ volare videntur. Erit itaque alius sensus: *Dura sicut infernus æmulatio, & scintilla eius, siue sagittæ eius, quibus incendit, aut vulnerat, sicut scintillæ ignis atque flammarum*, id est, ignitæ, ardentes atque flammantes, & hoc sibi volunt Septuaginta, dum transferunt: *Volatilia eius, volatilia ignis flammæ eius*, &c.

PRVNA.

12 Pruna est carbo ignitus, quæ fit quando ignis materiæ terrestri admiscetur inardens,

inardens, vbi vi & coactè detinetur ne superiora petat. Quare cùm ignis ac flamma mouentur sursum, pruna crepitando, & scintillando ob materiæ grauitatem deorsum inclinatur. Quando verò carbo ardet ruborem contrahit, extinctus verò niger efficitur, pristinam ignis speciem, & decorem amittens; Quantò ergo pulchrior est ex prima ad ignem coniunctione, tantò apparet deformior ac vilior absente igne. Denique Pruna ignem continet summè agentem & penetrantem: mollit enim ferrum sua virtute, & sub cinere inuoluta ignem retinet & seruat; Detecta autem, & frigido aëri exposita, in fauillas redigitur, & subitò euanescit. Pruna verò à carbone ita distinguitur, quòd illa ardens sit & viua, carbo autem extinctus: in carbone autem extincto pars à parte facilè discinditur & rumpitur, quia nihil humiditatis per quam partes cohæreant, in eius substantia reperitur: partibus verò terrestribus solis remanentibus propter abundantiam siccitatis facilè accenditur & ardet, postquam autem accensus fuerit etiam facilè extinguitur, ita vt in eo de ignis vestigio nihil præter nigredinem relinquatur, qua polluit, & inficit quæcunque tangit. Dicitur verò carbo hebraicè פחם PACHAM quando est extinctus: at verò quando ardet, vocatur גחל GECHAL: græcè verò ἄνθραξ propriè est pruna, & carbo ignitus. Itaque neque flamma est ignis, neque scintilla, neque pruna, hæc tamen in seipsis ignem ipsum continent, qui ea facit leuare & splendere. Eadem ratio est de lampade, quæ λαμπὰς græcè dicitur, ἀπὸ τοῦ λάμπειν, quod est splendere, quæ hebraicè dicitur לפיד LAPID, & significat faculam, aut lucernam; frequenter autem lampas sumitur pro instrumento in quo elychnum accensum oleo fouemus, quod & lychnum pensilem vocamus.

Dictio verò hebraica רשף RESEPH cùm multas habeat significationes in 15
sacris literis, diximus enim significare scintillam, volatile, lampadem, & prunam: ratione huius postremæ significationis, quia prunam designat, transfertur aliquando ad significandam ægritudinem pestilentem, quæ à medicis carbunculus vocatur. Quare locum illum Deuteron. 32. vers. 24. *Et deuorabunt eos aues morsu amarissimo*, quem de morsu auium D. Hieronymus interpretatur, sicut etiam Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes, qui ita habet: *Inflati erunt fame, & comesti ab auibus, & vexati a spiritibus malignis.* Alij deuorandos exponunt atque consumendos calido quodam morbo, quasi carbone ignito: putant enim hoc loco dictionem hebraicam, quæ alioqui prunam ignitam significat, translatam esse ad significandum morbum illum pestilentem calidum, qui est quasi pruna, & carbo ignitus, & ideò carbunculus vocatus, vt sit sensus: *Deuorabit eos, & consumet ægritudo pestilens, & ignita siue carbunculus morsu amarissimo.* Est etiam illud notandum, vocem hebraicam כיור CIIOR varias sortiri significationes in sacro eloquio: significat enim caminum, lampadem quoque, tum etiam & concham, vas quoddam in quo iugiter erat aqua, tum etiam & Chytropodes, siue sustentacula ollarum ad ignem in foco; Quare plures habet sensus locus ille Zachariæ 12. vers. 6. D. enim Hieronymus de camino exponens, sic habet: *In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis.* Alij transferunt: *Sicut lampadem, aut flammam ignis in lignis.* Non desunt qui explicent sicut lebetem in igne esse collocandos; Quare Septuaginta tran-

ftulerũt: *ponam duces Iuda ſicut torrem ignis in lignis*: Chaldæus verò Paraphraſtes: *ſicut veſtimentum ignitum inter ligna.*

14 Porrò pauimentum lapidum atrij, in quo ſuper carbones accenſos ponebantur Tortæ & oblationes, voce hebraica dictum fuit רצפה Rispa, & hæc erat eius propria ſignificatio: poſtea verò vniuerſaliter pro quocunque pauimento hæc vox vſurpari cœpit: eſt enim רצף Rasaph propriè ſternere ad ardendum ſeu comburendum: Hinc רצף Reseph carbo eſt accenſus ſuper pauimentum. Itaque dictio prædicta Rispa vtrumque ſignificat, & ſtrationem carbonum, & ſtrationem lapidum in ſolo terræ. Ex his facilè intelligemus locum illum Cantic. 3. verſ. 10. *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem.* Ea ergo ratione qua vox iſta pauimentum ſignificat, lapidibus ſtratum ſumitur Eſther 1. cap. 6. vbi legimus: *Lectuli quoque aurei, & argentei ſuper pauimentum ſmaragdino, & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant.* Sicque aliqui volunt ſumi Canticorum 3. vt ſit ſenſus: *Fecit aſcenſum purpureum, & medium eius ſtratum lapidibus in pauimento ex amore & dilectione*: Sed alij ſic locum hunc Canticorum interpretantur, vt dictionem hebraicam Rispa putent ſignificare pauimentum carbonibus ignitis ſtratum, ita vt ſit ſenſus: *Fecit aſcenſum purpureum, & medium eius combuſtum, & accenſum amore*; Vnde D. Hieronymus in hac ſignificatione: *accepto pauimento fecit*, inquit, *aſcenſum purpureum, & media* (id eſt ipſum pauimentium, id quod in medio erat) *charitate conſtrauit*, ac ſi dicat: conſtrauit pauimentum aſcenſus purpurei, non carbonibus & lapidibus, vt conſterni ſolent pauimenta, ſed charitate, id eſt, carbones, & lapides huius pauimenti erant prunæ amoris accenſæ, & lapides dilectionis igniti propter filias Hieruſalem. Hoc autem eſt quod ſibi volunt Septuaginta, cùm transferunt: *Fecit aſcenſum purpureum, & interius eius lapidibus ſtratum dilectionibus*, id eſt, pro lapidibus ſtrata eſt ipſa dilectio. Denique 3. Reg. 19. עגת רצפים Vgath Resaphim ad verbum eſt, *placenta prunarum*, id eſt, cocta ſub prunis. Quod ex D. Hieronymo legimus: *& ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis*, id Septuaginta interpretes reddunt: *& ad caput ſuum ſubcinericius panis ſiligneus*. Chaldæus verò Paraphraſtes: *& ecce ad ceruical eius placenta perforata prunis cocta*. Iſaiæ quoque 6. verſ. 6. vbi legimus: *& volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Pro eo quod *calculum*, transfert D. Hieronymus in hebraico eſt רצפה Rispa, id eſt, carbo ignitus, ſiue pruna ardens: Ideò Septuaginta reddiderunt: *& in manu habebant carbunculum*: id enim ſignificat vox ἀνθρακία, quam ipſi ponunt; Chaldæus verò Paraphraſtes pro manu intelligit os Prophetæ, & pro calculo, id eſt, pruna ignita, eloquium, quod à Deo ſuſceperat à facie maieſtatis eius qui habitat in throno gloriæ in cœlis.

Cap. VI. DE IGNIS OPERATIONE ET EFFECTIS.

1 Varias eſſe ignis actiones, & operationes facilè cognoſcemus, ſi ſacras ſcrutemur ſcripturas, quibus diligenter conſideratis varia etiam ſcripturæ

ræ loca, quæ aliquam poſſent parere difficultatem, fient perſpicua: Ac imprimis cùm ignis ſupremum ſit, & nobiliſſimum inter quatuor elementa, vim habet illuminandi & calefaciendi, comburendi, & exſiccandi, & coquendi, mollia indurat, & dura liquefacit metalla purificat, quæ ſunt vnius naturæ copulat, & quæ diuerſæ ſeparat: interdum diuerſa in vnum conflat, & tandem vnam in alteram tranſmutat naturam. De eo ſic habet Dionyſius cœleſtis Hierarchiæ cap. 15. *Ignis diuinæ proprietatis ſi dici liceat in rebus viſibilibus plurimas ſeruat imagines: ipſe enim, vt ita dixerim, in omnibus, & per omnia ſine vlla ſui admiſtione proficiſcitur, cùmque lucidiſſimus ſit, ipſe tamen non admota materia, in quam ſuam vim ſuúmque oſtendat officium in ſeipſo occultus atque incognitus manet, neque admittit habitum, neque patet aſpectui, ipſe omnia ſuperat, & ea quibus inſederit in ſuum traducit officium; omnibus quomodolibet ſibi apropinquantibus ſui conſortium tradit, renouat omnia calore vitali, fulgoribus apertis illuminat, teneri miſcerique non poteſt; diſcernendi vim habet, atque immutabilis eſt; ſuperiora ſemper petit, & in acumen tendit; agilis, celer, ſublimis, nulláque vi vt inferiora peteſſat adigi poteſt; ſemper mobilis eodem motu vigens alia mouet; cùmque alio ipſe non egeat, ſibi ipſi tamen clam incrementa ſuppeditat, atque in qualibet ſuſcipiente materia ſuæ maieſtatis potentiam indicat; efficax, potens, omnibus inuiſibiliter præſens, ſi negligatur non eſſe videtur, attritus autem veluti irritatione quadam naturaliter continuò lucentem excitatur in flammam.* hæc Dionyſius.

COMBVRERE.

Dictio hebraica חרר CHARAR ardere, & comburere ſignificat, quæ igni adiungitur Ieremiæ 6. verſ. 29. *Defecit*, inquit, *ſufflatorium in igne; conſumptum eſt plumbum; fruſtra conflauit conflator; malitiæ eorum non ſunt conſumptæ*, vbi pro *defecit ſufflatorium*, in hebraico eſt נחר מפוח NACHAR MAPVACH, ad verbũ, *combuſtum eſt ſufflatorium*: id enim Hieronymus ſignificat, nempe defeciſſe ac conſumptum fuiſſe ſufflatorium per combuſtioné: quem ſenſum apertè reddunt Septuaginta interpretes: ſic enim habent: *defecit ſufflatorium ab igne, quia ab eo conſumptum eſt.* Quod autem ſequitur: *in igne conſumptum eſt plumbum*, intellige de plumbo quod miſcet artifex ipſi argento dum conflatur, ne argentum ab igne conſumatur, quaſi dicat: & argentum, & plumbum ſunt combuſta ſimul cum conflatorio; Ideò adiungit: *fruſtra conflauit conflator*, quod Septuaginta reddunt: *fruſtra argentarius argentum conflat.* Loquitur Propheta aduerſus Hieruſalem eiúſque ciues, quaſi dicat exuſtum eſt guttur Prophetæ iugiter ad illos vaticinantis, iuxta illud Pſalmi 68. verſ. 4. *Laboraui clamans: raucæ factæ ſunt fauces meæ*, vbi reperitur etiam vox eadem hebraica נחר NACHAR, quod ad verbum eſt: *aruit, arſit ſiue exuſtum eſt guttur meum.* Eundem ſenſum confirmat Chaldæus Paraphraſtes, ſic locum Ieremiæ exponens: *Ecce ſicut ſufflatorium quod combuſtum eſt in medio ignis, ſic ſiluit vox prophetarum, qui prophetant eis conuertimini ad legem meam, & non ſunt conuerſi; & ſicut plumbum quod liqueſcit in medio fornacis, ſic otioſa facta ſunt in oculis ſuis verba prophetarum, qui prophetant eis, & nihil prodeſt eis quod docent eos doctores eorum, & opera ſua mala non reliquerunt.* hæc Chaldæus Paraphraſtes. 2

IGNIS OPERATIO.

CREMARE.

3 Aliquando solet ignis subiectam materiam torrendo comburere, & comburendo exsiccare,& cremando consumere. Sic explicatur locus ille Psal. 101. vers. 4. *Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt:* est autem cremium, siue φρύγιον lignum accensum, *el tizon*, vulgò dicitur, siue lignum aridum combustum. Dicitur quoque cremium caro accensa in frixorio, à qua quò magis torretur, magis virtus, & humor euacuatur; ideò dicit: *ossa mea sicut cremium aruerunt*, est autem φρυγίω Græcis siccare, ardere; cremio autem respondet vox hebraica מוקד Moked,quæ deducta est à יקד Iakad, significat incendium,& etiam cremium; designat quoque focum, locum scilicet vbi accenditur ignis: Hinc fit vt varij ex his Prophetæ verbis emanent sensus, primus: *ossa mea sicut aridum, & adustum lignum, vel sicut caro in frixorio posita aruerunt*;Hunc sensum reddunt Septuaginta,& quoque D.Hieronymus, qui transfert: *& ossa mea quasi frixa contabuerunt.* Alter sensus est: *ossa mea sicut focus exusta sunt, vel, exaruerunt*; Hunc sensum reddit Chaldæus Paraphrastes, qui sic habet: *& membra mea sicut Chytropodes adusta sunt.* Sunt autem græcè χυτρόποδες sustentacula ollarum,siue ollæ cum pedibus,aut ipsi foci:Qua quidem voce vtitur scriptum Leuit.6. vers.9. *Hæc est*, inquit,*lex holocausti: cremabitur in altari tota nocte vsque mane: ignis in eodem altari erit*, vbi pro *cremabitur*, habes in hebraico היא על מוקדה Haia al mokeda, *erit super focum*, aut *super Chytropodem.* Alij reddunt:*erit super vstionem siue incendium*;quod seruato eodem sensu *cremabitur*, transfert Hieronymus.

ACCENDERE.

4 Porrò operatio ignem accendendi sæpe ad significandam commotionem iracundiæ transfertur in sacro eloquio: sic enim habet Psal. 77. vers. 21. *Ideo audiuit Dominus, & distulit, & ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israël: Ignis accensus est furoris, & iracundia in Iacob*, quod per verba sequentia declaratur: *& ira ascendit in Israël:* sic Ierem. 21. vers. 12. *Iudicate mane iudicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis, ne forte egrediatur vt ignis indignatio mea, & succendatur vt non sit qui extinguat*, vbi ignis proprietates iræ tribuuntur. Ita quoque habet scriptura apud Ieremiam Treno 2. vers. 4. *Tetendit arcum suum quasi inimicus,firmauit dexteram suam quasi hostis,& occidit omne quod pulchrum erat visu;in tabernaculo filiæ Sion effudit quasi ignem indignationem suam.* Idipsum ex hebraicis verbis colligimus loco illo per Septuaginta reddito Psal. 56. vers. 5. *Eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus*: vox enim hebraica ibi posita, nempe להטים Lehatim ardorem etiam significat, est enim להט Lahat ardere, inflammare. Sensus ergo est: *Dormiui conturbatus in medio catulorum ardentium, id est, ira accensorum, vnde eripuit animam meam.* Quasi dicat iacebam in medio catulorum ferocientium, vt transfert D. Hieronymus furore ardentium, hoc est, in medio inimicorum meorum excandescentium ira, qui erant quasi leones rabidissimi, & inflammati; seipsum explicat verbis sequentibus: *filij hominum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.* Id autem Chaldæus Paraphrastes ita exponit: *Anima acuitur tanquam in medio flammarum: dormiam tanquam inter carbones quos succendunt filij hominum, quorum*

rum

rum dentes sunt sicut lancea & sagitta, & lingua eorum sicut ensis acutus. Hanc eandem vocem להט LAHAT ponit Psalmographus, cùm Angelos vocat ignem vrentem psal. 103. vers. 4. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*, ibi enim pro *vrentem*, legimus, להט LOHET, ad verbum, *ardentem*, quæ vox ad Hebræos 1. vocatur à D. Paulo πυρὸς φλογὰ *flamma ignis*, & ad Angelos quidem dicit: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.*

COQVERE.

5 Coquere denique & assare igne solemus, quæ operationes variis in locis sacræ scripturæ igni tribuuntur: id enim בשל BASAL vox hebraica designat: hinc מבשלה MEBASELA est olla, ahenum, aut lebes in quibus res coquuntur. Significat etiam locum vbi caro coquitur, nempe culinam, quam significationem ei tribuit D. Hieronymus Ezechiel. 46. ver. 23. *Et paries*, inquit, *per circuitum ambiens quatuor atriola, & culina fabricata erant subter porticus per circuitum*: nam pro *culina* legimus hebreicè מבשלות MEBASELOTH. Sensus ergo est, *loca erant fabricata ad coquendum, & assandum, siue foci in quibus accendebatur ignis ad hunc effectum.* Quem etiam sensum reddunt Septuaginta, sic transferentes: *Et exedra in circuitu ipsius quatuor, & coquina facta subter exedras in circuitu.* Alij interpretantur: *Lebetes, siue olla facta sunt ibi subter porticus*, sed prior sensus magis videtur quadrare.

EXCOQVERE.

6 Igne præterea excoquuntur, funduntur, purificantur, & examinantur metalla, quod propriè significat vox hebraica צרף SARAPH, potissimum Isaiæ 48. vers. 10. vbi habes: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis*, sensus est: *fudi te, purificaui te*: hoc enim significat צרפתיך SERAPHTICA, & non in argento, id est, non quemadmodum argentum, quod funditur, & remouentur ex eo scoriæ, quatenus purum remaneat. At ego non ita feci, quia pauci remansissent, sed afflixi scorias, id est, impios, qui erant inter vos ægrotationibus, captiuitate, & filiorum orbitate, carentia quoque fructuum terræ, atque animalium. Itaque cùm vox ista צרף SARAPH propriè fundere metalla, & excoquere ea significet, atque à scoriis mundare, transfertur ad res alias, & significat explorare, probare, & examinare, velut igni. Hinc illud Iudicum 7. vers. 4. *Dixit Dominus ad Gedeonem: adhuc populus multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos, & de quo dixero, vt tecum vadat, ipse pergat.* Probabo, inquit, illos, אצרפנו ESREPHENV, ad verbum, excoquam, fundam, purificabo illos, quemadmodum aurifices argentum à scoriis, vt non sint ibi nisi iusti, quia dum incuruauerint se ad bibendum, signum erit se incuruasse ipsi Baal. Chaldæus Paraphrastes habet: *eligam eos.* Sic etiam exponendum est illud Prouerbiorum 17. vers. 3. *Sicut igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Pro *camino*, siue *fornace* quod vertit Hieronymus, est in hebraico מצרף MASREPH, sic vocatur vas in quo fundunt, siue purificant aurum, & argentum, quasi fusorium, & conflatorium dicas: Hispanè, *el chrysol*: Quidã vstrinam vocant. Alij describentes huiusmodi vas, dicunt esse conflatorium, siue catinum conflationis, in quo mundatur aurum à scoriis, & probatur

IGNIS OPERATIO.

quantum ſcoriarum contineret: nam ex pondere poſtea dignoſcitur quantitas ſcoriarum, quæ in excoctione fuerunt conſumptæ; ita ergo, inquit, corda probat Dominus. Ad eundem modum intellige illud Pſal. 65. verſ. 10. *Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum:* habes enim in hebraico צרפתנו SERAPHTANV, id eſt, fudiſti, perfudiſti nos, ſicut fundit & purificat artifex argentum, vel, quemadmodum funditur, & purificatur argentum. Hieronymus verò transfert: *Igne nos conflaſti, ſicut conflatur argentum.*

MATERIA IGNIS.

7 Ignis iſte qui eſt extra ſuam ſphæram conſiſtere non poteſt, ſine ſucceſſione alimenti, & appoſitione lignorum, vel alterius materiæ: cùm enim non poſſit conſiſtere in materia propria, quia eſt extra ſphæram ſuam, exigit materiam alienam vt permaneat: vnumquodque enim elementum conſtat ex materia, quæ eſt eius pars in eo durans: cúmque conſtet materia & forma, non exigit aliam materiam in qua ſit, vt conſtat in elemento aquæ, quæ poſtquam orta eſt, non indiget aliquo in quo ſubſiſtat. Idem experimur in terra, & in aëre: ita quoque ſe habet ignis in ſua ſphæra: ibi enim vt ſit & permaneat, non indiget alio præter propriam materiam, & formam, ex quibus conſtat. Quando verò ignis poſitus eſt extra ſphæram ſuam, vt materia eius cum forma conſiſtat, indiget perpetuo alimento: ſtatim enim per ſeipſam deficit, niſi fomentis ſuſtineatur, quia nulla pars ignis eſt & permanet, niſi ſolùm quandiu gignitur, vt ſentit Ariſtoteles, quod ipſum experimentum docet. Oportet ergo continuari generationem, quæ non fit niſi in re combuſtioni obnoxia, in qua ignis ſuſcipitur & procreatur, & tandiu ignis durat, quandiu ſubiicitur, & præſens eſt materia ex qua procreatur. Itaque non poteſt ignis extra ſuam ſphæram, vel ad momentum ſine aliena materia, quam conſumendo ſeipſum perimit; dum autem ignis eſt in materia aliena, non caret matèria propria, ſed hæc non poteſt conſiſtere, niſi adſit materia aliena qua foueatur & gignatur: eſt enim ignis extra ſuam ſphæram in continuo ortu & interitu, vt poſt interitum vnius partis eius, ſtatim oriatur alia, & hoc durat dum præſens eſt fomentum: nam eo ſublato totus ignis interit.

LVX IGNIS.

8 Ignis autem in ſua ſphæra non lucet, ſed poſitus extra ſuam ſphæram res ignitas lucere facit: carbo enim ignitus, & flamma ex ſola ignis participatione ſplendent, duo enim ſunt quæ ſplendorem impedire ſolent, raritas, & opacitas: corpus enim rerum maximè viſum diſgregat, ideo lux in eo contenta, ſi maximè rarum ſit, videri non poteſt. Quare licet omnes partes corporum cœleſtium ſint ſplendidæ, non videntur niſi illæ tantùm, quæ ſunt denſæ ſicut aſtra, quæ voluit Ariſtoteles eſſe aggregationem luminis in ſuo orbe: ſic etiã res opacæ, & terreæ, etiamſi ardeant, & ignitæ ſint, parum aut nihil lucent, obſtat enim illa opacitas, vt experimur in ſulphure accenſo. Itaque ignis in ſua ſphæra cùm ſit ſubſtantia rariſſima, etiamſi lucidiſſima ſit, non tamen lucet aut ſplendet: poſitus tamen in rebus ignitis eas lucere facit, & tantò magis quantò eorum materia eſt minus opaca magis rara. Hinc fit, vt magis luceat, flamma, quàm pruna; lucere autem, eſt lumen emittere, lux autem claritas eſt, & ſplen

& splendor in corpore luminoso, vel extra à corpore luminoso exiens, quæ & lumen dicitur. Lucerna autem est instrumentum, in quo vnum; aut plura elychnia accensa, oleóque fota noctem illuminant.

Lucis autem ratio in cæteris rebus præstat, quòd diuini dicti adnotatione, & diuini iudicij probatione prima gaudet. *Vidit*, inquit, Gen. 1. *lucem quòd esset bona*. Est autem duplex in sacris literis nominata lux, altera diuina omninò & inaccessibilis, quam Deus habitat, quæ & spiritualis lux dicitur, in qua nullæ nec societate, nec successione, aut vicissitudine tenebræ sunt. Námque apud Deum, vt habes Iacob. 1. nulla est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, de qua Ioannis 1. *Quoniam Deus lux est, & in eo tenebræ non sunt ullæ*, ex hac autem luce, omnia quæ ad beatorum spirituum, & humanarum mentium illustrationem pertinent, emanant, vt Iacobi 1. habes: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum*. Altera verò lux ea est, qua naturæ rerum varietas, pulchritudo, & species omnis conspicienda præbetur. Hæc verò ex illa priore luce diuina non naturæ, & dignitatis æqualitate, sed efficacitatis, & commoditatis certa quadam similitudine, & arcana repræsentatione producta est. Prior illa semper fuit posterior: hæc temporum & sæculorum omnium initio magnum omnibus rebus, atque vniuerso mundo commodum, magnum decus, & vsum magnum afferens extitit. 9

CALOR IGNIS.

Calefaciendi autem, & vrendi idem est in igne principium, scilicet calor, qui tantò magis vrit, quantò est magis intensus, quare cùm magis intendi possit, vbi fuerit materia densior, & compactior, quò magis densa fuerit, res ignita, magis vrit: magis autem comburit carbo, quàm flamma: licet vtraque res sit ignita, quia carbo est densus & terreus, flamma autem subtilis substantia, cùm ex vapore fiat. In quolibet autem carbone ardente non est eadem comburendi vis, sed quantò est solidior materia, tantò fortior est vrendi actio: vehementius enim vrit ferrum ignitum, quàm lignum, & multò magis lignum accensum, quàm stipula. Ideò Apostolus 2. Cor. 3. tres gradus distinguit ad pœnarum solutionem in purgatorio, per tres istos caloris gradus. Dicit enim quosdam ædificare lignum, alios fænum, alios stipulam, hoc idem in flamma experimur, quia quantò fumus qui inflammatur densior est, tantò vis ardoris est maior: magis enim ei vis ignis imprimitur, & ideò magis in eo calor intenditur, & acrius vrit. Est itaque calor qualitas igni competens, & frigori aduersa. Eius vis est actiua, & sursum motiua, estque calor necessarius ad vitam, & operationes, eóque omnia generabilia fouentur. Solet autem calor in sacris literis designare feruorem charitatis, vt psalm. 18. vers. 38. Eundem charitatis feruorem significat Apocal. 3. dicitúrque ibi calidus, fidelis, feruens charitate, vt Iob 28. & Eccles. 4. atque Isaiæ 47. Aggei etiam 10. sed calor nimius significat pœnas inferni Iob 24. & Hierem. 51. 10

Calore autem ignis quædam torreri solent, vt de polenta constat Iosue 5. 11
vers. 11. quæ קלוי KALVI voce hebraica dicitur, & significat rem tostam. Est autem polenta apud latinos hordeum madefactum, deinde siccatum, & tostum. Præparabatur autem hoc modo, percussum aqua hordeum exsiccabant

IGNIS OPERATIO.

bant nocte vna, postera die frigebant, deinde molis frangebant, seruabántque in multos dies. Hieronymus autem nomine polentæ, non hordeaceam solam farinam, sed etiam triticeam factam è spicis plenis, aut teneris virentibus igne tostam intelligit, quod constat ex Leuit. 23. vers. 14. vbi legimus: *Panem, & polentam, & pulies non comedetis ex segete, vsque ad diem qua offeratis ex ea Deo vestro:* Nam & græca vox ἄλφιτον quæ polentam significat, non solùm est ordeacea farina, sed triticea, & in summa ἄλφιτον dicitur omnium fructuum molitorum molitura. Itaque Iosue 5. vbi legimus: *Comederunt de fructibus terræ die altera, & azymos panes, & polentam eiusdem anni*: pro polenta legimus קלוי Calvi, est enim קלה Kala torrere, cúmque quod torretur leuius fiat, trahitur hæc vox ad significandum contemptum in sacris literis ob leuitatem, quæ cum contemptu habet affinitatem. Septuaginta autem interpretes pro Kalvi, re scilicet tosta, νέα id est, nouos transtulerunt: id autem ideò quòd ex frugibus nouis atque recentibus fieri soleret huiusmodi polenta.

C I N I S.

12 Cinis autem puluis est, in quem materia vsta resoluitur: græcè dicitur τέφρα quæ vox aliquando sumitur pro manibus, & reliquiis funerum: hebraicè vocatur אפר Epher. Appellatur etiam דשן Desen, quæ quidem vox propriè pinguedinem significat, sed per antiphrasim pro cinere ponitur, quòd cinis sit matura, macra, omni vacans pinguedine, vtpote igni tosta & desiccata; est autem cinis mollis, despectíque coloris, & amari, & stiptici saporis, constans minutissimis partibus & tenuissimis, quæ leui flatu dissipantur. Cineres autem calidi tangentes ignem, ipsum conseruant, & frigidi extinguunt; cùm autem cinis sterilis materia sit, terram cui miscetur, sterilem reddit & vilem, fauilla verò à fouendo dicta, eò quòd ignem foueat & tegat, nihilque aliud est quàm cinis derelictus, per extinctiones scintillaris materiæ est tenuis, mollis, & subalbida, sicca, atque leuis, quæ superficiei carbonis igniti adhærens, eius fulgorem hebetat, & feruorem, ac virtutem attenuat, ad modicum verò venti flatum dispergitur, & dissipata vix colligi potest. facilè inflammatur, sed ex nutrimenti defectu subitò extinguitur: quando ardet venti raptu tendit sursum, extincta autem proprio pondere ima petit.

13 Ex ambiguitate vocis דשן Desen, quæ pinguedinem & cinerem per antiphrasim designat Hieremiæ 31. vers. 4. locum quendam qui iuxta D. Hieronymum dicitur vallis cadauerum, & cineris nempe locum effusionis cineris, qui erat extra Hierusalem: Alij vallem cadauerum & pinguedinis interpretati sunt, & ob eandem causam quod legimus psal. 19. vers. 4. *Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat*, ad quem sensum videtur alludere Chaldæus Paraphrastes, cùm ait: *Recordetur omnium munerum tuorum, & holocausta tua adoleat semper*: alij sic interpretantur: *Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum in cinerem conuertat, ac si ignem de cœlo iubeat descendere, & consumat holocaustum tuum, & gratum illud fuisse commonstret.* Hæc enim vox Desen cinerem significat Leuitici 2. vers. 6. & locum cineris Leuit. 4. vers. 12. & דשן Dasan in piel est renouare cineres, vt constat Numer. cap. 4. vers. 13. & Exod. 27. vers. 3. Differt autem אפר Epher cinis ab עפר Aphvr puluere, quia puluis non est igni

IGNIS OPERATIO.

est igni adustus, cùm tamen puluis cinis sit, in quem materia adusta redigitur. Sunt autem qui velint אפר Ephar, id est, cinerem à פרה Para, quod est fructificare, deflecti per antiphrasim, quod cinis fœcunditatem prohibeat, & sterilitatem inducat, vnde mœroris & luctus signum est in sacris literis. Exodi verò 9. vers. 8. vbi legimus: *Et dixit Dominus ad Moysen, tolle plenas manus cineris de camino, & sparget illum Moyses in cœlum coram Pharaone*, pro *cinere* habes in hebraico פיח Piach, quod sufflationem significat, propriè designat fauillam, siue cinerem calidum, id scilicet quod exsufflatur ex carbonibus suffocatis, siue cinere contectis, & in fornace combustis. Est itaque Piach fauilla siue cinis, qui sufflantibus follibus eleuatur in aere, & facili flatu excitatur, & efflatur è fornace, quare hinc putant dici פחם Pecham carbonem extinctum, quòd exsuffletur. Ad verbum ergo sic habet locus Exo. *Capite plenitudinem volarum vestrarum*, id est, plenas volas ex sufflatione fornacis, id est, fauillam quæ ex sufflando ducatur quæ cinis etiam est. Itaque sensus D. Hieronymi est: *tolle manus plenas cineris*, id est, fauillæ de camino, quæ ob maiorem tenuitatem magis apta videatur, vt sparsa à Moyse, facilius in cœlum eleuaretur à vento. Idem confirmat Chaldæus Paraphrastes, qui, *tollite*, inquit, *vobis plenos pugillos vestros fauillæ fornacis*. Cùm autem legis Deuteronom. 9. vers. 21. *Vitulum arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omnia quoque in puluerem redigens, proieci in torrentem, qui de monte descendit*, ne per puluerem intelligas cinerem, in quem ex combustione reductus sit vitulus, cùm aurum non comburatur, sed liquefiat: sed per hanc combustionem, liquefactionem intellige. Itaque primùm vitulus est liquefactus igne, vt eius figura aboleretur, deinde lima contritus, & in puluerem aureum redactus, quod Chaldæus Paraphrastes ita exponit: ***Et combussi eum igni, & comminui eum in pilo vehementi, donec fuit comminutus in puluerem.***

Caput VII. DE SVBSTANTIA AEREA.

AEr propriè dicitur corpus contentum inter elementum ignis & terram, 1
plus multò habens raritatis, quàm inferiora elementa, quod partim ad terream, partim ad cœlestem materiam pertinet: Nam pars superior subtilis vbi procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem spectat regionem. Ista verò pars inferior, quæ volutionibus permeatur, & stadiis quadraginta à terra distat, cùm sit turbulentior, & exhalationibus humidis corporescat, terræ deputatur. Hic ergo aer in hac inferiori parte situs, si commoueatur, ventos facit: vehementius concitatus, ignem, tonitrua: contractus verò, nubes: densatus autem, pluuiam, & congelatus nubibus, niuem, grandinem: & distentus, serenum efficit. Est autem elementum aeris calidum, & humidum, ex propria enim natura humidum est, sed ex vicinitate orbis calidum, & quia subtile & rarum est, ideo diaphanum & perspicuum, ac facile solis lucem in se recipiēs: omnibus verò animantibus quæ respirant, vtile & necessarium. Nam attractus aer à pulmone, & cordi communicatur, per ipsum cor toti corpori præstat temperamentum: miscetur enim eorum substantiæ, quæ corpori præbent

AER.

vitam, quo existente temperato & salubri maximè ad tuendam & conseruandam valetudinem confert: si autem fuerit deprauatus aliqua noxia qualitate, morbum gignit, & interitum affert. Deprauatur autem aër, & noxius fit, cadauerum; & paludum propinquitate, facilè enim corruptione afficitur & pestilens fit, quod accidere vt plurimum solet in fine æstatis, & potissimum in autumno, quòd tunc aer subtilior fit, & faciliùs recipiat noxias qualitates. Ex percussione autem radiorum Solis in aere humido & denso apparent in eo varij colores, vt docet Aristoteles in libro Metheor., vt experimento in Iride constat; fit autem mutatio in aëre ex varia terræ dispositione & situ: nam in plaga septentrionali est aer siccus & frigidus, in plaga australi calidus & humidus, in orientali verò regione calidus & siccus, in occidentali verò frigidus & humidus. Fit quoque in eo mutatio ex terræ eleuatione & depressione: in montibus enim aer est frigidus, in vallibus autem calidus, cuius rei duplex potest reddi ratio: nam Boreas oritur ab eminenti zona, loca eminentia commodè expetens & mouens, reddens autem subtilia atque refrigerans: omne enim subtile adueniente exhalatione per motum frigidum fit: cùm enim aer in vallibus maneat, est calidus, quod contingit ex aggregatione radiorum qui multiplicantur in vallibus ob condensationem vaporum, quæ magis in vallibus quàm in montibus accedit; hinc etiam fit vt niues citiùs liquescant in vallibus quàm in montibus, quia ibi ex radiis maior calor progignitur: nam & Aristoteles libro 1. Metheor. cap. 4 dicit multiplicationem radiorum qui tendunt ad terram velut ad centrum, esse causam huius calefactionis.

2 Quod autem D. Hieronymus reddit Gen. 3. vers. 8. *ad auram post meridiem*, in hebraico est לרוח היום Le rvach ha iom, ad verbum, *& respirationem diei*, ac si dicat, tempore quo est respiratio ac refrigerium diei. Sed quoniam רוח Rvach etiam ventum significat, potest hoc exponi & referri ad ventum flantem, id est, tempore quo declinat dies, quo flat ventus; proinde transtulit Hieronymus, vt genuinum sensum nobis explicaret: *Cùm audisset vocem Domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem:* dictionem autem illam מתהלך Mith halec, quæ ambulantem significat quidam non ad Dominum Deum, sed ad ipsam Domini vocem referunt, vt sit sensus, *cùm audisset vocem Domini Dei ambulantem*, id est, resonantem in paradiso ad auram post meridiem: nam Hierem. 46. vers. 22. quod in Hieronymo legimus: *vox eius quasi æris sonabit*, ad verbum in hebraico est ילך Ielech, ambulauit, vbi ambulatio voci tribuitur, quasi ambulare vocem, sit eam resonare, sed D. Hieronymi sensum confirmant Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphrastes, qui Dominum in paradiso ambulantem interpretantur. Porrò quia רוח Ravach dilatare significat, ac etiam respirare, & inde Rvach aerem denotat, illud quoque Hierem. 22. vers. 14. *Ædificabo mihi domum latam & cœnacula spatiosa*, duplicem etiam potest habere sensum. Primus est, quem verba Hieronymi nobis exhibent, quem sensum confirmat Chaldæus Paraphrastes, cùm inquit: *Ædificabo mihi domos mensurarum, & cœnacula spatiosa*, vocat autem sacra scriptura בית מדות Beth midoth domum mensurarum, domum amplam & dilatatam, quasi domum cuius amplum ædificium multis indiget mensuris

mensuris, in qua multæ sunt diuisiones, commensurationes, & cœnacula multa, & spatiosa. Alter sensus est: *Ædificabo mihi domum latam, magna mensura, amplam, & cœnacula aeri exposita*, id est, per quæ aër ingrediatur & transeat, hoc est cœnacula æstiua: id enim significat עליות מרווחים ALIIOTH MERVVACHIM, id est, cœnacula respirantia, perflantia: quod sequenti versu magis explicatur, *Qui aperit sibi fenestras*, nempe vt per eas aër ingrediatur, qui refrigeret cœnacula, & æstum tollat. Hunc quidem sensum reddunt Septuaginta, qui domum mensurarum. domum paruulam appellant, quasi mensuris limitatam & definitam, quorum translatio est: *& ædificas domum paruulam, cœnacula perflatilia, distincta fenestris.*

VENTVS.

Ventus est exhalatio sicca ex Aristotele in Metheor. in terra resoluta, cum 3
aliqua virtute cœlesti composita. Procreationis autem ventorum variæ reddi solent causæ, quidam enim putant causam ventorum esse nubes in aëre extensas, sua mole aërem hinc & inde prementes, & impellentes, ex talique nubium motu, & impulsu ventum fieri. Alij verò dicunt ventum procreari ex conflictu sinuum maris in quatuor terræ partibus: nam quando sinus australis aut aquilonaris confligunt in oriente, dicunt ex illo motu maris consurgere ventum, qui vocatur subsolanus: quando verò huiusmodi sinus confligunt in occidente agitato aëre, ex motu maris consurgere ventum, qui dicitur Fauonius, si verò sinus orientalis & occidentalis conflictum emittant in meridie, fieri ventum qui dicitur Auster: si verò in Septentrione, procreari eum qui vocatur Boreas: ex aliis autem refluctionibus maris intermediis collaterales ventos proficisci. Nonnulli verò arbitrantur fieri ventos ex cauernis terræ, quòd aër labilis sit naturæ, & penetret eius cauernas, indéque egrediatur: & dicunt, cùm pars altera conatur exire, alia verò subintrare, fieri conflictum, & moueri aerem, & huiusmodi aerem impulsum & motum esse ventum, ideóque Æoliam regionem esse ventosam, quòd sit cauernosa. Docet autem Aristoteles communi Peripateticorum consensu materiam ventorum esse spirationem calidam & siccam. id quod ita esse multis indiciis ostenditur: primùm quia quibus temporibus magna suppetit exhalationum copia, crebriores sunt venti, vt Vere, & Autumno: secundò quia matutino tempore exoriente sole sępe ventorum flatus commouetur, quia tunc multa exhalatio è terra elicitur: Tertiò quia idem accidit cùm nix liquescit, propterea quod ei permixta erat sicca expiratio, quæ dissoluta niue excernitur: Quartò quia non ob aliam causam igneus color in aere ventos denunciat, nisi quia is in fumida & torrida exhalatione consistit: nec Cometa vehementes flatus protendit, nisi quia illius ignis multarum exhalationum concretione pascitur: Quintò quia constat ventos plurimum exsiccare, vtique nonnisi quia calida & sicca materia constant, non tamen ventorum materia est pura exhalatio, sed interdum ac etiam frequenter vapores exhalationibus permisti. Qua autem vi creentur venti difficile est nouisse, etsi variæ à Philosophis reddantur causæ. Et planè hoc vnum est ex iis quæ in naturæ contemplatione magna ex parte latent ideò vt ob id Psalmo centesimo trigesimo quarto, & Hieremiæ capite de-

 cimo

AER.

cimo dicatur Deus prouidere ventos de thesauris suis, id est, de occultis naturæ causis.

4 Ventus autem nubes cogit, pluuiámque efficit, vnde miraculi indicendi causa dictum est 4.Reg.3. *Non videbis ventum, neque pluuiam, & alueus iste replebitur aquis.* Aliquando ventus idem exsiccat, & exugit aquas, vt Gen. 41. vidit spicas Pharao vento vrente percussas, & Exodi 10. Deus in mare induxit ventum vrentem tota nocte, qui desiccauit pauimentum maris, hic est Subsolanus ventus. Etiam aliquando nubes deiicit, & serenum reddit cœlum, vt Aquilo de quo scriptum est Prouerb. 23. *Ventus Aquilo dissipat pluuias.* Omnium autem ventorum communis est vehementia, celeritas, & libera vagatio, hinc Ioann. 7. *Spiritus vbi vult spirat, & audis vocem eius*, &c. Significat autem nobis scriptura ventorum celeritatem 2.Reg. 22. *Elapsus*, inquit, *est super pennas venti*, & psalm 103. *Qui ambulas super pennas ventorum*, impulsionem designat psalm. 1. *sicut puluis*, inquit, *quem proijcit ventus à facie terræ*, & Iob 13. *Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam*, & Isai. 7. *mouebuntur ligna syluarum à facie venti*, & Iob 37. *Ventus transiens fugabit eos.* Significat etiam ventus rerum fluxum, & fugacitatem, & incertitudinem in sacro eloquio. Hinc Iob 7. *Memento quia ventus est vita mea*, & Prouerb. 11. *Qui conturbat domum suam possidebit ventos*, & Prouerb. 27. *qui retinet eam quasi ventum teneat*, sic Isaiæ 40. *Ventus & inane simulachra eorum.* Inconstantem etiam sententiam denotat, sic Lucæ 7. *Existis videre arundinem vento agitatam*, & Ephes. 4. quosdam dixit circumferri omni vento doctrinæ.

TVRBO.

5 Denique ventus subtilitate qua pollet, & impetu penetrat maris interiora suscitans procellas & vndas, cuius potentia & virtus maximè in iis quæ sibi resistunt, & impedimento esse contingit, elucescit atque monstratur, diruens domos & arbores sibi obstantes, & radicitùs subuertens; ideóque iuxta Isidori sententiam ventus sic dicitur, quòd vehemens sit & violentus: vis enim eius tanta est, vt non solum saxa, & alia eiusmodi euellat, sed etiam cœlum & terram conturbet, atque maria commoueat: qui quando è terra oritur debilis est, sed postea fit vehemens, per vaporum multam congeriem, qui in aëre aggregantur & crescunt. Est etiam causa terræ motus: ex vento enim intercluso, & aggregato in cauernis terræ, fit terræ motus, sicut etiam in corpore humano ventus vi caloris è vaporibus cibi & potus resolutus, morborum causa sæpe esse solet, inclusúsque in stomacho & visceribus interdum torsiones efficit intolerabiles, hydropisim etiam, & alias infirmitates inducit. Itaque ventus qui turbo in sacris literis vocatur, hebraicè סוף SVPH dictus est à cõsumendo, quòd dissipet & consumat cito obiecta. Alij arbitrantur hoc nomen hebraicum sumptum esse à סוף SVPH, id est, iunco, vel iunceto, quòd vt vẽtus & tempestas iuncetum sic arenam, & alia suo loco transferat. Quare Oseę 8. vers. 7. סופה SVPHA turbinem propriè significat, id est, ventum mixtum frigore, obiecta quæque deturbantem, prosternentémque: *Ventum*, inquit, *seminabunt, & turbinem metent.* Itaque per turbinem significatur ventus validissimus, & verticosus, omnia turbans & inuoluens, græcè στρόβιλος dicitur: est enim

enim στροϐέω circumago, vt luctantes solent. Quare Aristoteles de mundo ventum istum ita describit: *Est*, inquit, *flatus qui infernè sursùm versus supernè conuoluitur*; vnde Virgilius: *in terris turbine versat*. Est autem notandum in loco citato Oseæ legi hebraicè סופתה SVPHETHA, vbi literam ת, quidam additam putant, vt in hac voce esset duplex signum fœmineum, & sic geminaretur ad indicandum turbinis, & tempestatis illius vehementiam, vt sit sensus: *ventum seminabunt, sed metent turbinem*, id est, validissimam ac vehementissimam tempestatem, quæ omnia vastet atque prosternat; Id autem hoc pacto explicat Chaldæus Paraphrastes: *Domus Israël similis erit ei quod disseminat, sed turbo demetit*, in quo non est stans seges, & prouentum non facit, quòd si forte opes congregauerit, gentes depredabuntur eas. 6

Notandum porrò est apud Hebræos סערה SAARA turbinem significare, quod ex variis locis sacræ scripturæ constat: Isai. autem 54. vers. 5. vbi nos legimus: *paupercula tempestate conuulsa absque vlla consolatione*, hæc vox in hebraico posita est, vbi pro *tempestate conuulsa*, habes ad verbum, *manens in turbine*; vocatur autem tempestate conuulsa propter suam inconstantiam & instabilitatem: est enim turbo eius naturæ, vt res obiectas circumagat, & huc illucque verset, atque propellat: Hinc fit vt Septuaginta interpretes transferant: *humiles & instabiles non consolata es*. Itaque quod in hebraico est, *in turbine manens*, illi exponunt: *instabilis & inconstans*. Chaldæus verò Paraphrastes turbinem eius calamitatem, & oppressionem atque opprobria interpretatur: *Paupercula*, inquit, *iniuria affecta ciuitas, de qua dicebant populi non erit consolatio*. Vt autem turbinis vehementiam, impetúmque intelligemus, quod Psal. 57. vers. 10. in hebraico legimus ישערנו IISARENV, ad verbum, *vt turbo perdet eum*, id est, eos; & Septuaginta transtulerunt: *sic in ira absorbet eos*. D. Hieronymus reddit: *quasi in ira rapiet eos*, quod autem iuxta hebraicam vocem dicitur, *turbo perdet eos*, vna voce dici potest, nempe perturbabit eos, hoc est, horribiliter deiiciet velut turbine & tempestate; quæ omnia sic Paraphrastico more explicat Chaldæus Paraphrastes: *Priusquam impij fiant teneri, durescunt, sicut Rhamnus quandiu sunt virides, sicut immaturum turbine destruit eos*. Significatur etiam impetus turbinis verbis illis Abacuch 3. vers. 14. *Maledixisti sceptris eius capiti bellatorum eius venientibus vt turbo ad dispergendum me*, in hebraico est יסערו IISARV, id est, venient vt ventus turbinis magno impetu; alij reddunt, *commouebuntur*, *siue commouebunt se ad dispergendum me*: sic Septuaginta, *commouebuntur*, *aperient frenos suos*, id est, effrenatè magno cum impetu venient. Denique illud quod D. Hieronymus vertit Psal. 49. vers. 3. *Ignis in conspectu tuo exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*, sunt qui exponant, *& terra mota est vt turbo*: significat enim ibi שערה SEARA vox ibi posita turbinem, tempestatem. Quare Nahum 1. vers. 3. duplex tempestatis nomen ponitur in illo versiculo, *Dominus in tempestate, & turbine via eius*, nempe סופה SVPHA; & שערה SEARA: prima vox sic dicitur à consumendo, posterior verò ab horrendo: שער SAAR enim cum ש, sinistro horrere significat: turbo enim vehemens horrorem parit.

VENTORVM SPECIES.

De ventorum autem numero ac varietate agit Aristoteles lib. 2. Meteor. 7

D. etiam Damascenus lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 8. Seneca lib. naturalium quæst. cap. 16. & Plinius lib. 2. naturalis historiæ cap. 47. Omnium concensu receptum est quatuor esse principes ventos, à quatuor mundi partibus seu præcipuis angulis spirantes, quos Æolus notasse primùm perhibetur referente Plinio & Strabone, videlicet ab Oriente æquinoctiali subsolanum, à Meridie austrum, ab occasu æquinoctiali fauonium, à polo arctico Septentrionem. Quod autem spectat ad cæteros, qui hisce quatuor primariis adiacent, quos collaterales vocant, auctus est eorum numerus crescente decursu temporum, tam Philosophorum quàm nautarum obseruatione. Andronicus Cyrrhestes octo ventos statuit, qui vt Vitruuius lib. 1. de Architectura cap. 6. commemorat eorum descriptionem in turri marmorea octogona Atheniensibus exhibuit hunc in modum, in singulis lateribus singulorum ventorum imagines sculptas contra suum cuiusque flatum ac situm designauit: Tum supra eandem turrim constituit metam marmoream, cui tritonem æneum imposuit, virgam dextra manu porrigentem, ita vt vento circumageretur, sempérque contra flatum consisteret, ac supra effigiem spirantis venti indicem virgam teneret. Verum recentiores Philosophi, & Hydrographi qui rem hanc diligentius, & ad vsum nauticum exquisitius pertractarunt, duos & triginta ventos constituunt, secántque orizontem in octo partes æquales, paribus inter se interuallis distinctas, in quibus partibus octo principes ventos ponunt, quos vulgò Rumos appellant; deinde totidem intermedios describunt, quos nostri medias portides nuncupant. Rursum intra hos sexdecim ventos totidem medios statuunt, quos quartas vocant.

8 Ventorum autem quatuor, qui præcipui ac principes sunt, mentionem alicubi facit scriptura: Ac imprimis ventus ille vocatus vrens, hebraicè dictus רוח קדים RVACH KADIM, de quo Exodi 10. vers. 13. ait scriptura: *Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, & Dominus induxit ventum vrentem tota die illa & nocte:* Ventus erat Orientalis, quod vox hebraica קדים KADIM satis demonstrat, quæ Orientem significat. Idem etiam manifestum est ex Chaldaico Paraphraste, qui sic locum hunc exponit: *Et Dominus induxit ventum Orientalem in terram:* sed cùm tres sint venti Orientales, nempe subsolanus, & Vulturnus ad partem Aquilonarem, qui & Euro aquilo dicitur, & Eurus ad plagam meridionalem vergens, qui & Euro auster vocatur. Per ventum vrentem hoc loco intelligimus ventum Orientalem Euro austrum, qui in terra Israël est ventus calidissimus, & ardentissimus, quod apertè docent Septuaginta interpretes, qui hunc locum transferentes, illum appellant ventum austrum, quòd vicinus sit austro, sicut Chaldæus Paraphrastes vocat eum Orientalem, quòd subsolano sit vicinus: est enim situs inter subsolanum ventum, & meridianum. Vocant autem illum Septuaginta ἄνεμον νότον, id est, ventum austrum quod è latere ipsius austri oriatur, ideóque ab ipsis Latinis Euro auster est appellatus: sicque intelligendus locus ille Ieremiæ 18. vers. 7. *Sicut ventus vrens dispergam eos coram inimico: dorsum, & non faciem ostendam eis in die perditionis:* qui auster etiam dicitur Psal. 77. vers. 26. voce enim hebraica KADIM significatur: Nam cùm in eodem versu statim eius fiat repetitio, vocatur תימן

THEMAN,

AER.

Theman, quæ vox austrum siue Aphricum proprie significat, vbi legimus;
Et transtulit austrum de cœlo, & induxit in virtute sua Aphricum. Accipitur ergo
ibi auster siue Aphricus pro Euro austro, qui dicitur Kadim, quòd ad
Orientem vergat, & vrens quia vicinus est austro, qui in terra Israël est arden-
tissimus.

NVBES.

Nubes est vapor humidus in sublime elatus è terra per æstum, siue aër in 9
liquorem coactus, cuius dẽsitas solem haud dubiè obumbrat, vnde etiam no-
men accepisse videtur à nubendo scilicet, id est, tegendo, quòd solem obnu-
bat. Sunt autem qui eius originem referunt ad dictionem græcam νέφος, quæ
nebulam significat, vel nubilum. Est autem nubes communis materia ad niuẽ,
pluuiam, & grandinem: calor autem cœlestis virtute sua partes aquæ, & ter-
ræ vaporosas ad se subtilissimè attrahit, consumptísque partibus subtiliori-
bus, quod reliquum est condensans in nubem conuertit. Mouetur autem hinc
inde nubis substantia, estque ad modum spongiæ caueruosa, ideóque facilè
recipit superiorum corporum impressiones, vt constat ex repræsentatione va-
riorum colorum, propter radiorum solis in eam ingressum in ipso arcu cœle-
sti, qui nihil aliud est quàm nubes quædam rorida, in cuius substantia multi-
plices colores per solis radium conspiciuntur. Quantò autem nubes ex subti-
lioribus vaporibus coalescit, tantò magis splendet radiorum solis contactu,
estque magis diaphana & transparens; est autem obscura quando ex crassis
exhalationibus coalescit: quare per sui interpositionem inter nos, & solem
magna ex parte nos priuat luce cœlesti; solis autem ardorem aliquando solet
temperare, & grata esse messoribus in æstu laborantibus. Quando verò in
pluuiam resoluitur terræ affert fœcunditatem, producens è terra germina;
Quandóque in ventum resoluitur: cúmque inde oriantur tempestates non
modicè noxia censetur tam iis quæ in mari, quàm iis quæ in terra degunt. Si
verò à paludibus, aut cadaueribus, vel aliis rebus corruptis fiat vaporum at-
tractio, quæ in nubium substantiam transeat, & conuertatur, ex huiusmodi
corruptis nubibus pestilentes morbi oriuntur.

Nubes autem inter cœlum, & terram medium locum sortitæ, mobiles sunt, 10
& variarum in orbe efficientiarum administræ sunt Dei currus, sunt aqua-
rum, grandinis, & nebularum, aliarúmque rerum receptacula, ac velut arma-
ria: Quamobrem plurima in nubibus acta, diuinæ & præsentiæ, & prouiden-
tiæ argumenta sunt, vt Psal. 67. vers. 35. *Date gloriam Deo super Israël, magnifi-
centia eius, & virtus eius in nubibus.* Ex hac autem ratione Christus Iesus diuini-
tatem, & potestatem suam doctis in scripturarum lectione hominibus quãuis
maleuolis latenter insinuabat Marci 14. *Et videbitis filium hominis venientem in
nubibus cœli.* Eadem etiam diuinitas, & dignitas Christi tribus illis testibus est
confirmata, in quorum conspectu est facta nubes lucida, obumbrans eos, &
vox de nube audita est, dicens: *Hic est filius meus dilectus*, Lucæ 9. præterea etiam
idem apud omnes vndecim probatum est, Christo in cœlos ascendente, & il-
lis videntibus nube suscepto Actor. 1. Nubium autem prima significatio hu-
moris est, in quo ipsæ concrescunt, quæ si densæ fuerint, pluuiam indicant, vt
sacræ

sacræ ipsæ literæ testantur, vt Genes. 9. *Cúmque obduxero nubibus cælum*, & Iudicum 5. *Nubes distillauerunt aquas*, & Iob 26. *Qui ligat aquam in nubibus*, & Psal. 17. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris*. Nubes prætereà celerrimi, & altissimi volatus specimen referunt, vt Isai. 60. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.*

11 Vox autem hebraica nubem significans est עב A B, à densitate quam habet: Nam עב A B densum significat, & spissum aliquid: est enim עבה A B A densare. Hæc autem significatio ostendit quomodo intelligendus sit locus ille Ieremiæ 4. vers. 29. *A voce equitis, & mittentis sagittam, fugit omnis ciuitas: ingressi sunt ardua, & ascenderunt rupes: vniuersæ vrbes derelictæ sunt, & non habitat in eis homo:* Nam pro עבים A B I M transfert D. Hieronymus *ardua*, alludens ad altitudinem, quam habent nubes, quòd arduum sit eas attingere, quod idem in hebraico est ac si dicas: *ingressi sunt nubem*, id est, rem altam & arduam, vt nubes est. Quatenus autem עב A B densum significat, sensus est: *ingressi sunt densa*, nempe syluas, & nemora, vt absconderentur ibi quasi in locis obscuris: Nam עיב A I A B est obscurare, obtenebrare; vnde etiam educi potest dictio A B, id est, nubes: cùm autem dictio hebraica אד E D in sacris literis fontem significet, vaporem, & nubem, hinc varia orta est illius loci interpretatio Genes. 2. vers. 6. *Sed fons ascendebat de terra, irrigans vniuersam terram.* D. enim Hieronymus & Septuaginta, *fontem*, transtulerunt. Alij *nubem*, interpretati sunt, vt sit sensus: *Et nubes ascendebat de terra, & irrigabat vniuersam superficiem terræ:* quem sensum reddit Chaldæus Paraphrastes. Non defuerunt qui exponerent hunc locum negatiuè, quem sensum quoque Hieronymi verba recipere possunt, sicut hebraica in hunc modum: *Sed neque fons, aut vapor, aut nubes ascendebat de terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.* Hi autem qui sic interpretantur, subaudiunt negationem præpositam versu præcedenti: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram, sed neque fons ascendebat de terra: quasi dicat, neque erat homo qui coleret terram, neque fons neque nubes: ab exordio enim mundi non erat qui sciret terram colere, neque erat vapor, neque fons qui ascenderet, sed Deus omnia admirabili decreto suo parata, & concinnè aptéque temperata creauerat, vt externo auxilio tunc nequaquam egerent.

12 Illud prætereà notandum est, נבל N E B E L in sacra scriptura significare instrumentum quoddam musicum, quod interpretes nunc psalterium nunc, lyram transferunt; iuxta alios est chorus, vulgò *cornamusa*, & est instar vtri pleni: Nam propriè, & ex prima significatione N E B E L est vter, lagena, hydria: & quoniam nubes cœli sunt plenæ aquæ instar vtris, & sunt quasi vtres cœli, hinc fit vt dictio ista transferatur ad nubes significandas in sacro eloquio. Hinc duplex sensus emanat illius loci Iob 38. *Quis enarrabit cœlorum rationem, & concentum cœli quis dormire faciet.* Nam pro concentu in hebraico est N E B E L: & quia hæc dictio significat instrumentum musicum 4. Reg. 10. vers. 5. & Psal. 70. vers. 22. & Isai. 5. vers. 12. atque aliis locis sacræ scripturæ, ideò D. Hieronymus reddit: *Et concentum cœli quis dormire faciet.* Quia verò hæc eadem dictio vtrem significat Ieremiæ 13. vers. 2. & 1. Reg. 10. vers. 3. hinc fit vt alij reddant,

reddant, *vires cœli*, id eſt, nubes inſtar vtris, ſiue lagenæ aquis plenas, vt ſit ſenſus: *Quis enarrabit cœlorum rationem, & nubes cœli quis quieſcere faciet:* quem ſenſum Chaldæus Paraphraſtes ſecutus eſt, qui ſic habet: *Quis numerabit ſtellas cœli ſapientia, & nubes cœli, quæ comparantur vtri, quis collocauit.* Porrò dictio hebraica כף CAPH cùm propriè ſignificet volam, ſiue palmam manus, & in vniuerſum curuitatem, ſiue concauitatem rei cuiuſuis: litera enim Alphabeti כף CAPH hoc nomine dicta eſt à curuitate, quæ ſic depingitur כ: Nam כפף CAPHAPH curuare, & incuruare ſignificat, hinc fit vt transferatur ad ſignificandam nubem in ſacris literis, quia nubes initio eſt tanquam vola manus parua, vt habes 3. Reg. 18. verſ. 44. *Ecce nubes parua tanquam veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Pro *quaſi veſtigium hominis*, in hebraico eſt ככף CECAPH ſicut vola; & quia plantam quoque pedis deſignat, transfert D. Hieronymus *veſtigium hominis*. Quare duplicem ſenſum ſortiri poteſt locus ille Exodi 33. verſ. 23. *Tollámque manum meam, & videbis poſteriora mea.* Quatenus enim hæc dictio propriè volam ſignificat, reddit D. Hieronymus, *tollam manum meam:* quatenus verò ad nubem ſignificandam transfertur, alij hoc loco pro manu *nubem* interpretantur, vt ſit ſenſus: *tollam nubem meam, & videbis poſteriora mea.* Nam locum etiam illum Threnorum 3. verſ. 41. *Leuemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cœlos:* quia pro *cum manibus*, in hebraico eſt על כפים AL CAPHAIM, aliqui interpretantur: *leuemus corda noſtra ad nubes ad Dominum in cœlos.* Quidam etiam verſum 22. præcedentem locum citatum Exodi, *cùm tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec tranſeam*, ſic exponunt, vt pro *dextera mea*, ponant *nube mea*, vt ſit ſenſus: *protegam te nube mea donec tranſeam.*

Cùm autem צנור SINOR propriè fiſtulam, ſiue canalem ſignificet, per 13
quam aqua è tecto eiicitur, transfertur aliquando in ſacro eloquio ad nubes ſignificandas, quia nubes videntur effundere aquas, ſicut fiſtulæ, & canales eas effundunt è tecto. Sic intelligendus eſt locus ille Pſal. 41. verſ. 8. *Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum*, vbi pro *cataractarum tuarum*, eſt in hebraico צנוריך SINORECA. Senſus itaque ad verbum eſt: *Abyſſus Abyſſum inuocat ad ſonitum fiſtularum, ſiue canalium tuorum*, id eſt, nubium tuarum, nempe ad ſonitum afflictionum & anguſtiarum, quæ veniunt ſupernè ſicut aquæ tectorum è fiſtulis. Hunc ſenſum ſecutus eſt Chaldæus Paraphraſtes, dum ait: *Abyſſus ſuperior abyſſum inferiorem inuocat in voce ſtillationum canalium tuorum.* Idem ſibi volunt Septuaginta, dum transferunt: *in voce cataractarum tuarum:* eſt enim cataracta nihil aliud quàm locus abruptus, & præceps in flumine, vnde aqua ruit potius quàm fluit. Dictę autem ſunt cataractæ à verbo καταράττω, ſiue καταράσσω, quod inter cætera ſignificat *cum impetu decido:* ſic etiam è nubibus cum impetu ſæpe decidit aqua.

NEBVLA.

Aqua, vapor, nubes, & nebula ita ſe habent, vt ex aqua ſecernatur vapor, 14
vapor concreſcat in nubem, nubes in aquam reſoluatur. Verùm quemadmodum in rerum viuentium nutricatione quædam alimenti partes in ipſam rei alitæ ſubſtantiam faceſſunt, aliæ inutiles, & excrementitiæ ſunt: ita & in nu-

AER.

be quædam partes in aquam mutantur, aliæ ad aquam gignendam inidoneæ, tanquam nubis recrementa poſt pluuiam remanent. Has primo lib. Meteor. cap.9. Ariſtoteles quaſi ſterilem nubem vocat,& nebulam terris incubantem, quam ſerenitatis futuræ ſignum eſſe vult. Aduerte etiam præter hanc nebulam aliam dari, cuius Ariſtoteles loco citato non meminit: interdum namque vapores craſſi è locis humentibus proximè efflantur, atque ob ſuam ſpiſſitudinem, & craſſitiem in ſublime efferri nequeunt, ſed vicinum terris aërē occupant, ac nebuloſam caliginem circumfundunt. Hæc nebula ſi Orientis ſolis præſentia extenuetur & euaneſcat, ſerenitatis ſignum eſt: ſi verò confeſtim aſcendat, & ad aërem frigidum euecta vnà cum vaporibus concreſcat, ſæpe in pluuiam vertitur; Nebula autem minoribus ac tenuioribus partibus, quàm aqua,nix,&glacies conſtat,atque ita magis diffunditur,& citius diſſoluitur: vnde Pſal. 147. *Qui dat*, inquit,*niuem ſicut lanam,& nebulam ſicut cinerem ſpargit.* Propter extenſionem,& aëris impedimentum diuinam maieſtatem ex ſe manifeſtam, mortalibus autem oculis inacceſſibilem indicat nebula; Quãobrem Deus in nebulam ſæpe deſcendiſſe, & veniſſe dicitur, vt 3. Reg. 7. Nebula impleuit domum, & non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam: impleuerat enim domum gloria Domini, & Dominus dixit vt habitaret in nebula. Res præterea quæ omnino deiici diſſiparíque poteſt,& euaneſcere,nebulæ ſimilitudine notatur,vt Iſaiæ 44. *Deleui*, inquit, *vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua.* Nebula quoque turbinibus agitata inutilem,& inconſtantem hominem apud D. Petrum ſignificat 2. Petri 2.

ROS.

15 Roris natura,eſt vapor exiguus & ſubtilis; Cauſa efficiens, remota, eſt eadem, quæ reliquarum impreſſionum, videlicet calor cœleſtis, vaporem euocans; Cauſa proxima efficiens eſt frigus ſerenæ noctis, quod temperatum vaporem in rorem cogit: ſi vehemens congelat in pruinam: Docet autem Ariſtoteles lib. 1.Meter. cap. 10. rorem in ima parte aëris generari, quia calor talem vaporem excitans, imbecillis eſt, qui ſi vehemens foret, eum altius euehèret, vel omnino abſumeret. Gignitur etiam cùm tranquillum eſt, & ſerenum tempus, quia turbato, & infeſto pluuiis ac ventis cœlo, concreſcere vapor non poteſt: vndè aqua mota difficulter gelu ſtringitur. Cur autem ros in humilioribus ferè locis, non in montibus fiat, cauſa eſt tum quia vapor ex quo gignitur, non niſi è locis cauis,& humidis exhalatur: Tum maximè quia venti, quibus editiora loca perflantur, vaporem diſtrahunt, atque adeò concretionem impediunt. Quoniam igitur ros moderatum calorem inquirit, vere & autumno maximè oritur, pruina verò potiſſimum hyeme, quia non niſi magno frigore concreſcit; ſolet autem ros, ſi opportunè obueniat, aruis non parum commodare: Nam terram madefacit irrigátque, & herbeſcentem ſegetum humiditatem euocat & nutrit: ſed alienis idem ortus temporibus plurimùm nocet,quia niſi excutiatur, ſubeunte poſtea ardore ſolis, in æruginem, & putredinem vertitur: vnde nonnunquam arborum vermiculatio exiſtit. Item cùm ros admodum viſcoſus eſt, nedum à ſole aliquid decoctionis obtinuit,

nuit,

nuit, si herbis insidens à pecoribus affatim ebibatur, ventris profluuio interimit; Ideóque pastoribus mos est, pecudes non antea ad pascua educere, quàm herbas nocturno madentes rore, solis præsentia affler. Ros autem in sacris literis beneficium magnum soli Deo acceptum referendum significat, vt Micheæ 5. *Et erunt reliquia Iacob in medio populorum quasi ros à Domino, & quasi stilla super herbam, qua non expectat virum, nec præstolatur filios hominum.* Item ros copiã multitudinémque significat maximam, vt 2. Reg. 17. *Et aperiamus eum sicut cadere solet ros super terram.* Benignitas etiam & gratia, secundarúmque rerum vsus roris nomine, & similitudine significatur, vt Prouerb. 19. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira; & sicut ros super herbam, sic & hilaritas eius.* Ros denique matutinus res fluxa, instabilis, & quæ citò perit esse dicitur, Oseæ 13. *Idcircò erunt quasi ros matutinus præteriens.*

P L V V I A.

Nubes autem irriguo quodam humôre scatentes, proxima sunt pluuiæ materia, cùm nihil aliud pluuia sit, quàm nubes in aquam solutæ. Est autem duplex quasi species pluuiæ: videlicet imber & nimbus; Imber dicitur cùm guttæ crebriores, & minutiores ob vaporis tenuitatem iugi tenore defluunt: nimbus cùm guttæ paulò grandiores cadunt, quod propter algoris vim accidit; nunc frigore aërem longè latéque occupante: nunc prævalido aëre in æstate nubis concretionem ambiente: Tunc enim æstus per antiphrasim frigiditatem fortiorem reddit, quæ plures partes fluidi liquoris, vel rorantis nubis addensat, & multas guttulas in vnum cogit, quod similiter absque antiperistasi præstat frigus brumæ tempore; putant autem aliqui pluuiam à pluralitate guttarum dictam, eo quòd interpolatè, & guttatim descendere consueuit, quæ etiam imber dicitur ab imbuendo, quòd terram imbuat, & fœcundam reddat. Est autem aqua pluuiæ talis naturæ, vt ad fluxum ventris restringendum sit accommodata; Quoniam subtilem habet substantiam & leuem: magis enim particeps est aëreæ leuitatis, quàm aliæ aquæ, facilè corrumpitur, quia facilè contrarias recipit qualitates; dulcedine autem, & sapore cætera aquarum genera superat, si absque mixtione, & pura maneat. Itaque pluuia si fuerit temperata, & tempori congrua, vtilissima est hominibus: cùm arbores, plantæ, & omnia germina eius aduentu delectentur & quasi rideant, quorum prouentus in maximum cedunt commodum hominum cæterorúmque animantium, quæ ad generis humani emolumentum condita sunt à Deo. Pluuiã verò, & viuificare, & recreare ex sacris literis discimus, vt Oseæ 6. *Veniet nobis quasi imber temporaneus, & serotinus terræ,* & Ezechiel. 34. *Deducam imbrem in tempore suo, & pluuiæ benedictionis erunt.* Rursum pluere abundantiam, & copiam maximam significat, vt Psal. 77. *Pluit super eos sicut puluerem carnes,* & Deut. 32. *Concrescat in pluuiam doctrina mea.* Item pluuiam hyemem synecdochicos interpretamur. vt Cant. 2. *Imber abiit, & recessit.* 16

Porrò in sacris literis sæpe duo pluuiarum genera memorantur: pluuia temporanea siue tempestiua, & pluuia serotina. Dicitur autem temporanea, quæ statim iacta semente decidit, & eam excitat, & prouehit atque fœcundat, quę hebraicè dicitur יורה IORE, siue מורה MORE à ירה IARA, quod est iacere. 17

AER.

Pluuia autem quæ ſerius deſcendit grandiori iam ſegete verno tempore, a ut ſub menſſem, vocatur מלקוש MALKOS, quam ſerotinam pluuiam, aut ſeram dicere poſſumus; Itaque temporanea, aut tempeſtiua eſt autumnalis, ſerotina verò eſt verna. Aliqui per hæc duo pluuiarum genera matutinam, & ſerotini temporis pluuiam intelligere videntur: ſed reuera ſic ſunt hæc accipienda, quemadmodum notauimus, vt varia ſcripturæ loca valeamus intelligere. Illud etiam obſeruandum eſt, vocem hebraicam מורה MORE duplicem habere ſignificationem: deſignat enim pluuiam & doctorem, quæ bis ponitur Ioël. 2. verſ. 23. & primo loco ſignificat doctorem, & ſecundo loco pluuiam: *Filij,* inquit, *Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum ſicut in principio;* vbi pro *doctore*, habes in hebraico מורה MORE, & pro *imbre matutino*, id eſt, autumnali, & temporaneo גשם מורה GESEM MORE: ſic autem locus hic, vtà Hieronymo redditur, eſt apertiſſimus: Quamquam non deſint qui illud quod Hieronymus transfert, *dedit vobis doctorem iuſtitiæ*, interpretentur *dedit vobis pluuiam propter iuſtitiam:* ſed reuera MORE primo loco doctorem, ſecundo pluuiam ſignificat: eſt enim ירה IARA proiicere & docere: ſicut enim hoc verbum ſignificat iacere lapidem, ſaggittam, aut aliam quamcunque rem vt pluuiam, ita metaphoricè ſignificat iacere ſuam voluntatem & doctrinam, quod eſt docere; eſt autem metaphora à guttis pluuiæ deducta, quarum more doctrina, & inſtitutio homines alioqui inſcios inſtruit & fœcundat, vt pluuia terram. Nam in illo loco Oſeæ 10. verſ. 12. *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ: innouate vobis nouale: tempus autem requirendi Dominum cùm venerit, qui docebit vos iuſtitiam:* Pro *docebit vos*, in hebraico habes ויורה VEIORE, ad verbum, *& iaciet*, id eſt, pluet iuſtitiam vobis. Habet pluuia alia nomina in ſacro eloquio: dicitur enim מטר MATAR: putant autem aliqui hanc vocem cognationem habere cum טרה TARA, quod eſt humectari, quia pluuia liquefacit, humectat, & diſſoluit dura. Vocatur etiam pluuia גשם GESEM; ſignificat vox iſta nimbum, pluuiam vehementem ſiue fortem; Quare aliqui גשם GESEM ad גרש GARAS referunt, quod eſt palpare, quaſi palpabilem pluuiam dicas ſua vehementia & copia: Dictio autem זרם ZEREM hebraica inundationem ſignificat, & profuſionem.

IRIS.

13 Meteora omnia pulchritudine vincit iris, quæ conſpicui arcus inflexione & tot colorum pictura omnium in ſe oculos conuertit, vnde illud Eccleſ. 3. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum, valde ſpacioſus eſt in decore ſuo, gyrauit cælum in circuitu gloriæ ſuæ, manus excelſi aperuerunt illum.* Hinc etiam Plato in Theæteto Iridem Thaumantis filiam propter admirationem cenſuit. Notandum verò eſt oportere nubem roridam eſſe, ac talem vt in aquam proximè ſolui poſſit, partimque tranſlucidam, nimirum externa facie qua nos reſpicit: ſic enim facilè iniectum lumen imbibit: partim opacam, videlicet à tergo, vt lumen repercutiat more ſpeculi, à quo imagines deſiliunt. Itaque hæc duo oportet concurrere, ſolem & nubem: ſolem, vt cauſam efficientem colluſtrationis, & luminis quod in nubem iacitur: nubem, vt cauſam materialem, &

receptricem eiusdem luminis, vnde Iris in hunc modum describi consueuit' Iris est arcus multicolor in nube rorida: opaca, & concaua, ex radiorum Solis oppositi reflexione apparens occulis spectantium. Præterea Iris non potest cadere in nostrum aspectum, nisi simus inter nubem qua Iris splendet, & Solem ipsum constituti, quia est nubes quasi speculum, à quo fit ad oculos reflexio. Cæterùm tres præcipui colores in Iride notantur, puniceus, viridis, & purpureus. Ex his coloribus qui nubem in tres veluti semicirculos distinguũt primus, id est, altissimum locum ad peripheriam obtinens, est puniceus, dicitúrque à quibusdam citrinus, quòd talis sit color mali citrei. Medius, id est, qui mediam nubem pingit, est viridis, qualis apparet in herbescente viriditate. Tertius infimam habens sedem, describénsque minorem circulum, est purpureus. Istius verò distinctionis ratio traditur ab auctoribus, nimirum radius lucis cum exigua opacitate efficit colorem puniceum, cum mediocri viridem, cum maiore purpureum. Diuinæ autem clementiæ certissimum monumentum, quoad mundi huius machina duratura est, in nubibus collocatum spectatur, quòd spem hominibus faciat, terram post antiquum illud diluuium non esse amplius aquis vastandam: dixit enim Deus Genes. 9. *Hoc est signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem quæ est vobiscum. In generationes perpetuas arcum meum ponam in nubibus cœli, & erit signum fœderis inter me, & inter terram, cúmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente quæ carnem vegetat.*

Caput VIII. DE AEREA REGIONE. GRANDO.

GRando, vt docet Aristoteles lib. 1. Metheor. cap. 12. ex pluuia in aëre conglaciata fit: generatur enim grando cum aqua pluuiæ, priusquàm terram pertingat, in gelu cogitur, quod duobus temporibus accidit, magno æstu & magno frigore. Tempore æstus eius materia remota, est spiratio magni caloris, vi & efficientia in sublime euecta, & in nubem paulò densiorem, & calidiorem concreta. Materia verò proxima, est imber in quem nubes soluitur. Proxima causa efficiens, est calor circumfusi aëris, per antiperistasin refrigerans aquam, totúmque calorem ab ea exprimens & extinguens, quò fit, vt grando horridior & durior sit cæteris impressionibus humidis, quæ in aëre fiunt: si autem grando existat, cùm omnia circumquaque algent, eius remota materia est expiratio, non tanto calore, nec in tam densam calidámque nubem coacta. Proxima verò efficiens causa, est frigus aëris ambientis congelantisue: Generatur autem grando tam in infima, quàm in media aëris regione, existentibus in huiusmodi locis causis prædictis. Plinius lib. 2. naturalis historiæ cap. 6. dicit, grandinem conglaciato imbre gigni. Aristoteles verò de mundo, grandinem fieri inquit ex niue volutim contorta. Seneca autem naturalium quæst. lib. 4. cap. 3. ait, grandinem nihil aliud esse, quàm suspensam glaciem. Ex supremis autem locis descendit grando rotunda & parua: causa autem huius rei, est mora eius longo tempore in ipso aëre: nam ex reuolutio- I

ne diuturna fit orbicularis, ex calore autem aeris, partes eius aqueas resoluente, decrescit eius quantitas: quod contrà fit quando grando in locis terræ vicinis producitur, contraria existente causa. Grando itaque magno impetu vento ipsam impellente, & calore dissoluente, terram petit & percutit, ac per eius superficiem ad modum salis dispersa, segetes, fructus, & flores admodum lædere solet, frequentiùs tamen per diem, quàm per noctem cadit: calor enim diuturnus huius rei causa est, quia impellit frigus ad interiora nubis. Deniq, ventus etiam septentrionalis aliquando, cùm sit frigidus ac siccus, rorem per aerem descendentem congelat, & constringens se in substantiam grandinis, condensat atque conuertit.

2 Grando autem nulli rei commoda, sed omnibus incommoda, tantùm in sacris literis diuinæ in improbos animaduersioni inseruire videtur: Quandoquidem satis, plantis, pecudibus, atque hominibus ipsis nocere deprehenditur: Quamobrem Dei aduersus peccatores iram testatur, vt Exod. 9. *Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere eum: En pluuiam cras, in ipsa hora grandinem multùm nimis*, &c. & psalm. 17. *Intonuit de cœlo Dominus, grando & carbones ignis*, & Isai. 27. *Ecce validus & fortis Dominus sicut impetus grandinis, & subuertit grando spem mendacij* & Apocal. 16. *Grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines.* Hæc omnia calamitatem hominibus ob culpas illatam significant. Grandinem autem per hanc dictionem ברד BARAD significari satis omnibus notum est, qui linguam hebraicam norunt, Isaiæ tamen 32. vers. 19. vbi legimus: *Grando autem in descensione saltus, & humilitate humiliabitur ciuitas*, dictio hæc, & nominis vicem, & verbi habere potest: quidam enim ברד BARAD non *grandinem*, sed *grandinabit* exponunt in hunc modum: *Et grandinabit in descensu syluæ*, Hieronymus verò *grandinem* trāstulit, quem etiam retulit Chaldæus Paraphrastes, dicens: *& descendet grando*, sicut quando descendit in syluam, vt interficiat castra populorum, ac destruantur & consumantur habitatores earum, quod significat Hieronymus cùm dicit: *humilitate humiliabitur ciuitas.* Dicitur autem grando BARAD à separatione & sparsione, vt quidam volunt, quòd sparsim cadat, vel quòd separet ea quæ tangit. Hinc Zachariæ 6. vers. 3. סוסים ברודים SVSIM BERVDIM dicuntur equi varij, id est, aspersi maculis grandinis, erant enim maculis candidis aspersi: sicque intelligendus est locus ille Gen. 31. vers. 12. *Leua oculos tuos, & vide omnes masculos ascendentes super fœminas, varios maculosos, atque respersos*, in hebraico enim est ברודים BERVDIM, id est, maculis, instar grandinis respersos,

NIX.

3 Niuem aquarum cœlestium spumam vocat Plinius lib. 17. naturalis historiæ cap. 2. est autem impressio genita ex vapore frigido & humido, congelato in corpus nubis, à mediocri frigore propter admixtionem caliditatis, quæ inclusa in eius substantia, & non statim superata frigore circumstante rarefacit eius substantiam, & mollem reddit, recepto candido colore. Ex victoria frigoris, & propter expansionem & dispersionem partium nubis debilitato frigore à calore frangitur nix in partes latas, ad similitudinem fractæ testæ ob debilem frangentis vim. Itaque nix durior est, & siccior aqua ex frigore

constrin

REGIO AEREA.

constringente: mollior tamen grandine ex admixtione caloris in ventre nubis: fit autem candida ex frigiditate in eius superficie vrgente, paruo autem calore nix in aquam resoluitur, amisso facillimè candore atque duritie. Si autem diu nix super terram manserit, humus fœcundatur: sic enim frigiditate poros terræ claudit, & reuocato calore ad interiora radicum & seminum, fit humorum interiorum attractio ad radices, & eorum commistio, ex quo terra impinguatur. Rarò autem in ipsum mare nix descendit, quia maris vapores continuè vel exhalantur, vel à ventis ibidem flantibus disperguntur, vel antequam possint condensari in niuem, resoluuntur in pluuiam & nebulam: Diutiùs autem in montibus manet quàm in vallibus, venti enim frigidi liberiùs in montibus quàm in vallibus inualescunt. Sunt præterea valles montibus calidiores, propter maiorem aggregationem, & confractionem radiorum, & ideò maior in montibus est niuis copia. Denique ob suæ substantiæ mollitiem & leuitatem, nix quando descendit neque strepitum, neque sonitum edit, sed suauiter superficiei terræ se accommodat & iungit.

Si autem nix terræ opportunè immittatur, teste scriptura vtilis est, iuxta illud Isaiæ 55. *Quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & germinare facit eam.* Dies autem niuis in sacris literis hyemem designat, vt 1. Paralip. 11. *Et ipse descendit, & interfecit leonem in media cysterna in tempore niuis.* Præterea candoris similitudinem extremam, & puritatis significationem habet, vt Iob 9. *si lotus fuero quasi aquis niuis* & psalm. 50. *super niuem dealbabor.* & Threnor. 4. *Candidiores Nazaræi eius niue.* Lepræ etiam manifestæ albedinem & notam nix indicat, vt Exodi 4. Moyses protulit manum leprosam instar niuis, & Numer. 12. Maria conspecta est candenti lepra, vt nix. 4. quoque Reg. 15. Giezi ingressus est quasi nix leprosus. Niuis etiam vsus in æstu refrigerium magnum & consolationem affert, iuxta illud Prouerb. 25. *Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus adueniens ei qui misit illum.* At verò nix in æstate demissa importunam rem significat, vt Prouerb. 26. *Quomodo nix in æstate, & pluuia in messe, sic indecens est stulto gloria.* 4

Candor autem maximè niui conuenire videtur, cùm id quod psalm. 67. vers. 15. legimus תשלג THASLECH, id est, *ninguit*, ad verbum tam Septuaginta, quàm Beatus Hieronymus per dealbare niue transferunt: sic enim habent Septuaginta: *Dum discernit cœlestis reges super eam niue dealbabuntur.* & Hieronymus: *Niue dealbata est in Selmon*, nempe Ecclesia. Sed est hîc notandum, posse vocem סלמון SELMON significare tenebras, & tunc sensus esset, *Sicut nix albescit in tenebris*, nempe cùm constituerit omnipotens reges super eam, id est, Ecclesiam: quem sensum reddere videtur Chaldæus Paraphrastes, sic locum hunc exponens *Quando extendit manus suas in oratione (supple Moyses) Omnipotens prostrauit regna propter eam (nempe Ecclesiam) tunc gehenna fuit sicut nix, eripuit eam de vmbra mortis*, id est, de tenebris, de caligine. Videtur Chaldæus Paraphrastes pro סלמון SALMON legisse צלמות SALMAVECH, vel ad id allusisse quod vmbra mortis significat, & caliginem: צל SAL enim vmbram significat, מות MAVET mortem. Est ergo sensus: *quando constituit reges super Ecclesiam, & aliorum prostrauit regna, eam à tenebris liberauit, & splenduit, factáque est*

alba

REGIO AEREA.

alba sicut nix. Ideò autem gehenna niui comparatur, quia tenebræ, & tribulationum incendia conuersa sunt in lucem, & in niuis refrigerium.

GELV.

Gelu autem nihil aliud est, quàm aquæ concretio ex frigore: aliquando verò pro frigore ponitur, quod enim frigidum est, gelidum dicimus; quæcunque autem aqua concreta gelu dicitur glacies. Dicitur autem pruina ea quæ ex rore gelido nascitur, nec fit nisi immoto aere & sereno, ros enim descendens ad terram frigiditate noctis speciem albam, duram, & frigidam recipit & sic in pruinæ substantiam vertitur. Itaque pruinæ accidit durities ex frigore loci, & temporis in quo generatur: frigus enim vaporis partes aggregat, & contrahit sicque pruinæ substantiam duram reddit, ex nimia etiam frigiditate albescit, atque herbas & flores marcescit, & exurit: dicitur enim pruina à perurendo, quòd fruges & virgulta perurat: ad exiguum verò solis radium euanescit, & in rorem redit. In frigidarum autem naturarum genere, gelu & glacies duriora sunt, quàm nix, minus autem candentia, ex eadem tamen materia: de qua illud Iob 37. *De cuius vtero egressa est glacies, & niui quis est pater.*. Euanescentis autem prosperitatis negotij, rei, aut consilij, imaginem refert glacies, iuxta illud Sap. 16. *Ingrati enim fides, tanquàm hybernalis glacies tabescet*, & Eccle. 3. *Sicut in sereno glacies dissoluentur peccata.* Vocatur autem gelu, siue glacies voce hebraica קרח KERACH, quod plantas decaluet, & lugere faciat: est enim קרח KARACH decaluare, depilare: de cuius generatione sic Iob 37. *Scriptum est flante Deo concrescit gelu, & rursum latissima funduntur aquæ*, vbi ad verbum est מנשמת MINISMATH à flatu, id est propter flatum Dei, quasi dicat propter flatum vehementem (sic enim montes Dei in sacris literis dicuntur magni) cócrescit gelu. Hunc sensum sunt secuti Septuaginta sic interpretantes: *A vento fortis dabit glaciem, gubernat autem aquam sicut voluerit.* Alij à flatu Dei interpretantur, à voluntate Dei, iussu Dei, id est, flante Deo, vt transfert D. Hieronymus, ac si dicat, ordine voluntatis Dei ventum concitante, atque immittente ipso Deo. Hunc etiam sensum reddit Chaldæus Paraphrastes, dicens: *A verbo Dei dabitur gelu, & delatio aquarum in infusionem*, quasi dicat, eadē voluntate Dei postquàm ros, vel stillæ nocturnæ, aut aquæ fuerint congelatæ, & in glaciem conuersæ diducuntur, vel liquefiunt, & dissoluuntur, & ita emanant defluentes aquæ, & effusæ quàm copiosissimæ.

CRYSTALLVM.

Plinius libro 37. naturalis historiæ cap. 2. affirmat, perfrigidis regionibus concrescere aliquando niues in crystallum, ideò nec crystallum reperiri, nisi vbi maximæ hybernæ niues rigent. Itaque ait crystallum esse glaciem, vnde & nomen græci dedere. Dicitur autem à voce græca κρύος, id est, glacies, & στέλλω, id est, contraho, quod ex glacie frigoris vehementer obdurescat in lapidem. Gigni enim ita crystallum confirmat præsens experientia, cùm hoc etiā tempore à præaltis, & frigidissimis rupibus, vt è Persinianis quæ in extremis sunt, Noricis euellatur: sed intra terram in venis, tam metallicis, quàm propriis, vt alios pretiosos lapides, crystallum inueniri constat, de quo psal. 147. *Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris eius quis sustinebit*, in hebraico

braico est חשליך קרחו Thaslic karcho, ad verbum, *mittit glaciem suam siue gelu suum*: id enim significat קרח Kerach, ideò transfert D. Hieronymus: *proiecit glaciem suam quasi buccellas*, & Chaldæus Paraphrastes: *proiecit glaciem suam densatam sicut buccellas*. Hoc manifestè constat in pruina, cùm ros in gelu, & glaciem conuertitur.

TONITRVVM.

Celebris fuit opinio Empedoclis, & Anaxagoræ, existimantium toni- 7
truum fieri extinctione ignis nubibus intercepti: quemadmodum candente ferro in aquam demerso, fumidus vortex voluitur, sonitúsque auditur: sed iuxta Aristotelis doctrinam, cùm sicca & calida expiratio in nubem magnam & lateribus crassam includitur, accidit, vt per nubis cauitatem huc illuc diffugiat, & vel motu, vel antiperistasi, vel ab vtraque causa simul, incalescat, & rarefiat, proindéque ampliorem locum poscat. Tum verò dum nubes magis magisque frigore coarctatur, spiritus incitato spiritu fugam quærens, ictu vehementi in nubem impingit, eámque disrumpit, sicque ingens sonitus existit, quem tonitruum vocant; non est tamen necessarium accendi, sempérque ignescere exhalationem ad tonitruum, cùm ad sonum edendum sufficiat ictus vehemens in corpore idoneo, qui ictus sine conflagratione dari potest, vel eo argumento quòd non quoties nubes intonuere, fulgetræ appareant, aut igneę nubium rimæ coruscent. Sciendum etiam, posse absque exhalationum eruptione & conflictu, magna inter se nubium collisione tonitruum effici, quod Lucretio libro 6. & Senecæ libro 2. natu. quæst. cap. 17. placet: si enim nubes cùm à spiritu disrumpuntur, sonum excitant, cur non idem inter se magno impetu collisæ & fractæ efficiant? Asclepiodorus verò referente Seneca lib. 2. naturalium quæst. cap. 30. arbitratus est etiam absque nube quorundam corporum concursu posse edi tonitruum, qualia aliquando audita fuêre, cùm mons Ethna ingentem adustæ arenæ copiam eructauit: non enim verisimile est, in eo tractu ita aëre eferuescente vllas tunc fuisse nubes, sed duntaxat oblectante, & magno impetu effundente è terræ cauernis spiritu, sulphureáque materia aërem corripuisse.

Tonitrua autem motu suo omnia concutiunt, hominis cerebrum com- 8
mouent, terrent eius animum: vinum etiam in doliis contentum perturbant, & vitiāt. Sunt etiam causa abortus, si erumpant cùm mulieres sunt partui vicinæ. Concutiunt sæpe turres altas, & suo impetu deiiciunt, arbores etiā sublimes radicitùs diruunt & euellunt: edunt etiam sonum anfractuosum, & orbicularem: aërem autem quodam inæquali susurrio concutiunt, ita vt similitudinem strepitus rotæ exprimere videantur: motus autem circularis fortè accidit ex rotunditate nubium, in quibus vapor siue ventus, qui causa est tonitrui, dissimiliter agitatur, quòd sursùm & deorsùm, ante & retrò per nubium concauitatem commoueatur. Propriè voce hebraica רעם Raam tonitruum significat & strepitum: neque tantùm designat corporis commotionem, sed transfertur etiam aliquando ad eam quæ in animo reperitur, nempe fremitum, & indignationem, quæ extrema commotione apparet non absimili tonitruo. Ezech. autem 27. vers. 35. vbi legimus: *Vniuersi habitatores insularum*

REGIO AEREA.

obſtupuerunt ſuper te, & reges earum omnes tempeſtate percuſſi mutauerunt vultus. Pro *mutauerunt vultus*, in hebraico eſt רעמו פנים R A A M V P A N I M, ad verbum eſt, *intonuerunt vultum*, id eſt, indignati ſunt, irati ſunt, id eſt, prætulerunt indignationem, & iram. Itaque tonitruum ad animi commotionem transfertur, & ideò Septuaginta interpretes tranſtulerunt; *& fleuit facies eorum.*

Sumitur autem propriè vox iſta pſal. 8. verſ. 8. *In tribulatione*, inquit, *inuoca-*
9 *ſti me, & exaudiui te in abſcondito tempeſtatis*: nam pro tempeſtate dictio hebraica
eſt רעם R A A M *tonitru*. Vocant autem Septuaginta interpretes tempeſtatem eam, quæ ex tonitruorum, & fulgurum eruptione contingit: quem ſenſum apertè reddit D. Hieronymus, cùm ait: *Exaudiui te in abſcondito tonitrui*, quem quoque confirmat Chaldæus Paraphraſtes: *in tempore*, inquit, *tribulationis Ægipti inuocaſti, & liberaui te: reſpondi tibi in loco abſcondito domus maieſtatis meæ, perſonantibus coram me rotis igneis*, id eſt, tonitruis quæ fulguribus commixta ſtrepitum ad modum rotarum edunt. Eſt itaque ſenſus: *In tribulatione inuocaſti me, & exaudiui te in abſcondito tempeſtatis*, id eſt, ego abſconditus in mea maieſtate tempore tempeſtatis fulgurum & tonitruorum exaudiui te. Ex ambiguitate autem vocis hebraicæ רע R E A, quæ præter amicitiam, ſignificat etiam vociferationem & clamorem, & proinde tonitruum, iuxta duplicem ſenſum explicatur quod legimus Iob 30. verſ. 33. Primus ſenſus eſt, quem ſic reddit D. Hieronymus: *Annuntiat de ea amico ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere, enuntiat de ea*, id eſt, de pluuia: de ea enim loquitur Iob præcedentibus verſibus, רעו R E O, *amico ſuo, ſiue ſocio ſuo, quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere*, id eſt, ad poſſidendas fruges reconditas tempore ſterilitatis ab auaris, & cupidis negociatoribus; qui enim tempore ſterilitatis fruges recondunt, adueniente pluuia ſolent horrea aperire, & vili pretio fruges vendere, fiuntque pauperes huiuſmodi poſſeſſores. Alter ſenſus eſt: *annuntiat de ea*, id eſt, de pluuia, vociferatio, ſiue tonitruum: tā enim רע R E A, quàm תרועה T H I R V A tonitruum ſignificat (tonitruum enim prænuntium pluuiæ eſſe ſolet) *quod poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere*, quaſi dicat, tonitruum omnibus prænuntiat futuram pluuiam poſſeſſuros & conſecuturos.

F V L G V R.

10 De ortu fulguris diuerſæ extiterunt Philoſophorum ſententiæ, quas commemorat Ariſtoteles 2. Metheor. cap. vltimo. Anaxagoras exiſtimauit fulgura eſſe ignem, qui ex æthere diſtillat: Euripides eſſe ignem radiis ſolaribus accenſum: ſed vera ſententia eſt Ariſtotelis, qui ait fulgura non eſſe aliud, quàm exhalationem in nube accenſam, & igneo colore tinctam: quæ accenſio potiſſimum, fit vehementi ſpiritus ad nubes colliſione: non ſemper autem hæc deflagratio contingit, quia non ſemper materia ad ardorem conſpiciendum idonea eſt; Quare nec ſemper ante tonitru nubes fulgurant. Quoniam verò colliſione ac motu exhalatio inardeſcit, & fulgetrum exhibet, tonitru, quod per motum editur, prius tempore eſt, quàm fulgur, & tamen fulgur prius conſpicitur, quàm tonitruum audiatur. Cauſam reddit Ariſtoteles, quia aſpectus auditum anteuertit, vt in remigatione patet, in qua dum remi aquam feriunt, & ex ea tolluntur, poſterior remigatio cernitur, antequàm prioris ſonitus

nitus

nitus ad auditum perueniat, vid licet cùm imaginum visibilium traiectio in momentanea sit proposita re spectabili, non eget oculus mora temporis ad rem conspiciendam audibiles verò species nonnisi tempore ad aures perferuntur proindéque necessariò aliqua mora interiici debet, antequàm sonus percipiatur. Itaque cùm fulgur incenso aëre fiat, ignémque referat velocissimum, qui non ante caueri, aut præuideri possit, quàm editus fuerit, velocitatis & in expedienda re improuisæ festinationis, atque diuinæ cuiusdam, eiusdémque præstantissimæ, ac omnino irrefragabilis virtutis significationes, ex fulgurum imagine sumuntur in sacro eloquio. Hinc ergo est quod diuinæ præsentiæ, & virtutis argumento legimus Exod. 9. *Dominus dedit tonitrua, & grandinem, & discurrentia fulgura super terram* & Exod. 19. *Ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura*, Præterea vltio præsentissima, acerrima, & insuperabilis, fulguris mentione indicatur in sacris literis: sic Deuteron. 23. *si acuero vt fulgur gladium meum*, & Ezech. 1. *splendor ignis, & de igne fulgur*, & Daniel. 10. *facies eius velut species fulguris*, & Zachariæ 9. *exibit vt fulgur iaculum*, sic Apoc. 16. *facta sunt fulgura & voces*. & Abacuch 3. *in splendore fulgurantis hastæ tuæ*. Propter celeritatem autem nimiam dictum est Lucæ 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*. Aliquando rei efficacitatem manifestam, & omnibus conspicuam maximè arcana ratione indicat fulgur, vt Matth. 24. *sicut fulgur exijt ab oriente, & paret vsque ad occidentem*, & Lucæ 17. *sicut fulgur coruscans de sub cœlo in ea quæ sub cœlo sunt, fulget*.

FVLMEN.

Fulmen autem est exhalatio ignita, è nube magno impetu excussa. Dicitur Exhalatio ignita, siue ignis in exhalatione accensus: ignem enim esse fulmen docet Aristoteles lib. 3. Meteor. cap. 1. Neque est lapis igne delatus, vt vulgus putat, alioqui non esset tam subtile, nec posset corpora traiicere, quod sæpe facit, cùm forma lapidis in tanta tenuitate seruari nequeat, tametsi non sit negandum, posse exhalationes intra nubem concrescere in lapidem, qui vnà cùm fulmine tanquam bombardæ globus trudatur, quemadmodum aliquando exhalationes in metalla addensantur, vt aduertit M. Albertus lib. 3. tract. 3. cap. 23. & Georgius Agricola lib. 4. de rerum subterranearum ortu. Itaque & fulmina, quæ non penetrant, sed terebrant & diffidunt, sæpenumerò lapidem vehunt: quem cuneum vocant. Inceditur verò talis exhalatio, quæ admodum sicca esse debet, vel per motum, vel antiperistasin; & quia accensa rarefit, magnoque conatu exitum è nube frigida & densa, ac diu reluctanti quærit, dum eam tandem rumpit horrendum edit tonitruum: quòd si nubem per inferiorem partem, quam tunc tenuiorem inuenit, frangat, eadem vi, ac impetu quo eam scindit, ad terram fertur. Fulminum autem auctorem Iouem constituebant Gentiles: Nam Iupiter fulminator dictus est à latinis, teste Apuleio, κεραύνιον Græci eum appellauerunt: sic verò dictus vt ait Pausanias post Oenomai domum fulminatam. Eadem etiam causa cognominatus est ἀργικέραυνος, quasi dicas coruscans fulmine, vt est apud Orpheum, & Pindarum in Olympiis. Alicubi etiam dictus est ἀρχικέραυνος, fulminum princeps: sed & ἐγχικέραυνος Ζεὺς nuncupatus est, quòd videlicet pro hasta fulmine vti diceretur: 11

τερπικεραύνος cognominatus est, quòd fulmine scilicet gauderet, vnde est illud Cylij carmen,

Perstringit, penetrat omnia fulmen adactum,
Iupiter hic nomen τερπικεραύνος habet.

Fulguratorem quidam ex Latinis etiam dixêre Iouem. Illud etiam ab Appiano in Syriaco proditum, cùm à Seleuco Seleucia vrbs conderetur, quæ ad mare vergeret, fulgure ictam fuisse, fulgúrque ipsum Deum creditum, solitósque mortales choreas ducere, ipsúmque fulgur hymnis & canticis prosequi quoties cœlum fulgeret.

12 Fulmen autem famam rerum gestarum præsefert, quare Ægyptij gloriæ amplitudinem ostendere volentes, vocem quippe aëris, vt ipsi dicunt, tonitruum scilicet, hoc est, ipsius fulminis imaginem describebant: nihil enim magis, nihil validius, nec terribilius tonitruo sonare constat. Eaque de causa Appelles pictor, cùm Alexandri effigiem pingeret, fulmen in eius manu posuit, quo nominis eius amplitudinem, ex rebus ab eo gestis, longè latéque propagatam indicaret. Posita autem ea tabula vt Plinius ait, in templo Dianæ Ephesiæ, 20. talentis auri depicta, eo verò artificio fuit, vt digiti eminere viderentur, fulmen extra tabulam esse. Præterea Alexandro fulmen meritò attributum ea de causa, quòd annos vix tres & triginta natus celeritate mira orientales ferè nationes subegerat, & oceanum ipsum enauigauerat, vt non immeritò Cæsar, qui pari saltem animo ad eam amplitudinem rerum aspirauerat, cùm Gades venisset, animaduersa apud Herculis templum magni Alexandri imagine ingemuerit, atque, vt Tranquillus ait, pertæsus sit ignauiam suam, quòd nihil tum à se memorabile actum esset in ea ætate, qua Alexander iam orbem terrarum subegisset. Est etiam fulmen ante omnia velocissimæ celeritatis indicium, quam Poëtæ cùm volunt exprimere, dicunt: *fulminis ocior alis.* Idem ex antiquorum nummis est manifestum, vt in eo, cuius inscriptio est, Q. PHILIPVS, equus habetur in pernicem cursum admissus cauda exporrecta, fulmine subsequente, lancea protensa: quo innuere videtur prouinciam susceptam summa celeritate peragratam, negotiúmque quàm ocyssimè confectum: Nam Ptolomæus vnus ex Ægypti regibus promptitudinis, & audaciæ causa κεραυνός appellatus, ait Pausanias. Facit huic rei fidem nummus alius, in quo caput humanum est capræ coopertum spolio, sub cuius iugulo fulmen est, & arcus ab occipitio: ab altera verò parte Pegasus cum sagitta subiacente, omnia, vti palàm est, velocitatis indicia: cùm præsertim inscriptio sit, L. PAPI. de quo quidem Papyrio, qui ob mirificam in rebus agendis festinationem, & celeritatem, cursoris cognomentum meruit, multa rerum scriptores memoriæ prodiderunt. Equorum verò celeritatem in curruli certamine fulguri comparat Hesiodus. De claris autem eloquentiæ viris, vt de Pericle, & aliis, reperimus apud antiquos, eos ciere tonitrua, & fulgura dispergere solitos, cùm orarent, tanta erat animorum perculsio, & in dicentium sententia motus, tanta verborum auctoritas.

13 Fulgur autem differt à fulmine, teste Seneca lib. 2. naturalium quæstionum quod fulmen dicitur, cùm ignis emittitur, fulgur autem, cùm ignis tantùm osten

ostenditur; vnde domum fulmine accensam dicimus non fulgure: Est enim fulgur nihil aliud, quàm splendor ipsius fulminis: fulmen autem ipsum telum; vtrumque tamen ignem esse constat: Illud tamen interest, quòd fulgur tantum virium non habet, vt ad terram possit deferri: confunduntur tamen hæc nomina tam in sacris literis, quàm in prophanis, & alterum pro altero sumitur; quare apud Hebræos tam fulgur quàm fulmen vna eadémque voce significantur, nempe ברק BARAK: verbum enim ברק BARAK fulgurare significat & coruscare: sic Deuteron. 32. vers. 41. *Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea:* Cuius loci duplicem accipe sensum: alterum quem hausit D. Hieronymus, & Septuaginta interpretes expresserunt, pro BARAK fulgur interpretantes, quod idem facit Chaldæus Paraphrastes: sed dictionem שנותי SANOTHI, quam, *acuero*, alij transtulerunt, longè aliter ipse accipit: Nam cùm שנן SANAN sit acuere, & שנה SINA iterare & duplicare, sequutus hanc postremam significationem Chaldæus, ait: *Si in duplum plus quàm fulgur apparet à summitate cœli vsque ad summũ eius reuelabitur gladius meus, & apprehendet iudicium manus mea:* sed quoniam vox prædicta BARAK transfertur etiam ad significandum ferrum lanceæ, siue aciem gladij, aut ensis laminam quòd fulguris habeat speciem, hinc alter promanat huius loci sensus, nempe: *Si acuero laminam, siue aciem gladij mei, & arripuerit iudicium manus mea.*

Significat quoque בזק BAZAK fulgur & coruscationem, quòd si hæc vox deducatur à בזק BAZAK, quod est dispergere, designat splendorem illum ignis, qui fit ex ore fornacis. Quare præter sensum illum quem reddit D. Hieronymus Ezechiel. 1. vers. 14. cùm ait: *Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis*, quem etiam reddunt Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes. Hunc etiam alium sensum ex significatione aspersionis patitur hebraica litera, nempe: *Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem dispergentis*, id est, eius qui dispergit, sarmenta olearum in fornacem, quæ illa dispersionē citò inflammantur, vel potius eius qui dispergit fæcem, & alia quæ ex oliuis expresso oleo reliqua sunt in eundem fornacem, vbi citò inflammata emittunt sursum flammam, ibi enim videntur flammæ ascendere atque descendere, vt propterea dicat: *ibant, & reuertebantur*, nempe in similitudinem splendoris huiusmodi, cuius flammæ ascendere, & descendere conspiciuntur in ore fornacis. Præterea ipsa fulgura, quòd conspiciantur quàm citissimè, dicuntur in sacris literis חזיז CHAZIZ, à verbo חזה CHAZA, quod videre significat, propterea quòd statim splendor fulminis, & fulguris conspicitur antequam audiatur tonitruum, quamuis tonitruum, & fulgur simul existant; Quare Iob 28. vers. 26. vbi legimus: *Quando ponebat pluuiis legem, & viam procellis sonantibus*, pro illa voce *procellis*, in hebraico est dictio חזיז CHAZIZ; intelligit autem Hieronymus per *procellas sonantes*, fulgura cum tonitruis apparentia; Quare Chaldæus Paraphrastes transfert: *& iter fulguribus, quæ concurrunt cum sonitu.* Idem etiam voluerunt significare Septuaginta, dum exponunt: *& viam in concussione vocis*, id est, concussione tonitrui, quæ non est sine fulgure. Est ergo sensus: *Quando ponebat pluuiis legem, & viam fulguri, & coruscationi*

REGIO AEREA.

ipſorum tonitruorum. Porrò nomine ſagittarum fulgura, ſiue fulmina intellige Pſalm. 76. vbi ſcriptum eſt: *Multitudo ſonitus aquarum vocem dederunt nubes: etenim ſaggittæ tuæ tranſeunt.* D. Hieronymus vocem hebraicam חִצֶּיךָ CHASASEC, *ſagittas tuas*, transfert, ſicut Septuaginta; eſt autem notandum חץ CHAS ſagittam ſignificare, & חצים CHISIM in plurali, ſed חצצים CHASASIM ſignificare fulgura, & etiam lapides grandinis: eſt enim חצץ CHASAS dimidiari, per medium diuidi: ſic etiam dicta fulgura, quòd res obiectas, vt turres, & alia per medium diuidant: lapides etiam grandinis herbas concidunt, ſignificantur ergo fulgura per ſagittas: Nam ipſa fulgura iacula quædam ſunt, & ſagittæ à Deo immiſſæ: Quod magis explicans Chaldæus Paraphraſtes, ſic interpretatur: *Sed & ſpicula ſagittarum tuarum diſcurrebant, & accendebantur.* Confirmant autem hunc ſenſum non ſolùm verba illa præcedentia: *Multitudo ſonitus aquarum vocem dederunt nubes*, ſed etiam ſequentia: *Vox tonitrui tui in rota.*

Caput IX. DE SVBSTANTIA AQVEA.

1 NAturaliter inſtitutum videmus, vt cùm corpora omnia compoſita ſint ex quatuor elementis, ſeminis tamen cuiuſlibet è quo illa conflantur, potiſſimam partem ſibi humor vendicet, & aqua depoſcat: Ita vt Philoſophi magni, Thales, & Empedocles, priſcíque multi dixerint aquam rerum cunctarum principium: neque enim mente poterant concipere materiam forma omni nudatam, quæ cunctis corporibus eſſet communis, neque formam ſciebant abſtrahere à materia, quod Plato fecit, cum poſtea ſequutus Ariſtoteles, qui plus alimenti eſſe aquis, quàm cæteris elementis ſcripſit, vt iure ſua poëmata ſummus ille Pindarus inceperit eo verſiculo, *ἄριστον μὲν ὕδωρ optimum quidem aqua.* Haud temerè hoc Deus prouidit, cui mens erat aquis addere incredibilem vim, qua verbis adiunctis poſſet homines à ſceleribus expiare, & ex hominibus Dei filios efficere. Iam verò variis aquarum generibus tanta vis eſt inſita naturaliter ad morbos tollendos, & ad mirabilia efficienda, vt Plinius latè illarum effectus maximos recenſens, toto cap. 3. lib. 31. naturalis hiſtoriæ de iis ſcribit. Eſt autem elementum aquæ frigidum & humidum, fluidum & perſpicuum, aptum ad nutriendas plantas, & ad potum animalium, ad ſordes abluendas, & ad alia innumera, ſuntq; aquæ aliæ maris, aliæ pluuiæ, aliæ fluminum, fontium, puteorum, & ſtagnorum. Aquæ autem encomium tale affert D. Ambroſius ſuper Lucam cap. 22. *De aqua*, inquit, *quid loquar? ſuper aquam ante ipſos mundi natales ſanctus (vt legis) Spiritus ferebatur, ô aqua quæ Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti, quæ lauas omnia, nec lauaris. Tu incipis prima, tu comples perfecta myſteria: per te fœtor tabidæ carnis aboletur.* hæc Ambroſius. Porrò aquæ alibi calidæ ſunt, alibi frigidæ, alibi tepidæ, & penè omnibus morborum generibus auxiliantur: alibi denique ſulphuris, alibi ferri, aluminis, ſalis, nitri, bituminis, æris, alibi acidæ, alibi ſalſæ, & cunctæ hominum cauſa videntur erupiſſe. Neptunum verò, tanquam aquarum Deum, celebrat antiquitas; græcè *ποσειδῶν* dictum quidam arbitrati ſunt, *ἀπὸ τῦ πότις*, id eſt, potione, quòd

Neptunus

Neptunus symbolum gereret aquæ, quæ mortalibus prima potio fuit, vel vt alij volunt quasi *ποιον ειδειν*, quos nos latinè dicimus facientem imaginem, illa videlicet ratione, quòd solum elementum aquæ imaginis in se formet spectantium, quod nulli alij ex quatuor competit elementis. Tridentem verò ob hanc rem ei depingunt, fortè quòd aquarum natura triplici virtute fungatur, id est, liquida, fœcunda, potabili, vel quòd triplicem habeat potestatem tollendi æquoris, & placandi & seruandi: sed alij ideò hoc factum esse maluerunt, quòd dulcibus, salsis, & mediocribus aquis, quales sunt lacunares imperet.

Præter piscium autem, & reptilium genus, cæteris animantibus omnibus 2
ad habitandum, & manendum inutilis adeò aqua est, vt interitum etiam afferat, ac maximè quidem hominibus, deinde aliis omnibus, quæcunque respiratione vitam fouent, vt Genes. 6. *Ego adducam aquas diluuij super terram, & interficiam omnem carnem in qua spiritus vitæ est subter cælum, & vniuersa quæ in terra sunt, consumentur*, & Genes. 7. *Consumptáque est omnis caro, quæ mouebatur super terram volucrum animantium, &c.* Est tamen aqua locus multo ac vario animantium generi alendo atque fouendo idoneus, quorum omnium commune nomen reptile est. Est autem aqua grauiorum, & densorum impatiens: Facilè etiam huiusmodi naturis diffissa cedit nisi arte, aut industria aliqua ad eum vsum res aptentur. Hinc Exod. 15. *Descenderunt in profundum quasi lapis, & operuit eos mare, & submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* Miraculi autem loco habendum, cùm huiusmodi corpora solida & densa, quæ parum caloris ac raritatis in se habeant, in aquis iniecta supernatauerint, vt in securis ferro, quod Eliseus comiti restituit ostensum est 4. Reg. 6. Creata autem alias aqua magnas ad hominum vsus vtilitates & commoda, quæ diligentia, arte, & industria percipere licet: primùm quòd piscium multiplicia genera cibis idonea vario sapore ad delitias vsque nullo sumptu, nulla cultura, nullo præterquã capiendo labore suppeditat. Hinc Genes. 5. *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*; & Deuteron. 19. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, & hæc comedetis ex omnibus quæ mouentur in aquis.* Denique aquarum vsu, & diuini spiritus efficientia, fœlicia quædam, & salutaria significantur, vt refrigeratio, & recreatio fessorum atque afflictorum, vt Isaiæ 32. *Et erit vir sicut qui absconditur à vento, & sicut riui aquarum in siti.* Adde his puram suauem, & efficientem doctrinam, quæ simul animos erudiat, & recreet Spiritus sancti virtute, designari, vt Isaiæ 55. *Omnes sitientes venite ad aquas* de quibus aquis Christus etiam Ioan. 7. *Qui autem bibet ex aqua quam ego dabo, non sitiet iterum, sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternã, & qui credit in me flumina de ventre eius, &c.* Aquarum denique tum natura, tum abundantia, & perpetua vbertas sobolem, prolem ac posteritatem indicat, vt Isaiæ 47. *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israël, & de aquis Iuda existis.* Amaræ verò aquæ calamitatem significant, & ærumnam maximam, vt Ieremiæ 8. vers. 14. *Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis.* Aquæ etiam mentientes auxilij expectati defectum notant, vt Ieremiæ 15. vers. 18. *Et plaga mea desperabilis renuit curari, facta est mihi quasi mendacium aquarum infidelium.* Aquæ quoque super aridita-

tem

AQVA.

tem effuſæ expectatum, optatum, opportunúmque auxilium ſignificant, vt Iſaiæ 44. verſ.3. *Effundam aquam ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam.*

3 Plurimum autem poteſt aduerſus venena aqua.cui ſerpens fuerit contuſus, vt ſimilitudinem quandam poſſis agnoſcere efficaciæ baptiſmalis in aqua, quando per illam inducta in humanum genus à ſerpente peccata conteruntur, & ipſa valet gratiæ cœleſtis infuſione aduerſus aliorum ſcelerum vires. DeniqueOrus in hieroglyphicis tradit,Ægyptios aqua,& igni ſignificaſſe puritatem, quòd iis duobus omnis luſtratio contineretur. Perſæ quidem latè temporibus Strabonis diſperſi maximo in honore aquas habebant, quaſi numen illis aliquod adeſſet, vt ipſe teſtatur, atque nullis non mortalibus hæc inſita fuit ſententia, vim quandam diuiniorem iam tum vndis adeſſe, propter quam religione perfuſi per illam ſe criminibus exolui putarent. Quidam autem aquam quaſi æquam, id eſt,æqualem dictam volunt, ablato E, quòd aqua niſi ventis agitetur nihil ſit æqualius.Componunt quidam ex A, & qua quaſi aqua viuamus, vnde aqua,& igni interdici ſolebat damnatis. Hoc autem elementum cæteres omnibus videtur imperare: terras enim deuorant aquæ, flammas necant, ſcandunt in ſublime, & ipſum quoque ſibi vendicant cœlum: quid enim eſſe mirabilius poteſt, quàm ſtare in cœlo aquas. At illæ non modò in tantam altitudinem, ſed ſecum quoque piſcium examina, & lapides rapiunt. Eædem cadentes omnium terræ naſcentium cauſa fiunt: fruges, arbores, frutices iuuant, migrant in cœlum vitalem animum deferunt herbis. In ſacris autem literis variis modis aqua accipitur: Nam & מים Maiim hebraicè dicitur, ſempérque eſt numeri pluralis, vt apud Latinos diuitiæ; habet verò formam dualem, ob duplicem aquam, ſuperiorem & inferiorem, quas diuidit firmamentum. Quidam coniectant hoc nomen deductum ex המה Hama, & nomen ים Iam: Eſt enim המה Hama reſonare, ſonitum ſiue ſtrepitum facere, ים Iam autem mare ſignificat. Sumitur pro tota materia illa liquida, quæ primo die creata eſt Geneſ. . Dicitur etiam de nubibus obſcurioribus & denſioribus, tum de aqua elementari, ſeparata ab aëre, & aquis ſuperioribus;Ponitur etiam pro quolibet potu,vt panis pro quolibet cibo.

MARE MEDITERRANEVM, ET RVBRVM.

4 Maximum illud mare quod totam terram ambit,à velocitate Oceanum appellatur:Illud verò quod inter Abylam,& Calpen irrumpens Aphricam diuidit, ab Europa Mediterraneum mare vocatur: vtriuſque autem maris partes à prouinciis quas alluunt,varia ſortiuntur nomina: ſic Oceanum Athlãticum vocamus, illud quod ab Occidente Athlantem montem alluit, Britannicum quod Britanniæ,Germanicum quod Germaniæ eſt proximum.Ad hunc etiam modum ſinus ille maris, quem Mediterraneum mare vocamus, à regionibus quas alluit, varia inuenit nomina: Nam vbi Hiſpaniam alluit; Hiberium appellatur, vbi Liguriam, Liguſtinum, vbi Thuſciæ proximum eſt, Thuſcium mare, vel Tyrrhenum appellatur. Mare autem rubrum ἐρυθρὰ θάλασσα, ſinus maris eſt, Arabiam fœlicem à Meridie alluens, ab anguſtiis Arabici ſinus vſque ad ſinum Perſicum extenſus; Rubrum appellatur, non quòd aqua eius vt

plerique

plerique putauerunt, sed quod huiusmodi appareat à subiectæ arenæ rubedine, vel solis repercussu, siue quod magis placet, imitatione Græcorum qui mare hoc Erythreum appellarunt ab Erythra Rege, Persei, & Andronidis filio, qui ea in ora imperauit: Ibi etiam sepulchrum eius ostendi solet, teste Strabone lib. 16. Latini itaque rati Erythreum à Græcis dictum, quòd Ερυθρὸν, hoc est, rubrum esset, ipsi quoque rubrum mare appellauerunt; vide latius apud Strabonem loco citato. Hæc autem duo maria, Mediterraneum, & Rubrum, varia apud diuersos auctores sortita sunt nomina: Nam Mediterraneum dicitur mare magnum, & mare internum, item mare nostrum classicis auctoribus appellatur: Mare etiam Tyrrhenum vocat Orosius, partem pro toto accipiens: Hispanicum mare vocatur Eusthatio, nonnunquam ab Hispanis, *Mar de Leuante*, quod sonat Orientale, appellatur: Alia hodie, vt & olim vocabula secundùm regiones quas alluit, sortitur plura. At verò mare Rubrum Græcis Erythreum, Dionysio Æthyopicum, Plinio & Melæ Indicum, & Herodoto Persicum appellatur; Strabo illud sub Athlantici nomine comprehendit; huius pars quæ Persiam, & Arabiam fœlicem lambit, Azanium apud Plinium lib. 6. cap. 24. nuncupatur, à Lusitanis, *Mar de India*, dicitur. In maris verò rubri traiectione propter egressum Iudæorum, & demersum Ægyptiorum, hoc habebatur mirabile temporibus Iustini martyris, & Origenis, vt littori cernerentur impressa Ægyptiorum vestigia, reliquiæ curruum in aqua, species natantium, & actus siue via qua perrexerunt.

Mare autem Rubrum hebraico vocabulo vocatur ים סוף IAM SVPH, id est, mare caricosum, quòd in littore eius multæ crescant carices: significat autem סוף SVPH finire desinere: Hinc סוף SVPH finis, & terminus, extremum, siue vltimum: Inde etiam סוף SVPH iuncus, iuncetum, genus iunci, siue caricis, quod sic vocatur, eo quòd crescat in extremitate fluminis, aut maris. Sumitur collectiuè pro iunceto: Ideò IAM SVPH quasi mare caricis appellatur, quòd eo iunci genere abundet, vnde Herodotus lib. 2. tradit Ægyptios ex iunco sua nauigia facere; Et quamuis propriè hæc vox mare Rubrum significet in sacris literis, aliquando tamen pro pelago maris profundo accipitur, vt Ionæ 2. vers. 6. *Circundederunt*, inquit, *me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum*. vbi pro *pelago* quod vertit Hieronymus, in hebraico est סוף SVPH. Errant autem qui dicunt mare SVPH, id est, Rubrum operuisse caput Ionæ: Nam mare Rubrum non coniungitur mari Ioppe, id est, Mediterraneo, vt ipsi putant: est enim hoc alienum ab ipsa Geographia, & à rerum experientia; Ideò D. Hieronymus non transtulit *mare Rubrum*, sed *pelagus operuit caput meum*: SVPH enim significat quoque pelagus, siue quodcunque mare profundum: versabatur enim Ionas in mari Ioppe, id est, Mediterraneo: in Ioppe námque conscendit nauem. Forsan Ionæ videbatur ob frequentes carices quibus inuoluebatur, se versari in mari caricoso, & propterea Chaldæus Paraphrastes exponit: *Mare caricosum suspensum erat capiti meo*; Ideóque nonnulli exponunt locum hunc: *Iuncus alligatus est capiti meo, siue carectum*: Et quia SVPH algam quoque designat, posset verti mare algosum: Est enim alga tenuis & oblonga, piscium capitibus sese inuoluens; Quare ali-

T qui

A Q V A.

qui hunc reddunt sensum: *Alga alligata est capiti meo*, id est, pis in quo sum, qui me absorbuit, cuius caput est sicut caput meum, dum in illius ventre sum, est quasi alga capiti meo obuoluta: sed simplicior, & verior sensus est, quem affert D. Hieronymus, vt pelagus profundum significet.

MARE MAGNVM.

6 Hebræi Oceanum, & mare quoduis magnum at profundum תרשיש THARSIS vocant; Nam ים IAM, quod mare significat, non solùm mari magno tribuitur in sacris literis, sed lacunis etiam, & minoribus aquarum congregationibus. Itaque mare Mortuum, & mare Galileæ, & similia rectè dicuntur ים IAM, id est, mare: Tharsis autem dici non potest, nisi magnum, & vastum mare: Inde naues Tharsis dicuntur naues magnæ, quibus per profundum mare nauigari solet, quas Hebræi vocant אניות ONIIOTH. Quare 3. Reg. vltimo, vbi legimus: *Rex verò Iosaphat fecerat classes in mari, quæ nauigarent in Ophir*, in hebraico est: *Iosaphat fecerat naues Tharsis ad eundum in Ophir.* Hinc facilè colligimus illud Psal. 47. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*, id est, maris, quasi dicat: quantumuis magnæ validæque sint, non possunt iræ tuæ resistere, & illud Isaiæ 2. *Quia dies Domini exercituum*, &c. *& super omnes naues Tharsis.* Idem est de verbis illis iudicium Isai. 23. *Vlulate naues maris*, pro quo est in hebraico, *naues Tharsis.* Hinc naues Salomonis 3. Reg. 2. per tres annos semel ibant in Tharsis, id est, in mare, & deferebant aurum, & argentum, & ebur, & simias, & pauos; Quare verisimile est, à Tharsis nepote Iapheth, & Ciliciam, & quasdam vicinas prouincias, & Mediterraneum mare dictum esse Tharsis, indéque ad Oceanum, ad mare quoduis profundum, & quòd magnas naues ferre posset, deductam esse appellationem. Hinc etiam, & lapis pretiosus, qui colori maris similis est, nempe ceruleo, qui & inter lapides Rationalis Aaron numeratur Exodi 28. Tharsis dicitur: cùm autem mare prius notum fuerit, quàm hic lapis, eum à mari quod Tharsis vocabatur, nomen habuisse, & non ab eo mare.

7 Mare autem ab amaritudine dictum videtur. Quando autem ponitur mare absolutè in sacra scriptura, sæpe solet accipi pro parte Occidentali terræ Palestinæ, quæ habet mare ad Occidentem, quod interdum vocatur mare magnum, mare scilicet nostrum Mediterraneum, sicut Ezechiel. 47. Mare etiam nouissimum, mare Occidentale, siue Mediterraneum designat in scriptura, vt Isai. 49. & Ioël 2. manifestum est. Mare autem Cenuereth, siue Genesareth, solet in scriptura dici Orientale, nempe mare Galileæ, & Tiberiadis, similiter, & mare mortuum Orientale quoque appellatur: vtrunque enim mare est ad Orientem terræ promissionis, præcipuè respectu Tribus Iuda; Cùm autem dicit scriptura, *à mari vsque ad mare*, solet totus orbis significari, vt Psal. 71. & Zachariæ 9. D. verò Ambrosius 3. Exaëmeron, & Basilius 4. multa de mari scribunt, & probant inter bona ponendum esse ipsum mare: primùm quia terras necessario suffulsit humore, quibus per venas quasdam occultè succum quendam haud inutilem subministrat. Est etiam bonum mare tanquam hospitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio alluuionum, inuectio commeatuum, quo sibi distantes populi copulentur, quo præliorum remoueantur pericula, quo

barba

AQVA.

barbaricus furor clauditur, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, salubritas valetudinis, separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium, subsidium vectigalium, sterilitatis alimentum. Ex hoc pluuia in terras transfunditur: siquidem de mari radiis solis aqua hauritur, & quod subtile eius est rapitur: deinde quantò altius eleuatur, tantò magis etiam obumbratione frigescit, & imber fit, qui non solùm terrenam temperat siccitatem, sed etiam ieiuna arua fœcundat, hæc ferè ex Ambrosio, & Basilio. Porrò ab antiquis vsque huc hæc manauit opinio, vt mare polluta quæque purgarit: Traditur autem hoc monumentis literarum, cùm Plato ad Ægyptios sacerdotes ire statuisset, vt Ægyptiæ sapientiæ, quæ tunc celeberrima erat, placita, & dogmata perdisceret, Euripidem comitem habuisse, quem sacerdotes Ægyptij cùm intellexissent morbo comitiali (ita enim nonnulli credunt) obnoxium in mare demergi iusserunt, qua ex lotione Euripides morbo liberatus carmen illud cecinit: *Mare abluit vniuersa mortalium mala.* Euripidi assentiuntur, & huius temporis homines, qui à rabido cane morsos putant à rabie fore tutos, modò aliquot dies post morsum mari abluantur: sic apud Aristophanem Plutum antequam ab Æsculapio visui restitueretur, perduxerunt ad mare, & marinis immersum alluerunt aquis.

PORTVS MARIS.

Portus autem maris, siue littus aut regio maritima hebraica voce dicitur חוף Choph: est enim חפף Chaphaph tegere, abscondere: hinc חוף Choph portus, siue locus in quo teguntur, & absconduntur naues à ventis, & tempestatibus, quasi protectionem dicas. Alij autem hanc vocem interpretantur שפת הים Sephath iamim, id est, littus maris, significantes etiam ipsum portum, sic dictum putantes, quòd ibi pectantur seu strigantur naues dum eo pertrahuntur, à חפף Chaphaph eodem verbo, quod apud hebræos doctores est pectere seu stringere. Quare quod Hieronymus interpretatur Ierem. 47. *Quomodo quiescet, cùm Dominus præceperit ei aduersus Ascalon, & aduersus maritimas eius regiones, ibique condixerit*, & pro hebraica voce חוף Choph posuit, *maritimas regiones*, quæ per hanc vocem etiam significantur. Chaldæus Paraphrastes *portum maris*, interpretatus est, qui sic habet: *Quomodo quiescit, quia Dominus præcepit de eo contra Ascalonem, & contra portum maris, ibique præparauit eum.* Itaque vox ista quæ propriè portum significat, quia regiones maritimæ suos habent portus, & ex his celebres fiunt, transfertur ad significandum eas: rectè ergo D. Hieronymus, *maritimas regiones*, transtulit; Quare Ezechiel. 25. vers. 16. hanc eandem vocem reddit quoque D. Hieronymus, *regiones maritimas*, id est, quæ ad littus maris sunt, sicut hanc eandem vocem Deuteron. 1. vers. 7. interpretatur *littus*, & Genes. 49. vers. 13. *stationem.* 8

MARE MORTVVM.

Lacus Asphaltitis mare mortuum dicitur in scriptura. Dicitur quidem mare ob magnitudinem iuxta Hebræorum morem; mortuum verò, quia nihil gignit, aut seruat viuum, nihilque continet ex viuentium genere, nec pisces, nec volucres, sed neque à ventis mouetur, bitumine ventis resistente, quo omnis aqua condensatur, omnia in profundum merguntur cuiusuis sint mate- 9

riæ, etiamsi ligneæ, & sola ea supernatant, quæ bitumine liniuntur: Ideò dicitur Asphaltites, id est, bituminis. Vocatur etiam mare salsum eius longitudo extenditur stadiis septingentis, latitudo verò centum. Euomit autem lacus iste nigras bituminis glebas, in cuius littore arbores nascuntur, quarum poma vsque ad natiuitatem colorem viridem retinent, & pulchrum visu, quæ si iam matura colligantur & incidantur, fauillæ tantum intus cernuntur, & resoluuntur in cinerem, fumúmque excitant, quasi adhuc ardeant, & memoriam reuocantes ignem à Deo in Sodomam, & Gomorrham immissum.

MARE GALILEÆ.

10 Mare Galileæ dicitur quoque Cenereth, & Tiberiadis, & Genesareth, estque positum in Galilea prouincia, quod teste Iosepho lib. 3. belli Iudaici cap. 18. quadraginta stadiis in latitudine, & centum in longitudine patet. Iuxta Egessipum de excidio Hierosolymitano longius extenditur, & iuxta Plinium etiam latius naturalis historiæ lib. 5. cap. 15. Aliique aliam mensuram assignant: toto autem ambitu suo viginti millia passuum complecti scribit Niger in sua geographia; aqua eius dulcis, fœcunda atque potabilis est: siquidem nec palustris vliginis crassum aliquid, aut turbidum recipit, quia ab arenoso vndique litore circumuenitur, ac præter hoc fluuio, & fonte leuior est: frigidior tamen paludis æquore, eo quòd non in stagni morem sternitur, sed per diffusiora lacus spatia frequentius auris spirantibus agitatur. Varia autem sunt in eo piscium genera ab alterius loci piscibus sapore discreta, mediúsque hic lacus Iordane fluuio secatur: oppidis amenis, & celeberrimis circumseptum est; Gadara, Gerasa, Magdalo, Corozaim, & plerisque aliis, syluas etiam nonnullas in locis ad Auroram præsertim finitimas habet. In nouo Testamento cùm nauigatione Domini, tum vocatione, & piscatione Apostolorum, aliísque miraculis valde celebratur.

AQVÆ PALVSTRES.

11 Palus siue lacus est latentium aquarum receptaculum, in quo aqua retinetur. Dicitur etiam stagnum, quòd in eo stare dicatur aqua: Nam cùm fontes labantur in flumina, flumina verò in freta discurrant, lacus stat in loco, nec fluit. Piscina verò dicitur aqua, ad nutriendos pisces collecta: quamuis per antiphrasin aquarum collectio piscibus carens, piscina sæpe vocetur. Stagna autem duo præcipuá, quorum sæpe fit mentio in sacra scriptura, duo illa sunt iam paulò ante commemorata, videlicet stagnum Genesareth, & mare mortuum. In vniuersùm autem stagna omnia, quòd parum agitatæ aquæ sint, nec fluant, solent aquas continere, ad potum ineptas & insalubres: vel enim salitæ sunt, vel insipidæ & noxiæ. Iuxta D. verò Hieronymum Daniel. 8 vers. 3. אבל VBAL paludem significat: sic enim transfert locum Daniel. prædictum: *Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce aries vnus stabat ante paludem, habens cornua excelsa.* Hanc autem dictionem Septuaginta nomen proprium esse putauerunt, quare transferunt: *stans ante vbal:* sed D. Hieronymus in 2. versu hanc vocem interpretatur, *portam*, in tertio versu *paludem*, forte ideò in 2. versu *portam*, interpretatur, quia inde tanquam è porta, siue fonte oriebatur fluuius VLAI, vt locus

A Q V A.

locus iste esset palus, siue stagnum, quod quasi porta esset, & principium fluminis VLAI. Quamquam alij putent VLAI nomen esse loci. Sane EVLEI fluuij meminit Plinius libr. 7. cap. 27. quin & Strabo, & Solinus idem sentiunt. Alij hoc loco VLAI nomen fontis esse arbitrati sunt, vnde oriatur fluuius VBAL: Putant enim isti VBAL esse fluuium, & idem significare quod יובל IVBAL aquæ ductum, siue יבל IEBEL riuum, fluuium, ita vt sit sensus: *Vidi autem in visione me esse super fluuium fontis* VLAI *& leuaui oculos meos, & vidi, & ecce aries vnus stabat ante fluuium.*

A Q V Æ C A L I D Æ.

Propter ambiguitatem vocis pluralis ימים IEMIM, quam D. Hieronymus transfert: *Aquas calidas quas inuenit Ana*, crediderunt nonnulli ipsum inuenisse aquarum congregationem, id est stagnum in deserto, cuius rei inuentio in heremo difficilis est legimus enim Gen. 36. ver. 24. *Et hi filij Sebeon, Haia, & Ana. Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret Asinos Sebeon patris sui.* Hunc autem locum propter varias vocis prædictæ significationes, variè interpretati sunt auctores: sic enim scribit D. Hieronymus in hebraicarum quæstionum lib. de hac re disserens: *multa & varia apud Hebræos de hoc loco disputantur, de quo apud Græcos & nostros silentium est.* Itaque D. Hieronymus, *aquas calidas*, transtulit, quod iuxta prouinciæ linguam vicinam, quæ hebrææ conterminis est, hoc vocabulo significentur. Et quoniam ימין IEMIN significat, mulos, siue asinos velocissimos, ideò alij dixerunt Anam inuenisse mulos in deserto, id est, inuenisse industria sua, quia dum pasceret asinos excogitauit, vt ascendere faceret equum super asinam: nam & sic protulit mundo huiusmodi speciem, vel admisisse in deserto onagros ad asinas, & per huiusmodi concubitum inuenisse, vt velocissimi ex his asini nascerentur. Dicunt autem mulos vocatos ימין IEMIN, quia אמתן EMATHAN, id est, terror eorum, cùm apparuerunt, immissus est spectantibus eos, & propter hanc eandem caussam Chaldæus Paraphrastes exponit גברים GEBARIM *fortis & potentis*, id est, gygantis. Septuaginta verò interpretes ἰαμὶν ipsum hebraicum vocabulum reliquerunt. Quidam verò putauerunt à ים IAM, quod est mare, ימים IEMIM maria appellata: nam quamuis varientur puncta, cùm eædem sint literæ, per eas maria significantur, & legere possumus ימים IAMIM. Quare dixerunt quod initio prætactum est, Anan dum pasceret asinos patris sui in deserto, aquarum congregationem inuenisse. quæ iuxta idioma hebraicæ linguæ maria dicuntur. Hæc autem fuisse lacus & stagna in solitudine arbitrantur, quod rarum esse solet, nec sensus hic abhorret à sensu Hieronymi: quid enim prohibet huiusmodi aquas fuisse calidas è fonte aliquo calido emanantes. Extant enim in variis locis & montibus aquæ fontium ita calidæ, vt in eis absque alio igne oua coquantur. 12

A Q V Æ F O N T A L E S.

Fons est caput & origo aquæ viuæ, quæ manat & fluit continuè ex abditis, & occultis terræ venis: aqua verò quæ à solida petra emanat limpidissima est: hoc autem proprium est fontis, vt continuè aquas renouet, cuius beneficio loca sibi vicina fœcunda sunt, florida, & fructuosa: à venis autem & meatibus 13

A Q V A.

terræ, per quas transit, colorem, virtutem, & etiam saporem accipit, ideò fontes alij sunt calidi, alij frigidi, alij sulphurei. Dicitur autem fons à fundendo, quòd aquam fundat. Est verò fons solis in desertis Libyæ, vltra Cyrenaicam regionem, iuxta Iouis Ammonij oraculum, cuius aqua mane, & vesperi tepida est; & meridiano tempore gelidissima. Eam ἡλίου πηγὴν Solis fontem appellarunt, quòd à Sole regi videatur, & pro ratione diuersorum cardinum, quos ille perlabitur, calorem tepore, teporémque frigore permutat: de quo Herodotus libr. 4. Fontes ferè omnes, & in quibus oriuntur loca læta, & amæna reddunt, ex quo fit, vt ad amænitatis, & iocunditatis sensum in sermone sacro commemorentur: sic Exodi 15. *Venerunt autem in Elim, ibi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castra metati sunt iuxta aquas.* Et Numer. 33. *Deus tuus introducet te in terram riuorum, aquarum, & fontium,* & psal. 103. *Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ,* & psalm. 113. *Qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Fontis præterea nomen ad virtutis magnæ initium, & caput certum significandum vsurpatur in scripturis, vt Hierem. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ,* & psalm. 36. *apud te est fons vitæ.* Abundantiam, copiámque perpetuam fons quoque significat, sic Prouerb. 5. *Deriuentur fontes tui foras,* & Prouerb. 6. *veniet vt fons messis tua,* Prouerb. quoque 17. *torrens redundans fons sapientiæ,* Hier. etiam 9. *quis dabit oculis meis fontem lacrymarum,* & Ioann. 4. *fiet in eo fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam.* Fons autem aqua carens inutilis hominis imaginem refert, sic 1. Petri 2. *hi sunt fontes sine aqua.*

13 Vocatur autem fons in sacris literis hebraica voce מעין Maaian, est enim עין Ain oculus: hinc fons sic appellatur quasi oculus, vnde aqua profluit. Quoniam verò מעון Maon habitaculum significat psalm. 86. vers. 7. dictionem ibi positam מעינין Maaianan habitationem transtulerunt Septuaginta interpretes, vbi legimus: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Alij verò מעין Maaian pro fonte sumentes, locum hunc interpretantur: *omnes fontes mei in te,* vel *omnes prouidentiæ meæ in te.* Posset etiam sic ad verbum transferri, *omnes aspectus mei in te,* quasi dicat, omnem aspectum, & spem suam in illum esse coniectam: nam עין Iien in piel est aspicere aspectu spei. Hinc fit vt D. Hieronymus sic locum istum transferat: *omnes cantores quasi in choris, omnes fontes mei in te,* id est, oculi qui sunt quasi fontes, vnde lacrymæ emanare solent. Videtur autem alludere ad aspectus spei, quam in sacrificiis habebat Propheta, iuxta translationem Chaldæi Paraphrastis, qui sic exponit: *Et dicunt cantica in choris, omnes spes laudis super sacrificia dicuntur in medio tui.* Significatur quoque fons aliquando in sacris literis voce hebraica גל Gal, ab aquarum reuolutione & scaturigine: propriè autem גל Gal lapidum cumulum designat, à גלל Galal, quod est voluere, vnde Zachariæ 10. vers. 11. גלים Gaalim sunt fluctus maris, ideò sic dicti, quòd fiant vnda conuoluta æstuante. Hinc emanant varij sensus loci illius Iob 8. vers. 17. *Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur,* qui est Hieronymi sensus, & etiam Septuaginta interpretum. Propter ambiguitatem verò vocis hebraicæ גל Gal, sic alij interpretantur: *super fontem ad radices eius densabuntur.* Nam

Cantic

AQVA.

Canticorum 4. vers. 12. pro eo quod in aliquibus exemplaribus hebraicis scriptum est גן נעול Gan navl, id est, hortus conclusus, in aliis legimus גל נעיל Gal navl, quod interpretatur fons obseratus, id est, sera clausus, vbi statim sequitur מעין חתום Maian thachvm, *fons signatus*.

Proprium autem est fontium eructare, scaturire, & emanare, è quibus 15
emanat & exundat aqua, quod נבע Maba apud hebræos significat: Hinc Mabva fons quasi eructatio, scaturigo aquarum, quæ quidem vox aliquando transfertur ad ipsum hepar significandum, quia ex eo emanat atque exundat sanguis, cui coniunctum est fel, quasi hydria continens humorem quendam amarum. Ex hac ratione locus ille Eccles. cap. 12. exponendus est: *Antequam cōteratur hydria super fontem*, vbi pro fonte in hebraico est מבוע Mabva id est, *hepar sanguinis scaturigo & fons*. Itaque sensus est: *antequam conteratur hidria iuxta ipsum hepar*, id est, fel iuxta iecur. Hunc sensum reddidit Chaldæus Paraphrastes dicens: *Antequam rumpatur fel tuum super iecur*. Nec illud prætermittendum videtur, fontem apud hebræos ab excisione venæ aquæ vocatum מקור Makor, nam קור Kvr propriè est fodere venam aquæ, vnde & Makor fontem designat: quod verbum nonnulli conferunt cum חור Chor, id est, foramen, quod è fonte quasi foramine promanet aqua, vel cum חרה Kara occurrere, quasi sit perfodere, & perforare ad occursum vsque venæ. Ex his facile est explicare locum illum 4. Reg. 19. vers. 24. *Ego succidi, & bibo aquas alienas, ac siccaui vestigijsque pedum meorum omnes aquas clausas*, vt sit sensus: קרתי Karati *Excidi, fodi, & veni vsque ad venam, & bibi*, ac si dicat, bibi omnes aquas fluminum, atque riuorum, propter multitudinem exercitus, adeò vt peruenerim ad venas illorum, sicque illorum aquas penitus consumpsi, quasi dicat, scrutatus sum venas aquarum fodiendo, quia non sufficiebant mihi aquæ fluuiorum, & fontium manantium, quæ supra terram fluebant, & hoc est, quod statim subiungit: *Et siccaui vestigiis pedum meorum omnes aquas clausas*, quia erant intra terram, & oportebat eas fodere: ideò etiam dixit, *fodi, & bibi aquas alienas*: nam cùm non essent notæ hominibus, erant alienæ, & extraneæ ab hominum oculis & aspectu. Illud autem quod Septuaginta transtulerunt psalm. 17. vers. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum*, ita accipiendum est, vt per fontes significare voluerint, quod D. Hieronymus transtulit, nempe *effusiones aquarum*, id est, aquas defluentes cum impetu & vehementia. Nam vox hebraica אפיקי Aphike significat aquas defluentes cum impetu: est enim אפק Aphak vim sibi facere, & quoniam hæc eadem vox אפיק Aphik designat etiam vallem, siue fistulam per quam aqua decurrit, hunc locum alij sic intelligunt, vt sit sensus: *Apparuerunt valles plena aquis*, vel, *decursus aquarum, siue torrentes aquis abundantes*.

AQVÆ PVTEORVM.

Puteus autem perpetuas habet aquas ex terræ venis manantes, non tamen 16
fontium more foras prorumpentes: dictus autem puteus quòd puteat ex alumine, & sulphure sæpe dum cauatur, aut certè, vt Varroni placet lib. 4. de lingua latina, à græco πότος, quod potum significat. Differt autem puteus à cisterna, quòd ille suas habeat aquas ex terræ venis manantes, cisterna pluuias

cœlo

cœlo purgatas: ruptis autem terræ venulis inferioribus, aqua quasi humando euaporat, ex cuius euaporatione aqua putei coalescit. Hæc autem aliquando est digestione difficilis, quòd terræ salsuginem contrahat, & agitatione careat, atque ab ipso aëre remota sit, à terra autem circumstante saporem mutuatur, & ideò aqua huiusmodi interdum salsa, nonnunquam dulcis est. Propter aquarum verò dulcium copiam, puteus commodum ad habitandum locum efficit, & significat: Quamobrem in calidioribus regionibus, vbi minor fontium, & fluuiorum vsus est, putei non solùm expetuntur, sed etiam ad lites & rixas vsque appeti solent: sic Gen. 21. *Increpauit*, inquit, *Abimelech propter puteum aquæ, quia abstulerant serui eius*, & Gen. 26. *foderúntque in torrente, & repererunt aquam viuam, sed & ibi fuit iurgium pastorum.* Puteorum autem commoditas perpetua beneficij memoria apud posteros commendatur, vt Ioann. 4. *Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.* Ad huiusmodi commoditatis & salubris vsus commoditatem sponsa à sponso puteus aquarum viuentium dicitur. Cantic. 4. Huic rationi proximum est, vt puteus iter agentibus iucundam respirationi & recreationi sedem paret, vt Gen. 24. quando seruus Abraham camelos fecit accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ.

17 Præterea ad perniciem corporum vel animorum indicandam putei nomen interdum in sacro eloquio vsurpatur, sic psal. 34. *Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus*, & psal. 67. *Ne me demergat tempestas aquæ, &c. neque vrgeat super me puteus os suum*, & 1. Machab. 7. *Bachides quosdam de populo mactauit, & in puteum magnum proiecit*, & Prouerb. 23. dicitur: *puteus angustus aliena.* Apoc. quoque 9. *Ascendit fumus putei sicut fornacis magnæ, & obscuratus est Sol & aer de fumo putei.* Item, *de fumo putei exierunt locustæ in terram.* Manifestum etiam periculum indicat puteus, sic Lucæ 14. *Cuius vestrum asinus, aut bos in puteum cadit, & non continuè extrahet eum in die Sabbathi.* Contigit autem nonnunquam commodas latebras euadendi causa quibusdam in puteo præberi, vt 2. Reg. 17. *Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalon. Illi verò concito gradu ingressi sunt domum cuiusdam viri in Bahurim, qui habebat puteum in vestibulo suo. Tulit autem mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans Ptisanas, & sic latuit res.* Multa quoque puteorum loca, & nomina in sacris literis rei gestæ, vel beneficij accepti monumentum testata conseruant: propterea enim Agar appellauit puteum illum Gen. 16. *puteum viuentis & videntis me, ipse est inter Cades & Barad*, & Gen. 26. post obitum Abraham benedixit Dominus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis & videntis, & idem vocauit puteum, *latitudo*, dicens, *nunc dilatauit nos Dominus, & crescere fecit super terram*, & Gen. 46. *profectus Israel venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris sui, audiuit eum per visionem nocte.* Dicitur autem puteus hebraica voce באר Beer, vbi est aqua viuens, scaturiens & clara, dicitúrque sic à claritate aquæ. Nam באר Beer est exponere, explanare, declarare, exprimere aliquid verbis, vel characteribus. Hinc quòd in puteis aqua sit munda & clara, hac voce putei significatur, vt Gen. 14. vers. 10. *Vallis autem syluestris habebat puteos multos bituminis*, in hebraico est, בארות בארות Beeroth beeroth, ad verbum, *putei, putei,*

Sensus

Sensus itaque est, *Valli syluestris erat plena puteis*, quod videtur vertendum, putei puteorum bituminis, in quibus aqua bitumini admixta munda fortè erat, & clara.

AQVÆ FLVVIALES.

Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat, ad locum vbi 18
exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant, Ecclesf. 1. Basilius autem homilia 4. Exaëmeron aquam maris spiritu flatúve interiùs mouente sursùm ad scaturigines impelli dicit: *Mare*, inquit, *fluitans ac permeans per funiculos fistulares, & angustos, mox vbi obliquis, aut certè recta in sublime, surrectis excursibus, se occupatum deprehenderit, ab agitante compulsum spiritu, superficie terræ vi dirupta erumpit, atque foras emicat.* Eandem ferè ascensus rationem affert Plato in Fedone, & Plinius lib. 2. cap. 65. vbi ait, aquam permeare totam terram; intra, extra, supra, venis discurrentibus, atque in summis iugis erumpere: *Quo*, inquit, *spiritu acta & terræ pondere expressa siphorum modo emicat, tantúmque à periculo decidendi abest, vt in summa quæque & altissima exiliat. Qua ratione manifestum est, quare tot fluminum quotidiano accessu maria non crescant.* hæc Plinius. D. Thomas 2. sententiar, distinct. 14. quæst. vnica articul. 5. ait fluuialem aquam attrahi sursum vi cœlestium corporum, communis boni gratia, vt nimirum metallis terræ, quæ terræ græmio generantur, itémque animantibus, & stirpibus quæ aquæ haustu aluntur tempestiuam irrigationem præbeat. Albertus Magnus lib. 2. Meteor. tract. 2. cap. 12. inquit, vapores in terræ cauernis eleuatos, reflexósque attrahere ad se aquam, eámque sursum afferre, & continua sua actione, & allisu ad montis latera poros aperire, quibus tandem erumpit, atque hanc etiam causam esse, cur aquæ ad fontium ora ebulliant, videlicet ratione vaporum eas agitatu suo eructantium. Aliis placet terram quasi spongiam attrahere ad se ex imo aquam, eámque suggere, & eminentioribus locis reddere.

Fluuiorum autem illa aqua est præstantior, quæ ad ortum Solis tendit, & 19
quæ ab altioribus montibus oritur. Ea verò quæ versus occidentalem plagam fluit, non ita præstans est. Flumina etiam quantò magis à ciuitatibus sunt remota, tantò puriores aquas continent, nutriendísque piscibus aptiores: ciuitatum enim sordes, & balnearum immunditiæ facilè fluunt in flumina, si proxima sint, quorum admixtione eorum aquæ inficiuntur, & contrahunt corruptionem. Illæ etiam aquæ laudantur, quæ fluunt impetuosè per lapides exiguos, vel per alueum solidum, arena, & argilla abundans, quod mundum sit, & sapore optimo præditum: nam ex qualitate terræ per quam fluunt, sumunt flumina colorem, & saporem. Est autem illud cõmune fluminibus, vt quamuis exigua sint in locis vnde oriuntur & fluere incipiunt, quantò tamen magis à suo principio atque fonte recedunt, per aquarum aduentum magis crescunt, vt constat ex Danubio Germaniæ fluuio, de quo dicit Isidorus libr. 14 cap. penultimo, à Germanicis montibus à plaga orientali oriri ex paruo fonte, ac tandem suo progressu sexaginta flumina recipere, & septem ostiis in mare Ponticum immergi. Maximus verò est fluminum impetus, cùm omnia obstacula, & cunctos obices diruant: neque enim eorum rapido fluxu quidquam tandem resistere potest, omnia sibi occurrentia, vel secum rapiunt, vel

AQVA.

ad ripam proiiciunt, naues onustas suo cursu impellunt, rotas etiam maximi ponderis, atque grauissimas maxima velocitate violenter circumuoluunt. Multa autem commoda ex huiusmodi fluminum fluxu contingunt: loca enim per quæ transeunt, mundant, aquas quoque stagnorum & paludum in quas ingrediuntur, renouant, & à corruptione præseruant, pisces diuersorum generum nutriunt, vtilitates etiam quas hominibus afferunt sunt innumerabiles: nulli enim beneficium suum denegant, imò omnibus, quod ad se attinet, se communicant, tam iumentis, quàm hominibus, sine discrimine aquam administrant: æstuantes refrigerant, sitientes potu reficiunt atque recreant: loca sibi vicina vberrimè irrigant atque fœcundant.

20 Perpetua autem obseruatione fluuiis, & fluminibus abundantia, & copia indeficiens in sacris literis adscribitur, in quamcunque rationem, siue commodi, siue incommodi sermo dirigatur. Nam Isaias cap. 7. aquas fluminis fortes ipse magnum exercitum interpretatus est, & Isaiæ 17. ad gentem expectantem, & conculcantem, cuius diripuerunt flumina terram eius. Iob quoque 22. *Fluuius subuertit fundamentum eius*, & Isaiæ 43. *Flumina non operient te*, & Ionæ 2. *Flumen circundedit me.* Commodorum autem rationem illa exempla habent Iosue 6. *Ponam in inuio flumina* & Isaiæ 43. *& flumina mea arefaciam*, Isai. quoque 44. *Facta fuisset sicut flumen pax tua.* Denique flumen Varroni lib. 4. linguæ latinæ dicitur, quòd fluat, sic enim scribit: lege prædiorum vrbanorum stillicidia, fluminàque, vt ita fluant cadantque; inter hæc autem hoc est discrimen, quòd stillicidium dicitur eò quòd stillatim cadat, flumen verò quòd fluat continuè. Flumina autem à riuis magnitudine discernenda sunt, aut æstimatione circum colentium. At flumina quædam sunt perennia, quædam verò torrentia: Perenne est quod semper fluit, dicitúrque ὁ ἀένναος: torrens autem est, quod tantùm hyeme fluit, & dicitur χειμάῤῥος. Si tamen aliquo tempore flumen ex speciali causa superueniente exaruit, quod alioqui perenne fluebat non ideò minus perenne est, & contrà si vna fortè aut altera æstate fluat, quod alioqui nonnisi hyeme fluere solebat, vtique torrens censebitur. Alueus autem propriè dicitur fossa, per quam flumina, siue torrentia fluunt: transfertur tamen ad significandum vas quoddam amplum in balneis hoc nomine dictum, & etiam ad significandam tabulam lusoriam, ad aleam, & latrunculorum ludum accommodatam. Dicitur etiam alueus receptaculum in quo apes mellificant. Aliquando etiam pro naui, siue pro nauigij ipsius receptaculo sumitur, vt apud Propertium,

Portabat sanctos alueus ille viros.

21 Quoniam verò in fluminibus aqua continuè decurrit, & perennis est cursus, ab ipso cursu flumen dictum est apud hebræos נהר NAHAR, significat enim נהר NAHAR currere ad voluptatem seu beneplacitum: nam significat hoc verbum copiam & affluentiam cum celeritate & procliuitate: quæ etiam vox sæpe absolutè in scriptura posita per antonomasiam, vel Euphratem, & Iordanem significat, quod ex circunstantia loci facile erit intelligere vter denotetur. Et significat hæc vox propriè fluuium, cuius alueus naturalis est, non manufactus: hic enim dicitur voce hebraica יאור IEOR, id est, riuus: torrens

rens autem dicitur נחל Nachal, qui æstate parum aut nihil fluit, etsi interdum voces istæ confundantur in sacra scriptura. Est autem torrens aqua cum impetu veniens & recedens: dicitur autem torrens, quia pluuia quidem crescit, at verò siccitate torrescit, id est, arescit. Præterea illud etiam notandum est, vocem hebraicam יאור Ieor propriè significare riuum à flumine eductum, & effossum ad irrigandos agros: Hinc Nilus, & Tigris riui appellantur passim in scriptura, quòd ex illis multi riui deducantur, dictionem autem hanc Ieor, id est, riuus, aliqui deflectunt ab אור Or luce, ab aquis limpidis quas continet, quæ in fluminibus magis turbidæ esse solent. Nec desunt, qui ירדן Iarden, id est, Iordanis nomen ex hac dictione יאור Ieor, & Dan putant esse compositam, quasi riuum non dicas, quod Geographi tradant iuxta vrbem Dan suum ortum habere, quasi dicas יאורדן Ieordan.

Caput X. DE SVBSTANTIA TERREA.

Terra describitur, esse corpus infimum & medium, æquabilibus spatiis à cœlo remotum, ideóque cœli centrum à sapientibus vocatum, vnde & omnium corporum est densissimum, magísque corpulentum, respectu cœli quantitate minimum, quamuis in se maximum, qualitate obscurum, & ex se opacum, figura sphæricum, secundùm se totum quiescens & immobile: sunt tamen partes eius motus capaces. Est autem omnium rerum corporearum viuentium habitaculum: Cùm autem centrum sit cœli, in quauis sui parte influentias eius atque effectus abundè suscipit: quare fœcundissima terra est, nobilissimásque gignit rerum species, & varias rerum naturas continet, nutrit, atque conseruat. Propter eius verò insignes, & singulares proprietates, & effectus admirabiles, gentium error eam Deam constituit, diuinos ei tribuēs honores: producit enim fruges, & omnia cibat & nutrit, quæ indigent alimento: est enim fœcunditatis mater, nihílque vegetans crescere potest, nisi in terrestrem substantiam radices suas immittat: quæ ideò Vesta dicta est, vel quia constat vi sua, vel quia herbis, arboribus, floribúsque sit vestita. Quamuis autem terra secundùm suam substantiam frigida sit, quosdam tamen in se continet vapores ignitos, quos emittit, vt constat in Æthna, & Vulcano, cúmque exteriùs nigra sit & indecora, interiùs multa continet pretiosa: nam ex quadam cœlestis influentiæ impressione in venis eius interioribus pretiosi lapides, nobiliáque metalla gignuntur. Cingitur autem terra vndique mari, eiúsque finibus circundatur & percutitur, cuius humiditate per occultos meatus penetratur, ne præ siccitatis naturalis dominio resolutis partibus in puluerem redigatur, quæ quantò plus foditur & euertitur, tantò ei virtus insita amplius cum singulis partibus permiscetur, sicque fit aptior, vt ex ea multiplices fructus nascantur: si verò diu otiosa dimittatur & quiescat, minùs est idonea ad fructus producendos. 1

Terra autem illa fertilior est, quæ secundùm situm disposita est ad susceptionem radiorum solarium, quæ verò magis à radiis elongatur, minus est idonea frugibus & fructibus: sic etiam quam continuè perflat ventus orien- 2

talis, temperatè calida est, & inter humiditatem & siccitatem medium tenet, ideóque floribus, & fructibus est fœcunda, & magis hominum habitationi apta atque iucunda. Ideò autem occidentalis terra est minùs fœcunda, quia agitatur vento frigido & humido. Cùm verò ventus septentrionalis terram exsiccet, ac frigefaciat, suáque subtilitate purificet: hinc prouenit vt in terra aquilonari homines sint proceræ staturæ, & formæ elegantis: nam frigiditate exterioris aëris clauduntur pori, retentóque intrinsecus calore naturali, eius virtute statura extenditur, & corporis figura decoratur; ventus autem australis, cùm sit calidus & humidus, terram quam continuè perflat, turbat, calefacit, atque condensat, & ideò homines regionis australis sunt contrariæ formæ & figuræ hominum terræ aquilonaris. Terra etiam vicina mari meridionali, calidior est ea quæ sita est iuxta mare septentrionale: vapor enim calidus & humidus, à mari resolutus terram calefacit sibi propinquam, quod præstare non potest vapor qui ex mari aquilonari consurgit, cùm sit frigidus, & ideò terra mari Pontico proxima frigida est: eam enim frigefacit vapor frigidus ab illo mari resolutus. Simulacrum autem terræ antiqui cum claui pingebant: nam aperitur verno, hyemali verò clauditur tempore. Pingebatur enim sub nomine Vestæ Deæ, mulieris forma sedentis, & gestantis tympanum, quòd terra ventos intra se contineat. Romani eius ædem rotundam construxere, in cuius medio seruaretur ignis, qui & à plerisque ex Ethnicis Philosophis in terræ medio esse traditur. Phornutus & ipsam Vestam rotundè effingi solitam prodit, atque ita per medios humeros constringi, quod & ipsa terra taliter statuatur constricta vel coagulata, vnde χθὼν terra vocatur, fortè quòd terra capiat omnia, hoc est, ἀπὸ τοῦ χεῖσθαι, siue ἀπὸ τοῦ χωρεῖν. Porrò & candidis sertis coronari dicebatur eadem ratione, quòd terra vndique ab albissimo elemento ambiatur & circundetur, aëre scilicet.

3 Denique terra ob naturæ suæ soliditatem, & ob innatam situs obseruandi vim ad firmitudinis & constantiæ significandas rationes appellatur, vt Eccles. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* Quamobrem & firmitatis in contentionibus & comparationibus, terræ etiam nomen vsurpari solet, vt Isaiæ 51. *Quia cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt: salus autem mea in sempiternum est.* Terra etiam Metonymia figura hominum genus in ipsa ortos & nutritos significat, vt psalm. 107. *Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Porrò terra tenebrosa, quam noster interpres serotinam vocat, inutilem rem & abiectione dignam significat. vt Ieremiæ 2. *Nunquid solitudo factus sum Israëli, aut terra serotina.* Terra autem lugens ærumnam, pressuram, & afflictionem ostendit: sic Ierem. 4. *Lugebit terra, & mœrebunt cœli desuper.* Terra quoque exinanita vastationem & desolationem arguit, vt Ierem. 12. *Vsquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur, propter malitiam habitantium in ea.* Demùm terra culta, & exercitata pacem, & securitatem indicat, sicut Ierem. 31. *Adhuc plantabis vineas, in monte Samariæ plantabunt plantationes.* Item terræ cantus, & laudatio vel iubilatio, lætitiam maximam, publicámque indicat, vt Isai. 49. *Laudate cœli, & exulta terra,* & Iere. 50. *laudabũt super Babylonẽ cœli & terra, & omnia quæ in eis sũt.*

Porrò

TERRA.

Porrò terram nonnulli putant Humum dici à mari humido cui coniungitur, & Tellurem, quia fructus eius tollimus, & Aridam, quia araturæ, & culturæ est apta, vel quia propria siccitate à mari, & rebus humidis est distincta. Dicitur autem voce hebraica ארץ Eres, & significat tam habitabilem terram, quàm inhabitabilem. Putant quidam terram dictam esse ארץ Eres à רוץ Rvs, quod est currere, quòd super terram, currat, & circundet eam iugiter sphæra. Alij à רצץ Rasas, quòd teratur, aut quòd sit oppressa, & infimum omnium sit elementum, quò omnia inclinant vt ad centrum. Quia verò terra est infima, & in humili loco sita, hinc fit vt locus infimus, & humilis in sacris literis vocetur terra, iuxta illud Psal. 138. vers. 13. *Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ*, id est, in vulua loco inferiori & infimo. Hinc facilè intelliges locum illum Ezechiel. 1. vers. 13. *Cùmque aspicerent animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia.* Illud *super terram*, quod in hebraico est בארץ Baares, interpretatus est Chaldæus Paraphrastes, *sub altitudine cœli*, id est, in infimo loco respectu cœli: Nam terra est sub cœlo in loco infimo; Itaque quod dicit Baares *in terra*, siue *super terram*, Idem est ac si diceret, in loco infimo respectu rotarum, quæ quidem erant supernæ.

Significat porrò תבל Thebel terram, id est, orbem terrarum habitabilem, quare cùm בלל Balal commiscere sit, & confundere, putant aliqui orbem terrarum dici Thebel, quasi mixturam dicas, quòd in orbe habitato sint varia, & permixta creaturarum genera, vel quòd diluuio in ea omnia fuerint confusa: significat enim hæc vox orbem habitabilem. Vocatur quoque terra אדמה Adama à calore ruffo, qui propriè terram quam colimus designat; Interdum verò sumitur pro puluere terræ; quare aliquando coniungitur cum עפר Aphar, id est, puluere, vt Daniel. 12. vers. 2. *Multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobium.* Est autem notandum, in hebraico legi אדמה עפר Adama aphar sine præpositione aliqua, id est, terra puluis: Hinc fit, vt D. Hieronymus adiuncta præpositione In, hunc sensum formet: *Multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt*, id est, qui dormiunt in sepulchris, vel iam in terram sunt resoluti, euigilabunt & exurgent. Septuaginta verò non adiungunt terræ præpositionẽ In, sed ponunt præpositionem Ex, in hunc modum sensum eruentes: *Multi dormiunt, ex terra puluere exurgent*, id est, è sepulchris, aut ex terra ad quam reuersi fuerant: vbi notandum, nomen אדמה Adama terra cum עפר Aphar, id est, puluis, qui etiam terra est, coniungi ex abundantia, sicut in aliis locis scripturæ fieri solet, vt Psal. 39. vers. 3. *Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis*: Pro *de luto fæcis*, in hebraico est מטיט היון Mitit ha iavan, ad verbum, *de luto cæni*, quæ synonymorum congeminatio auxesim quandam habere videtur.

TERREMOTVS.

Terremotus verò terrorem, perturbationem, & calamitatem grauissimam ostendit: sic Ezechiel. 38. *Quia in die illa erit commotio magna in terra Israël à facie mea, pisces maris, & volucres cœli, & bestiæ agri.* Aristoteles autem in libris Me-

teor. teſtatur, ventum frigidum in ventre terræ agitatum eſſe cauſam terremotus, & in locis in quibus fit concurſus maris vehemens, & agitatio vndarum, ſi ibi ſint multæ cauernæ, fieri vehementes terremotus. Solet autem conſequi, vel comitari terremotum obſcuritas quædam, ſiue caligo quæ cœlum tegit abſque nube, quod accidit ex denſitate vaporum qui eleuantur à terra. Nubes autem in cœlo ſicut linea recta ante ſolis occaſum ſignum quoddam eſt, terremotum præceſſiſſe, fit autem rarò, aut nunquam terremotus in locis arenoſis. Contingit verò in locis quæ interius cauernoſa ſunt, exterius verò in ſuperficie dura, qualia ſunt montium loca: ſi enim terra in ſuperficie rara ſit, exhalante vapore paulatim non fit tanta vaporum aggregatio, vt poſſit mouere terram; quando enim locus intus eſt concauus & ſpongioſus, extra verò ſolidus & durus, tunc multitudine adunata vaporum fit aliquando adeò vehemens agitatio atque concuſſio, vt terram ipſam ſcindat & aperiat. Teſte autem Plinio lib. 2. cap. 81. maritima maximè quatiuntur, nec montoſa tali malo carent.

GLEBA.

6 Gleba ita dicta quaſi ſit globus: eſt autem fruſtum terræ, quales ſunt qui arando eruuntur. Conſtringuntur autem glebæ ex humore & puluere. Glebæ autem terræ variis nominibus hebraicis ſignificantur in multis ſacræ ſcripturæ locis, quorum expoſitio ex notitia huiuſmodi nominum maximè pendet, qualis eſt locus ille Iob 38. verſ. 38. *Quando fundabatur puluis in terra, & glebæ compingebantur*. vbi גברים GEBARIM, quod D. Hieronymus tranſtulit *glebam*, Septuaginta interpretes reddiderunt *lapidem cubum*. propriè autem רגב REGEB ſignificat glebam, partem terræ ſcilicet. Significat quoque cretam, id eſt, terram tenacem ex qua fiunt vaſa. Deſignat etiam & ſilices: hinc tam varia orta eſt huius loci interpretatio: Nam quod D. Hieronymus reddit: *Et glebæ compingebantur, id eſt, partes terræ, & eius fruſta coniungebantur, vt tota terra ſolida eſſet, ne partes eius aliquæ vacuæ remanerent*, alij exponunt *lapides*, alij *luta vel limi condenſabantur*. Alij *ſciſſiones terræ*, quæ æſtu, & pluuia fiunt, quas oportet coniungi & continuari. Propriè autem vox hebraica גוש GVS, ſiue גיש GIS gleba eſt terræ, pro qua trãsfert D. Hieronymus Iob 7. verſ. 5. *Sordes terræ*, Cùm ait: *induta eſt caro mea putredine, & ſordibus pulueris: cutis mea aruit, & contracta eſt*, vbi in hebraico eſt גוש עפר GVS APHAR, ad verbum, *gleba pulueris*, id eſt, ſicut fruſtum terræ ob maximam ſiccitatem in puluerem redactum, ſic cutis mea aruit: hoc autem vocat D. Hieronymus *ſordes pulueris*. Quoniam autem רמה RIMA putredinem, & vermem ſignificat, proinde D. Hieronymus: *Induta*, inquit, *eſt caro mea putredine*, & Chaldæus Paraphraſtes ait: *induta eſt caro mea vermibus*.

7 Præterea verbum שדד SADAD propriè ſignificat glebas contundere ſeu effringere ſiue occare: Ideò D. Hieronymus proprietatem huius vocis in latina tranſlatione exprimens dicit Iob 39. verſ. 10. aliàs 13. *Nunquid alligabis Rhinocerota, aut confringet glebas vallium poſt te*, id eſt, arabit agros vallium poſt te: id enim ſignificat ישדד IESADED: Hinc שדה SADE agrum deſignat. Hunc ſenſum ſecuti ſunt Septuaginta interpretes, qui ita transferunt: *aut trahet ſulcos*

T E R R A.

ſulcos in agro poſt te. Alij ſimpliciter exponunt: *Nunquid effringet valles, ſiue colles poſt te,* vt Chaldæus Paraphraſtes: Idem autem eſt ſenſus ac ſi dicat: confringet glebas vallium. Idem ſignificatur per hanc vocem שדד Sadad Oſeæ 10. verſ. 11. *Ephraim,* inquit, *vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli eius, aſcendam ſuper Ephraim, arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob:* ſic Iſai. 28. verſ. 24. *Nunquid tota die arabit, arans vt ſerat, proſcindet, & ſarriet humum ſuam.* Hinc שדים Siddim dicuntur agri, quorum ſcilicet glebæ contuſæ ſunt; vnde illud Geneſ. 14. verſ. 3. *Omnes iſti congregati ſunt in valle ſylueſtri,* id eſt, agreſti, in valle השדים Ha siddim, id eſt, agrorum proſciſſorum, vel certè occatorum. Chaldæus Paraphraſtes transfert: *in valle agrorum,* D. Hieronymus: *in valle ſylueſtri.* Arbitrantur aliqui eſſe nomen proprium illius vallis, ſic appellatæ à multitudine agrorum.

P V L V I S.

Si terra humore deſtituatur, & arida fiat, & in partes minutas diſſoluatur S hinc puluis conſurgit. Dicitur autem puluis à pellendo, vt quidam volunt, quòd ventorum impetu pellatur, qui leui vento facilè ſpargitur more cineris. Transfertur aliquando ad ſignificandum locum certaminis; itaque puluis minutiſſima, & viliſſima terræ pars in ſermonum ratione infimam hominum ſortem & conditionem ſignificat, vt 3. Reg. 16. *Pro eo quod exaltaui te de puluere, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſraël;* Extremam autem internecionem, & vaſtationem hac ſimilitudine indicat ſcriptura 3. Reg. 13. cùm ait: *Interfecerat enim eos Rex Syria, & redegerat quaſi puluerem in tritura Area,* & Pſal. 27. *Comminuam eos vt puluerem ante faciem venti.* Hominis autem mortui, & cadaueris conſumpti ſymbolum quoque eſt, ſic Pſal. 29. *Nunquid confitebitur tibi puluis.* Innumerabilem, & menſura carentem rem etiam indicat puluis, vt Pſalm. 77. *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes.* In puluerem autem dare os, eſt ſeipſum demittere, & fracto animo humillimum præbere, ſic Threno. 3. *Ponet in puluere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.* In puluere autem eſſe, aut iacere, calamitoſam, & ærumnoſam vitæ conditionem ſignificat, vt Pſal. 43. *Quoniam humiliata eſt in terra vita noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter.* Præterea puluerem in capita proiicere, mœrentium, & languentium eſt, puluerem in cœlum iactare dolentium, & indignè ferentium, ſic Apocal. 18. *& miſerunt puluerem ſuper capita ſua,* & Actorum 22. *vociferantibus autem eis,* &c. *& puluerem iactantibus in aerem.* Puluerem vero è pedibus excutere, geſtus eſt eorum qui communionem cum aliis deteſtantur, & ſocietatem omnem ſibi reſciſſam indicant, vt Lucæ 10. *In quamcunque autem ciuitatem intraueritis, exeuntes etiam puluerem qui adhæſit vobis, &c.* & Acto. 13. Paulus, & Barnabas excuſſo puluere pedum ſuorum in Iudæos Antiochenos venerunt Iconium: cinis autem nomine pulueris ſignificatur Numer. 19. verſ. 17. dicuntur enim ibi cineres puluis combuſtionis: *Tollèntque,* inquit, *de cineribus combuſtionis atque peccati, & mittent aquas viuas ſuper eos in vas:* Nam עפר Aphar eſt puluis: pro quo tranſtulit D. Hieronymus *cineres;* Litera verò hebraica ad verbum habet: *de pulueribus combuſtionis,* eſt autem idem prorſus ſenſus: pulueris enim combuſtionis ſunt cineres. Erant autem cineres cõbuſtionis atque peccati, cineres vaccæ piaculares, ſic etiam Deut. 9. verſ.

21.

TERRA.

LVTVM.

Quando terra humore soluitur, efficitur lutum, quod vilissimæ rei: aliàs autem molestæ, ideóque sine clementia de medio tollendæ significationem in similitudinibus ostendit, sic Sapient. 7. *Tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*, & Iob 13. *Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cineres vestri.* Item subiectio, subplantatio, & pœnarum repetitio sine clementia hac etiam similitudine indicatur, Isai. 10. *Ponam illum in conculcationem quasi lutum platearum*, & Psalm. 17. *Vt lutum platearum delebo eos* Aliquando etiam molestiam non facilè expuendam, & incommoditatem animo grauem significat, vt Abacuch 3. *Viam fecisti in mari aquis tuis, in luto aquarum multarum*, & Psal. 68. *Eripe me de luto, vt non infigar*; Psal. quoque 39. *Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis.* Hinc apud Terentium in Phormione in eodem luto hæsitare, est in eodem statu, in codémque periculo manere, estque græcum illud Prouerbium ἔξω τοῦ πηλοῦ πόδας ἔχεις, id est, *extra lutum pedes habes*, hoc est, emersisti è periculo, aut extra periculũ constitutus es, à viatoribus sumptum. Dicitur autem lutum hebraica voce בוץ Bos, siue בצה Bisa, quæ Iob 8. vers. 11. ponitur: eam autem per humorem reddit D. Hieronymus; *Nunquid viuere potest*, inquit, *scyrpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua*; Pro humore in hebraico est בצה Bisa, quod lutum, & locum cœnosum, & palustre significat, vt sit sensus: *Nunquid viuere potest scyrpus absque luto, siue absque cœno*, quod ex terra, & aqua conficitur: quem sensum reddit Chaldæus Paraphrastes. Sic etiam intelligendus est locus ille Iob 40. *Sub vmbra dormit in secreto calami in locis humentibus*, id est, lutosis: & locus etiam ille Ezechiel. 47. vers. 11. *In littoribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur:* Pro in palustribus est בצתיו Bisathav, id est, in cœnosis locis profundis plenis luto, vel vallibus profundis luto plenis. Lutum autem turbidum & liquidum, quale est vinum fœculentũ, dicitur propriè in sacris literis יון Iaven: quando autem lutum est densum, appellatur טיט Tit: adiungitur autem Iaven suo synonymo Tit sæpe auxesis gratia; Quare dictio ista Iaven Psal. 68. vers. 3. ponitur ad significandum lutum liquidum, vbi legimus: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.*

Lutum autem ex calce, & arena confectum, voce hebraica dicitur מלט 11
Melet: hæc autem vox significat etiam cryptam, quasi refugium vbi quis se abscondit: est enim מלט Malat euadere, liberari; significat etiam iuncturam ædificij. Propter multiplices istas significationes multiplicem etiam sensum suscepit locus ille Ierem. 43. vers. 9. *Sume lapides grandes in manu tua, & abscondes eos in crypta quæ est sub muro lateritio*, sic Hieronymus. Alij verò interpretantur: *abscondes eos in luto, siue in cemento.* Chaldæus Paraphrastes interpretatur: *abscondes eos in iunctura ædificij.* Quidam sic explicant: *abscondes eos in officina lateritia.* Quoniam verò apud Hebræos רפס Raphas est conculcare, & propriè conculcando turbare, hinc factum est, vt רפס Rephes lutum significet cœnosum; Quare D. Hieronymus Isaiæ 57. vers. 20. *Conculcationem* reddit: *Impij*, inquit, *quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum.* Alij interpretantur: *in cœnum, & lutum*: Sunt enim hæc

TERRA.

duo nomina Rephes, & Tit synomina, adiuncta hoc loco ad maiorem auxesim. Hieronymus dixit *conculcationem*, id est, cœnum conculcatum: id enim etiam hæc dictio significat. Illud etiam notandum est, dictionem חפל Taphel propriè significare id quod insulsum est, & insipidum, hincque transferri ad significandum lutum insulsum, id est, absque firmitate inconditum: in qua significatione hanc dictionem interpretatur D. Hieronymus Ezech. 13. vers. 10. cùm ait: *Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis*: Nam pro *luto absque paleis*, legimus in hebraico חפל Thaphel, vnde Chaldæus Paraphrastes exponit: *cum luto simplici absque paleis*, & est sensus: *ædificabant parietem, cui non erat firmitas, cum luto absque paleis*, id est, libero, simplici, puro, soluto; vnde vers. 15. D. Hieronymus linire eos ait absque temperamento: Et nota Taphel, quod insulsum significat, conferri posse cum נפל Naphal cadere, quasi deciduum & caducum, vel potest esse cõtrarium τῷ טפל Taphal, quod est concinnare, compingere; Quare in hoc Ezechielis loco materia ad compingendum inutilis, dicitur fatua & insulsa: propterea Septuaginta transferunt; *& ipsi liniunt cum stultitia cadit*. Hinc Iob 6. metaphoricè cæmentum latericium sine stramine dicitur, id est, non rectè confectum, & temperatum, quo si quid ædificetur structura parum firma sit & durabilis, quasi luto ædificata, non stabili materia.

MONTES.

12 Teste Aristotele lib. de proprietatibus, quidam dixerunt terram in principio compositionis suæ fuisse rotundam & planam, destitutam montibus & vallibus, quòd esset figura sphærica quemadmodum corpora superiora: sed postea aquarum agitationem, & commotionem cauasse loca rara, & partes duriores quæ excauari non poterant, factas esse montes: loca verò excauata esse situm maris, & fluuiorum, atque conuallium. Et in Meteoris ait, montes fieri quandoque ex vehementi motu terræ, ex quo terra eleuatur. Quemadmodum ex vehementi fluxu aquæ accidit profundè terram excauari, & fieri valles. Dicitur etiam maris accessu, & recessu aliquot loca excauata esse, quædam verò alia in altum sublata, ita vt montes inde consurgerent. Denique fieri potuit vt per diluuium tota terra aquis cooperta, quæ mollia erant, & rara abraderentur, & solida atque dura remanerent, sicque montes, valles, atque loca plana suis in locis sita consisterent: sed multò probabilius est, id contigisse ex diuina prouidentia, quando separatæ sunt aquæ ab aquis, & aquæ quæ sub firmamento erant, sunt cõgregatæ in locum vnum, & apparuit arida, quæ apparuit suis locis excauata, constans ex montibus, vallibus, & campestribus locis: neque enim est verisimile, ista omnia ante diluuium defuisse, quibus multum terra ornatur. Montes autem solidi sunt, duri, atque compacti, à terra versus cœlum erecti; ipsi tamen terræ radicitùs coniuncti, quandóque interius spongiosi & concaui, ob vacuitatem aquam ad se trahentes atque sugentes, quam repletis eorum cauernis, per capita fontium emittunt, & sunt origo atque principium fluminum. In montibus autem metalla gignunt nobilissima: fructus etiam selectissimi, & aromata prætiosissima procreantur ob puritatem aëris, qui in eorum versatur summitatibus: dulciores enim sunt montium

T E R R A.

montium fructus, quàm vallium, licet pauciores: facilius etiam, & citius radios solares recipiunt. Sunt quoque fœcundi, & vberes in herbis & pascuis, maximé que idonei habitationi animalium agrestium,& auium syluestrium; sunt tamen ventis, & turbinibus expositi magis quàm valles, & loca campestria. Viget verò in illis frigus,& niues diu multúmque manent: sæpius etiam patiuntur ictus fulminum; vnde Pyrenei montes ita dicti putantur à crebris fulminum ictibus: πῦρ enim græcè est ignis, κεραυνὸς verò est fulmen.

Montes itaque altissima terrarum loca sunt, multis rebus tum gignendis tum conseruandis opportuna. Dicuntur autem hebraicè הרים Harim, quòd lapidibus mineralibus, aquis,& aliis quampluribus succorum, & virtutum generibus grauidi sint: quam quidem rationem ad multa scripturarum explicanda loca tenere operepretium fuerit. Esse autem montes terrarum editissimam partem scriptura docet Psal. 103. *Ascendunt*, inquit, *montes, & descendunt campi in locum quem fundasti eis*. Diluuij etiam aquæ Genes. 7. vt vniuersam terram inundasse arguantur, excelsos montes operuisse referuntur. Solent etiam montes, quòd editi, & cœlo proprinquiores esse videantur, majestatis cuiusdam speciem præbere: Quamobrem diuinis spectris, & admirandis cœlestium mysteriorum exemplis exhibendis montes deliguntur, vt Sinai,& Phare,& Thabor. Hinc Exod. 19. *Moyses ascendit ad Deum, vocauitque eum Dominus de monte*, & Abacuch 3. *Deus ab austro veniet, & Sanctus de monte Pharam*, & Deuteron. 5. *Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis*. Lucæ quoque 9. Christus in monte Thabor gloriæ suæ specimen tribus discipulis conspiciendam præbuit,& 2. Petri 1. *Hanc vocem*, inquit Petrus, *nos audiuimus de cœlo allatam cùm essemus cum ipso in monte Sancto*. Montes etiam ad habitandum securitatis causa petunt, atque naturæ firmitudine, & ascensus difficultate tutiores efficiunt vrbes: Hinc Genes. 36. *Habitauit Esau in montibus Seir, ipse est Edom*. Et Iosuë 19. Iosuë data est Thamnata Sara in mõte Ephraim, & ædificauit ciuitatem, habitauítque in ea, Genes. quoque 19. *Noli respicere post te, nec stes in omni circum regione, sed in monte saluum te fac*. Eminentes etiam montium situs rebus, vel signo, vel voce indicandis, commodissimum locum præbent, quòd liberior aëris tractus vocis sonum latius deferat, & prospiciendarum imagines rerum nullo impeditæ obice longius spatium permeare possint: Hinc fit, vt bellica, vel alia signa in montibus tollantur, vel indicandarum rerum clamores,& præconia ex iisdem locis edantur. Hinc Isaiæ 40. *Super montem excelsum ascende tu qui Euangelizas. Sion exalta in fortitudine vocem tuam*. 13

C o l l i s.

Collis autem minor mons à colendo dicitur: Nam, vt inquit Varro, quòd primum fructus ex agro capiebant, campus dictus est: posteaquam superiora loca colere cœperunt, à colendo colles appellauerunt. Colles autem Romæ septem fuerunt, vnde & septicollis dicta est: Palatinus scilicet, Quirinalis, Auentinus, Cœlius, Viminalis, Exquilinus, & Tarpeius, siue Capitolinus. In sacris verò literis mons Phasga dicitur hebraicè הפסגה Pisga. Significat verò hæc dictio collem: Nam פסג Pasag interdum significat separare, distribue- 14

X 2 re,

re, vnde quidam vocem hanc cum פסח Pesach conferunt, id est, transire, siue transilire: Ita vt פסג Pasag sit quasi gradatim, & per saltus ædificare, vt in mœniis, aut in muris per interualla pinnæ fiunt: significat enim in Piel roborare, munire, & propterea hunc Moabitarum montem contra Hiericho volunt dictum Phasga, à iugorum, & collium gradatione. Est enim mons iste maximus, continens in se multos peculiares montes: Nam in eo sunt Abarim, & Nebo, qui sunt colles super quos ascendit Moyses, vt videret terminos terræ promissionis antequam moreretur. Hic autem mons situs fuit in finibus Moabitarum, & Amonitarum, diuidens terram eorum à terra Amorrheorum, quam postea possederunt Ruben, & Gad, & dimidia Tribus Manasse, vt patet Deuteronom. 3. Atque ita isti montes diuidebant terram, quam inhabitabant Moabitæ, & Amonitæ, à terra quam in possessionem receperunt Israëlitæ. Ad verticem autem huius peruenit Moyses, & ex eo loco totam terram promissionis fuit contemplatus. Super montem istum Phasga ascendit Balaam Ariolus cum Balac Rege Moabitarum, vt malediceret populo Israëlitico, cuius maledictionem conuertit Dominus in benedictionem, vt scribitur Numeri 23. Itaque Deuteronomij 3. vers. 27. vbi legimus: *Ascende cacumen Phasgæ, & oculos tuos circumfer ad Occidentem, & ad Aquilonem, Austrum, & Orientem, & aspice: nec enim transibis Iordanem istum.* D. Hieronymus vocem Pisga nomen facit proprium huius montis, & transfert, *Phasga:* Chaldæus verò Paraphrastes, *collem*, reddit: *Ascende*, inquit, *cacumen collis.* Septuaginta verò interpretes, quia varios continebat colles propter iugorum, & collium gradationem, ob quam dictus est Pisga, transtulerunt: *Ascende in verticem excisi:* Græcè τοῦ λελαξευμένου, quòd per huiusmodi iugorum gradationem excisus videatur: sic etiam in Hispania dicitur *Monserrat*, mons quidam celebris, quòd excisa eius saxa, & quasi serra diuisa videantur, qui ob deuotionem, & cultum Beatæ Mariæ Virginis toto anno maxima ac frequenti hominum copia celebrantur.

15 Colles itaque cùm minus quàm montes sint editi, & magis intus solidi montes fœcundi sunt, vtque illi à gignendi virtute הרים Harim, sic rursus hi à situ tantum sublimi גבעות Gebaoth dicuntur. Horum differentia sæpe in sacris obseruatur sermonibus, vt Iere. 50. *De monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui.* Vanum autem falsorum Deorum cultum in collibus, sicut in montibus celebratum legimus, vt 4. Reg. 16. *Immolabat quoque victimas, & adolebat incensum in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso*, & 4. Reg. 17. *fecerunt sibi statuas, & lucos in omni colle.* Idem habes Ierem. 22. & Ezechiel. 6. Colles autem, vel lacte fluentes, vel alia vtilitatis adnotatione insignes, fœlicem rerum statum, & magnam renouationem significant, quando colles natura sua minus fœcundi sunt. Quamobrem summa illa per Christum efficienda prosperitas, his imaginibus descripta olim à vatibus fuit, sic Ioël. 3. *Et erit in die illa, stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*, & Amos 9. *Stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.* & Isai. 41. *Aperiam in sublimibus collibus flumina.* Per colles etiam illi præcipui Patres significantur Adam, Seth, Enoch, Noë, Abraham, & cæteri, Genes. 49. *Donec veniat*, inquit, *desiderium collium*

lium aeternorum,& psal.71.*Suscipiant montes pacem populo,& colles iustitiam*,& Isai 55.*Montes & colles cantabunt coram vobis laudem.* Collis etiam nomine superbia humana,& ambitio indicantur,sic Isaiæ 41. *Et colles quasi puluerem pones*, & Isaiæ 40. *Omnis mons & collis humiliabitur*, Ieremiæ quoque 4. *Et vidi montes*, *& ecce mouebantur,& colles omnes turbati sunt.*

VALLIS.

Vallis est planicies duobus lateribus inclusa,dicta autem vallis,quòd hinc atque hinc montibus vallata sit. Est autem vallis receptaculum aquarum à riuulis fontium defluentium, & etiam vehiculum: Nam à riuulis ex montibus emanantibus irrigatur,& ex illorum circumfusione floribus fœcundantur,& frondium,florúmque virore & varietate decorantur. Est autem voce hebraica בקעה Bika, quod nos planitiem & campum dicimus, sed inter montes situm, id est, vallis, vocatúrque sic, quòd sit scissa, & dissecta, atque diuisa vtrinque à montibus: est enim בקע Baka scindere, rumpere. Id autem voluit significare D. Hieronymus Isaiæ 40. vers.4. *per vias planas*, inquit, *vallis exaltabitur*, *& omnis mons & collis humiliabitur, & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.* Est enim in hebraico *per vias planas*, לבקעה Lebika, ad verbum,*in valles*, intellige in valles planas, siue in campos positos inter montes; vnde Chaldæus Paraphrastes interpretatur: *& aspera in campum planum.* Sæpe autem D.Hieronymus vocem hanc בקעה Bika,id est, *vallem*, per campum exponit,vt Ezech.37.vers.1.Deuteronom.8.vers.7.Isaiæ 63.vers.14.& cap 54. vers.3.& Amos 1.vers.5.quibus in locis intellige campum planum inter montes situm. Propriè autem שרון Saron in sacris literis est terra campestris & ferax, quam D. Hieronymus per conuallem designauit Canticor. 2. vers. 1. cùm ait:*Ego flos campi,lylium conuallium*,tales enim esse solent planities conuallium, quæ montibus circundatæ sunt, & abundant aquis ex lateribus montium,& fontium decurrentibus:שור Svr enim est descendere & extendere, quasi dicas,locum planum & extensum. Itaque pro eo quod D.Hieronymus, *conuallem*,transtulit, legimus in hebraico שרון Saron:reliquit autem Hieronymus vocem propriam hebraicam Isai.33.vers.9. vbi legimus:*luxit, & elanguit in terra:confusus est Libanus & obsurduit:factus est Saron sicut desertum.* Ad intelligentiam huius loci est notandum, in eo per שרון Saron significari locum campestrem & planum, pinguem & feracem, montibus circundatum, sicque teste Hieronymo hoc Isaiæ loco κατ᾽ ἐξοχὴν,id est, per excellentiam vocari totam campestream regionem inter montem Thabor,& lacum Tiberiadis, à Cæsarea Ioppen vsque se extendens, quæ pinguis est & ferax, & hæc significatur cùm legimus: *Factum est Saron in desertum*, cuius regionis amœnitas & pulchritudo atque vbertas significatur etiam Isaiæ 35.vers.2.*Germinans*,inquit,*germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei; decor Carmel & Saron.* Huius regionis mentio fit Acto.9. vers.35. quando Petrus sanauit paralyticum nomine Æneam,de quo ibi legimus: *Et continuò surrexit, & viderunt eum omnes qui habitabant Lydde, & Saroce, qui conuersi sunt ad Dominum*, 16

Reperitur quoque in sacra scriptura vallis vocata גיא שמנים Ge semanim 17

NIM, id est, vallis pinguium cuius mentio fit in nouo Testamento Matth. 26. vbi Gethsemani scribitur. Comparatur autem Samaria Isaiæ. 28. vers. 1. valli pinguium, in hæc verba: *Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis eius, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantis à vino.* vbi pro *vallis pinguissimæ* habes גיא שמנים GE SEMANIM, id est, vallis pinguium. Est autem sensus: *qui erant in vertice vallis pinguissimæ*, id est, qui erant quasi vertex vallis pinguium, comparat enim verticem eorum ob multas voluptates, & delitias, in quibus versabantur, effusioni olei supra verticem & caput iugiter stillantis fluentisque instar aquæ in torrente & valle: vel ideò dicit, *qui erant in vertice vallis pinguium*, nempe exagerandi gratia, ob multitudinem olei & vnguenti aromatici quod effundebant super caput suum, ac si esset vallis plena aquis. Quod autem addit: *errantes à vino*, in hebraico est הלומי יין HALOMO IAIIN: significat autem הלם HALAM frangere & contundere, quasi dicat: concussi à vino: vinum enim eos concutiebat, ita vt ebrij in terram caderent, volutantes se continuo vomitui; vnde & Chaldæus Paraphrastes hoc idem sic exponit: *Qui erant*, inquit, *in capite vallis pinguissimæ, confracti à vino*, Septuaginta verò interpretes de ebrietate animi exponunt: nam vocant eos ebrios, non à vino, quasi ebrios & turbatos multitudine vitiorum, & concupiscentia. Quare illud quod Hieronymus transfert: *Væ coronæ superbiæ ebrijs Ephraim* Septuaginta interpretantur: *Væ coronæ iniuriæ mercenarij Ephraim.* nam dictio hebraica שכרי SICRE duplicem habet significationem: designat enim ebrios, & mercenarios: si enim שכר SABAR scribatur cum ש in dextro cornu est inebriare: si verò in sinistro, est mercari, mercede conducere, legerunt autem Septuaginta interpretes per literam ש in cornu sinistro.

18 Plerumque autem amenæ valles, quæ inter montes visuntur in sacra scriptura, nomina sumpserunt à præcipuis plantarum quas proferunt, vt Numer. 24. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël, & valles nemerosæ.* Et Nume. 23. *Cùmque venisset vsque ad vallem Botri*, & Iosue 16. *de Taphna pertransit contra mare in vallem arundineti.* His etiam accedit natiua quædam vallium fertilitas, segetibus & frumentis colendis opportuna, vt 1. Reg. 6. *Porrò*, inquit, *Bethsamitæ metebant triticum in valle*, & psal. 64. *induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento*, sic Isaiæ 17. *erit sicut colligens spicas in valle Rephaim*, & Isaiæ 27. *erit flos decidens gloriæ exaltationis eius, qui est super verticem vallis pinguium.* Vallis etiam in scriptura certo cognomine adiuncto rei gestæ monumentum posteritati conseruatum produnt, vt Iosue 7. *Vocatúmque est nomen loci illius vallis Achor vsque hodie*, & 2. Reg. 17. Porrò Absalon erexit sibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui est in valle Regis, & 2. Reg. 23. *Necnon & ante ascenderant tres qui erant principes inter triginta, & venerunt tempore messis ad speluncam Odollom; castra autem Philistinorum posita erant in valle Gyganteum*, & Ierem. 7. *Ipsa est quæ adoleuit incensum in valle Benannon.* Genes. quoque 14. *Qui erant cum eo in valle Saue, quæ est in valle Regis.*

CAMPVS.

19 Campus est grande & amplum spatium, vt plateæ areæque, dictus campus à capiendo, quòd animalium, seu rerum aliarum multitudinem facilè capiat: seu

TERRA.

ſeu quòd veteres ex agro tantùm plano capiebant fructus, vel potiùs vt Scaliger in Varronem notauit, à verbo Siculo, qui circum, aut hippodromum καμπὸν vocabant, à flexu equorum & quadrigarum quæ ibi certabant, inde omnia plana campi dicti. Ager autem dicitur ille campus quem colimus, vocatùrque ita ab ago, quòd in eo aliquid agatur, vel, vt Donatus inquit, quòd in eo multa ſint agenda. Quintilianus li. 10. ſcribit grẹcum eſſe: nam ἄγρος latinè rus dici poteſt: ſignificatque ager quando circumiectum territorium alicuius vrbis ſeu prouinciæ: quandoque ſignificat partem quandam ipſius territorij eius vrbis, quæ priuatim ab aliquo poſſidetur, & eſſe videtur rus in quo, & domus, & omnia quæ in agro ſunt, generaliter continentur, id eſt, quẹ captu ipſius partes eſſe poſſunt. Quandoque verò ager ſignificat locum in rure, quem colimus, ſiue arando, ſiue conſeruando. Denique quæ poſſeſſiones dicuntur, item fundi prædia, rura agri ſunt: ſed hoc differunt, quòd poſſeſſiones ſunt agri latè patentes, publici priuatique, quos initio non mancipatione, ſed quiſque vt potuit occupauit, atque poſſedit, vnde & ſic nuncupati. Fundus autem dictus, quòd in eo fundatur, vel ſtabiliatur teſtimonium. & tam vrbanum ædificium, quàm ruſticum, fundus intelligendus eſt: Prædium appellatum quòd antiqui agros quos bello caperent, prædẹ nomine habebant. Rura verò incultos agros, id eſt ſyluas, & paſcua veteres dicebant.

Fuerunt autem loca quædam campeſtria & paſcua in deſerto, vocata נאות NEOTH, quæ ſæpe ſpecioſa deſerti vocant Septuaginta interpretes pſal. 64. verſ. 13. *Pingueſcent*, inquit, *ſpecioſa deſerti*, *& exultatione colles accingentur*, quæ aliqui vocant: *habitacula deſerti*. Nam vox iſta duo poteſt ſignificare ex duplici ſignificatione verbi נוה NAVA, quod & habitare deſignat, & etiam eſſe ſpecioſum atque decorum, gratioſum, ſiue venuſtum. D. Hieronymus in hac poſtrema ſignificatione hanc vocem interpretatur, & ferè ſemper vbi hoc verbum occurrit, illud in hac ſignificatione ſumit, quem multi ex recentioribus ſequuti ſunt: Putant enim idem eſſe quod venuſtate ſua inuitare ad concupiſcendum aliquid. Exiſtimant enim eſſe affine verbo אוה IVA deſiderare. Hinc fit, vt נוה NAVE ſit locus amœnus, paſcuis ſcilicet, vbi ſit villa vel tugurium, ſiue rus, vnde in plurali in regimine נאות NEOTH deſignat paſcua ſpecioſa & decora: quò alluſiſſe putant Epiphanium lib. 1. aduerſus hæreſes hære. 24. vbi ait Ægyptios paſcua circa vrbes ſuas vocare lingua ſua materna *Nomos*, vt non græcè dicere voluerit, ſed hebraicè Neoth voce corrupta. Ex altera verò ſignificatione qua נוה NAVA habitare ſignificat, alter promanat ſenſus, nempe: *ſtillabunt*, *ſiue rorabunt nubes in habitacula deſerti*: Erant enim paſtorum caſæ in deſerto paſcuis vicinæ: in hoc enim paſcuo fieri & extrui conſueuerunt eorum habitacula.

21 Itaque ager, ſiue campus quod ad hebraicum nomen attinet, propriè ſumptum locum ab vrbibus diſtinctum, vel naturæ ſponte, vel hominum cultu variarum plantarum feracem, alendiſque tum hominibus, tum feris idoneum ſignificare, hebraicè dictum שדה SADE, voce deducta à verbo abundantiam & fertilitatem ſignificante, vt Gen. 2. *Omne virgultum agri antequam oriretur in terra*, & Exod. 10. *Dabit pluuiam terræ veſtræ temporaneam & ſerotinam, vt colligatis*

frumen-

frumentum ex agris ad pascenda iumenta , & Gen. 27. *Odor filij mei sicut odor agri pleni*. Petitur autem interdum ager, siue campus ad secreta, vel consilia capiēda, vel facinora remotis arbitris obeunda, sic Gen. 31. *Iacob misit & vocauit Rachel, & Liam in agrum vbi pascebat greges, dixitque eis*, &c. & Cantic. 7, *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum*, & Gen. 4. *Cùm essent in agro Cain & Abel, insurrexit Cain aduersus Abel fratrem suum, & interfecit eum*. Interdum etiam ager in sacris literis idem quod apud latinos, significat certam regionem, vel terræ partem vrbibus vel oppidis adscriptam , limitibúsque contentam suis, sic Iosue 5. *Cùm autem*, inquit *Iosue esset in agro Iericho*, &c. Campi verò ædem, quę & agri vsurpatio est, vt psal. 64. *saturabuntur ligna campi*, & psal. 103. *Inueniemus eam in campis syluæ*, & psal. 31. *Gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt*.

Caput XI. DE SVBSTANTIA LAPIDEA VVLGARI.

1 EX solà terra lapis non fit : nam excedens siccitas non sinit eam coagulari, vt enim fiant lapidis necessaria est congelatio aut conglutinatio, ex commixtione enim aquæ & terræ fit lutum , quasi medium inter terram & lapidem , quod partium conglutinatione & constrictione successu temporis in lapidem conuertitur. Itaque terra per vehementem conglutinationem & cōmixtionem humoris in lapidem vertitur, qui ex diuersitate terræ, diuersorum colorum recipit qualitatem. Nonnunquam etiam gignuntur lapides ex aquæ congelatione , quadam virtute minerali loci illius, vbi procreantur , & iuxta lapidum materiam, quidam lapides sunt raræ substantiæ, alij magis solidæ atque compactæ, & quidam citius coalescunt , alij tardiùs iuxta maiorem vim agentium, & debiliorem virtutem patientium facultatum: virtus enim cœlestis influens in loca mineralia, quò magis aptam, & suæ actioni magis subiectam reperit materiam , nobiliores in eis imprimit qualitates. Hinc quidam lapides pretiosi natura, & vim planetarum in suis operationibus imitantur, vt constat de Topazio qui motū Lunæ sentire perhibetur, teste D. Ambrosio & Basilio, Isidoro, & aliis viris eruditissimis. Lapides autem in vniuersum frigidi sunt, & sicci, solidi, duri graues, ac ponderosi, pondere suo centrum petentes, terram autem comprimunt , cuius partes adinuicem vniunt , & coniungunt: ne dilatentur. Itaque lapides sunt veluti ossa terræ: quod enim præstant ossa in corpore, id efficiunt in variis terræ partibus : ipsam enim consolidant, ne partes eius nimia siccitate abinuicem defluant, qui quamuis aquarum maxima, ac vehementi inundatione non emolliantur, stillicidiis tamen guttatim descendentibus excauantur : si verò candentes in vini dolium extinguantur , ipsum vinum corrumpunt, & in acetum conuertunt.

2 Conferunt autem ad plura lapides iuxta varietatem suæ naturæ : ex lapidibus enim extrahitur aurum, educitur argentum, & cætera metalla quæ occulta secum habent. Sunt etiam aliquando medicorum vsui necessarij lapides, ac medicamentorum compositioni deseruiunt. Sunt etiam ad ædificia construenda , & parietes erigendos vtilissimi lapides , quibus etiam plateæ sternuntur , pontes construuntur , turres amplificantur , castra & ciuitates muniuntur

LAPIS VVLGARIS.

niuntur: hinc fit vt maxima diligentia ab ipsis montibus excidantur, polian-tur, & optimo ordine suis quique locis aptis & idoneis ab Architectis collocentur, qui vt firmi maneant, cemento adinuicem coaptari solent, quo etiam extrinsecùs obducuntur, & æqualiter liniuntur, vt pulcherrimum & fortissimum ædificium consurgat. Lapis autem apud veteres fuit indicium firmitatis fœderum: nam teste lapide apud eos fœdera solita sunt firmari, quæ vt homines scirent rata fore, Fecialis agnum læua manu dextera silicem retinens, si falleret Iouem, cæteróſque precatus Deos, ita se mactaret quemadmodum ipse agnum, & secundùm imprecationem saxo caput pecudis elidebant, quæ latiùs explicata sunt apud Polybium lib. 3. in fœdere cum Carthaginensibus primùm icto, quod æneis tabulis inscriptum in æde Capitolini Iouis diutissimè permansit. Erant & iuramenti species per lapidem simpliciter, vt Athenienses iurare soliti, quod Aristoteles, & Philoponus subinnuunt, & Demosthenes contra Cononem.

Hebraica verò voce appellatur lapis אבן Eben, deducitur autem è בנה 3
Bana ædificare, quòd lapis sit ad ædificandum aptus. Hinc Gen. 11. vers. 3. *& habuerunt lateres* לאבן Leaben *pro saxis siue lapidibus*. Carebant enim lapidibus ad ædificandum idoneis, ideò pro eis vsi sunt lateribus. Est etiam illud notandum hanc vocem cum propriè lapidem significet, per translationem in sacra scriptura significare vniuersum, siue omne, eò quòd lapis vnum sit corpus & totum suam substantiam in seipso contineat. Quare locum illum Gen. 49. vers. 24. *Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum eius, & manuum illius per manum potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel*, sic quidam interpretantur: *Pastor egressus est omnis Israel*, id est, vniuersi populi Israëlitici. At D. Hieronymus in propria significatione transtulit lapidem: *Pastor*, inquit, *egressus est lapis Israel*, cuius expositio præstantior multò est, quæ variè accipitur. Quidam enim putant Israëlem esse lapidem metaphoricè, quòd sit præcipua pars totius ædificij orbis. Alij interpretantur *lapidem Israel*, id est, ducem, siue caput populi Israëi, qua significatione sumitur lapis Isaiæ 28. vers. 16. *Ecce ego mittam*, inquit, *in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem pretiosum, in fundamento fundatum*, & Thren. 4. vers. 1. lapides Sanctuarij dicuntur magnates & viri insigniores. Ezech. quoque 28. vers. 14. lapides igniti vocantur Angeli. Hac ergo ratione lapis significat ipsum Iacob ducem & caput populi Israëlitici. Non desunt qui lapidem exponant Prophetam, Gubernatorem. Septuaginta autem interpretes longè aliter legerunt quàm D. Hieronymus, quorum interpretatio est: *Inde roboratur Israel à patre suo*: nam pro אבן Eben, legerunt אבו Abo *patre suo*: facile enim ן finalis pro ו Vav accipi potuit. Præterea quod D. Hieronymus transfert רעה Rohe *pastorem*, ipsi interpretantur, *roboratur*, nam רעה Raa est pascere, nutrire, & etiam significat roborare. Chaldæus verò Paraphrastes alium etiam nobis huius loci sensum reddit, nempe: *Cuius verbo gubernantur patres & filij Israel*. Causa autem diuersitatis est, quia pro אבן Eben *lapis*, legerunt אבבן Abben, id est, *patrem & filium*, & pro שם Sam legerunt שם Sem id est, nomen transferunt משם Misem in verbo. Transfertur quoque aliquando Eben, id est lapis, ad significandum

Y mensu

LAPIS VVLGARIS.

mensuram,& pondus:sic hæc dictio est accipienda Prouerb. 20. vers. 10. vbi pro EBEN *pondus*, transtulit D. Hieronymus, *Pondus*, inquit, *& pondus, mensura, & mensura, vtrumque abominabile est apud Dominum*, in hebraico ad verbum habes, *lapis, & lapis*. Chaldæus etiam Paraphrastes *pondus* reddidit: *Pondus*, inquit *& pondus*, id est, duplex pondus, maius nempe minusque, quòd ex lapidibus pondera fierent ad stateræ mensuram; vnde Septuaginta transtulerunt: *statera magna & parua, & mensura duplex*, in eodem sensu.

4 Lapis verò aut ex naturæ nobilitate & pulchritudine, aut ex magnitudine, & breuitate spectatus, variam in sermonibus obtinet significationem: namque vilissimi in eo genere sunt, qui fundæ aptantur, atque itatem vel personam nullius, vel precij, vel momenti significant, vt Ezech. 2. *& deuorabunt, & subijcient lapidibus fundæ*, & Iob 49. *in stipulam versi sunt, & lapides fundæ*. Nonnũquam etiam vana illa, & nullius vsus falsorum Deorum simulachra, quæ à gentibus colebantur, per irrisionem lapides dicuntur, vt Isaiæ 37. *Non enim erant Dij, sed lignum & lapis, & comminuerunt eos*; Ieremiæ quoque 2. *dicentes*, inquit, *lapidi tu me genuisti*, & Ierem. 3. *mechata est cum lapide & ligno*, & Ezech. 20. *Erimus sicut gentes, & sicut cognationes terræ colemus ligna & lapides*. Lapis autem angularis vel anguli & fundamenti, est cui omnis ædificij structura innititur; huiusmodi autem imagine Christus Ecclesiæ caput, & vtriusque populi Pontifex & conciliator indicatur, vt Ierem. 51. *Non tollent de te lapidem in angulum, nec lapidem in fundamenta*, & Zachariæ 3. *Ecce lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum septem oculi sunt*, & Isaiæ 27. *Ecce mittam in fundamentis Sion lapidem probatum*, &c. & psalm. 117. *lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Sunt autem notandæ variæ dictiones hebraicæ, quæ diuersa lapidum genera in sacris literis designant, diuersum enim nomen lapillus sortitur à saxo, & saxum à silice.

LAPILLVS.

5 Ac imprimis lapillus in sacris literis varia etiam sortitur nomina: nam cùm צרור SEROR propriè ligantem significet à צרר SARAR ligare, erectari, angustiis constringi, hinc transfertur ad significandum lapidum fasciculum, & locum vbi aliquid ligatur & constringitur, sumitúrque synecdochicos pro ipso lapillo, calculo, aut scrupulo, qui in fasciculo ligari potest, sicque intelligendus est locus ille Amos 9. vers. 9. *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro, & non cadit lapillus super terram*, vbi dictionem hebraicam צרור Hieronymus transfert, lapillum, *& non cadet*, inquit, *lapillus super terram*, id est, non cadet granum tritici: id enim hoc loco lapillus significat, quòd granum tritici sit graue aut scrupulus, ad discrimen paleæ, quæ vento abripitur: sic Septuaginta hoc interpretati sunt: *non cadet granum super terram*.. Nonnulli צרור SEROR ad significandum צהר SVR, vel צור SOR, propterea reuocant qui vicinæ radices sunt צור, & צרר SOR, & SARAR: verùm צרור SEROR nonnisi minutum lapillum significat, vnde Chaldæus Paraphrastes hoc idem exponit: *Quemadmodum*, inquit, *solent conuoluere triticum in cribro, de cuius medio ne lapillus quidem intercidit in terram*. Porrò quia חצץ CHASAS dimidiare & diuidere significat, dictio hebraica חצץ

CHA

LAPIS VVLGARIS.

Chasas duplicem sortitur significationem: ac imprimis, quoniam ex diuisione fit multiplicatio & numerus, hinc est, vt ipsum numerum significet. Deinde significat etiam lapillum & calculum, quasi sit penetrans, cùm sit asper & acutus, ex eò quòd חצץ Chasas est diuidere, & in frusta conscindere. Alij putant sic vocari lapillos paruulos, quasi sint multæ inscisiones, siue frusta, hinc factum est, vt ista vox Threno. 3. vers. 16. à D. Hieronymo transferatur in prima significatione, vt numerum designet: *Confregit*, inquit, *ad numerum dentes meos: cibauit me cinere*, sensus est: *confregit ad numerum dentes meos*, id est, omnes dentes meos, qui certo numero continentur. At verò Septuaginta interpretes secundam significationē secuti, *lapillum* posuerunt *eiecit*, inquiunt, *lapillo dentes meos*. Idem voluit significare Chaldæus Paraphrastes, cùm dixit: *Confregit lapidibus dentes meos*. Dictio quoque hebraica מעות Mehoth apud Isaiam 48. vers. 19. lapillos significare testatur. D. Hieronymus, & Chaldæus quoque Paraphrastes, sic enim D. Hieronymus: *Et fuisset*, inquit, *quasi arena semen tuum, & stirps vteri tui, vt lapilli eius*: sensus est: *stirps vteri tui fuisset vt lapilli*, nempe arenæ maris, quæ sunt grana parua, siue scrupuli & oboli eius. Hinc scriptores hebræi hac voce plurali pro nummis vtuntur, quia nummi sunt in star lapillorum, est autem notandum מעים Meaiim esse ipsa viscera, quare nonnulli *viscera*, id est, interiora maris exponunt, vt sit sensus: *& stirps vteri tui sicut interiora maris*, id est, sicut pisces qui sunt intra mare. Alij verò *lapillos* interpretantur, sed aiunt vocari מעות quòd sint velut maris viscera ipsi lapilli, siue grana arenæ.

SAXVM.

Lapis verò qui græcè λίθος dicitur, à nonnullis ita à saxo distinguitur, vt lapis mitior sit, minórque ac tenerior: Saxum verò maius, asperius, duriúsque, hinc gemmæ, lapides, non saxa dicuntur. Sed hæc differentia non omnino quadrat, cùm non semper lapides magnitudine à saxis distinguātur: nam Plinius etiam columnas ex vno lapide fieri, & Laocontis statuam ex vno lapide excisam fuisse affirmat. Videtur itaque magis dicendum, saxum esse quòd ex rupibus vel ex lapicidinis exscinditur, lapidem illum qui è terra effoditur. 6

PETRA.

Petra verò græcè πέτρα, propriè idem est quod rupes, accipitur tamen nonnunquam pro lapide & saxo: est autem סלע Sela idem quod petra, transferturque ad significandam fortitudinem, munitionem & arcem, quod cōseruatur vt plurimùm super petram. Hinc D. Hieronymus, *fortitudinem*, transfert, Isaiæ 31. vers. 9. *Et fortitudo*, inquit, *eius à terrore transibit, & pauebunt fugientes principes*, id est, transibit, & deficiet fortitudo eius præ timore. Alij verò interpretantur, *Ab arce sua munitione transibit præ timore*. Nonnulli arcem, & munitionem accipiunt pro regno, siue Rege, & principibus eius, vt sit sensus: *arx* id est, *Rex, & principes eius*, qui sunt regni arx & munitio, *præ timore transibunt, & recedent à regno*. Sunt qui arbitrantur deficere ל legendúmque לסלע Lasela *ad arcem suam*, quasi dicat: *Et fugiet ad arcem suam, & turres suas fortes præ timore*. Denique dictio hebraica חלמיש Chalamis propriè rem duram de- 7

LAPIS VVLGARIS.

ſignat & fortem, à חלם Chalam, vt nonnulli putant, quod eſt condenſare, quare ad petram ſignificandam transfertur, & non ad quamcunque, ſed fortiſſimam. Hinc Deuteronom. 32. verſ. 13. cùm legimus: *Et educeret mel de petra, oleúmque de ſaxo duriſſimo*; pro ſaxo duriſſimo, ſcriptum eſt מיחלמיש צור Mechalaus sur *de ſaxo petræ*, id eſt, de duritie petræ: ſic Deuteronom 8. verſ. 15. *qui eduxit riuos de petra duriſſima*, in hebraico ad verbum, *de petra ſaxi, ſiue ſilicis*, id eſt, de petra duriſſima, quale eſt ſaxum. Fortitudo autem petræ vocabulo hebraico כיף Ciph, ſiue כף Ceph ſignificatur: deſignat enim hæc dictio petram fortiſſimam, vnde Petrus dictus eſt Cephas, id eſt petra fortiſſima: hoc enim ſonat Petrus: nam græcis ὁ πέτρος eſt petra, ſaxum. Quare Chaldæus Paraphraſtes כיפא Cepha vocem chaldaicam ponere ſolet in ſua tranſlatione pro סלא Sela hebraica voce, id eſt, petra. Errant ergo qui ad כפף Caphath hanc dictionem referunt, quaſi petram concauam ſignificet: ſignificat enim ſaxum forte, ſuper quod fundata, & ædificata eſt Eccleſia Dei, quam vocem ſcriptura vſurpauit Ierem. 4. verſ. 29. cùm ait: *A voce equitis & mittentis ſagittam fugit omnis ciuitas, ingreſſi ſunt ardua, aſcenderunt rupes*, vbi pro *rupes*, eſt כפים Cephim. Notandum etiam quoque שן Sin, id eſt, *dentem*, per tranſlationem petram ipſam ſignificare, à שנן Sanan acuere, quòd dens ſit acutus. Hinc ad petras, & ad alias res acutas transfertur, quæ figuram dentium & ſpeciem refert: Hinc D. Hieronymus 1. Reg. 14. vbi legimus: *Erant autem inter aſcenſus, per quos nitebatur Ionathas tranſire ad ſtationes Philiſtinorum, eminentes petræ ex vtraque parte, quaſi in modum dentium ſcopuli hinc inde prærupti*: pro שן ה סלע Sen ha sela, quod dentem petræ ſignificat, poſuit, *quaſi in modum dentium ſcopuli hinc inde prærupti*, quod in hebræo ad verbum eſt: *dens petræ à tranſitu hinc, & dens petræ à tranſitu inde*: hinc etiam Septuaginta tranſtulerunt: *eminens pars lapidis hinc, & eminens pars lapidis inde*. Chaldæus verò Paraphraſtes ad verbum ex hebraico *dentem petræ* tranſtulit.

RVPES SCOPVLVS.

8 Eſt autem rupes, petra ſiue mons præruptus, lapenam ſaxum etiam idem eſt quod lapis, ſed ponitur aliquando pro ſcopulo, ſeu monte ſaxoſo. Eſt autem ſcopulus ſaxum eminens, græcè σκόπελος, à verbo græco σκοπεῖν, vt ſeruio placet, hoc eſt,, à ſpeculando, quòd inde in mare pateat proſpectus. Significat etiam ſcopulus interdum paruum ſcopulum, hoc eſt, illud ad quod ſagittas dirigimus.

SILEX.

Silex verò eſt lapis durus ex quo ignis excuti ſolet, vnde & nomen habet
9 quòd ignis ex eo ſaliat, vel quòd ſilentem intra ſe ignem habeat, qui attritu, & percuſſu excitetur: dicitur πυρίτης græcè. Accipitur nonnunquam latiùs ſilicis appellatio, vt etiam de petris & marmoribus dicatur, ſed planè hæc nomina in ſacro codice confundi ſolent, & ſæpe alia pro aliis accipi, non ſolùm apud latinos, ſed etiam apud hebræos & græcos. Quare צור Svr ſaxum, petram, lapidem, & rupem ſignificat multis in locis, & per tranſlationem fortem, fortitudinem, & ipſum Deum, in quo ſcilicet aduerſus omnes iniurias tuti ſumus. Transfertur etiam ad ſignificandum rem ſuapte natura ſiccam, ſterilem,

& infæ

LAPIS VVLGARIS.

& infœcundam, & sic vocatur Abraham Isai. 51. vers. 1. quòd esset centenarius, ex quo tanquam ex petra diuina virtute excisi fuerunt Israëlitæ: *Attendite*, inquit, *ad petram vnde excisi estis*, vbi pro eo quod *petram* transtulit D. Hieronymus, & in hebraico צור Svr, vbi Septuaginta *solidam petram*, posuerunt. Quia alludit sacra scriptura ad fortitudinem, quam tam fide quàm obedientia mõstrauit Abraham, quasi petra firmissima, hoc nomine vocata est Tyrus nobilis vrbs Fœnicis, quòd petra fuerit constructa. Manifestum etiam satis est חוח Choach in sacris literis spinam significare: sed transfertur aliquando ad significanda loca tutiora & munitiones, velut petræ acutæ ad instar spinarum; Quare 1. Reg. 13. vers. 6. legimus: *Quod cùm vidissent filij Israël se in arcto positos, afflictus enim erat populus, absconderunt se in speluncis, in abditis, in petris quoque, & in antris, & in cisternis*, pro eo quod in hebraico est בחוחים Bechavachim, transfert Hieronymus, *in abditis*: Chaldæus verò Paraphrastes, *munitiones*, interpretatus est *in munitionibus*. Alij explicant *in spinetis*: Quidam verò *in præacutis rupibus*, seu, *dentibus rupium*, quæ spinis non sunt dissimiles, quo illi sese vt in loca tutiora recipiebant. Itaque locus iste iuxta sensum D. Hieronymi, & aliorum de spinis intelligendus videtur, aut ex terra natis, aut artificio factis ex ære, aut ferro, aut alia quauis ratione constitutis, vbi possent, aut abscondi, aut muniri, quales essent rupes dentatæ, & in modum spinarum eminentes.

Porrò vox סקל Sakal duo in sacris literis designat: aliquando est lapi- 10
dare, interdum elapidare, & quamuis רגם Ragam sit lapidibus obruere, ferè tamen adiunctum habet lapidis nomen; quare propter has duas diuersas significationes dictionis סקל Sakal, duplicem sensum sortitur locus ille Isai. 62. vers. 10. *Transite transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & eleuate signum ad populos*: Nam ibi *eligite lapides*, transfert pro eo quod in hebraico est סקלו מאבן Sakelv meeben, quod ad verbum est: *elapidate*, id est, repurgate à lapidibus, quasi dicat: remouete lapides à via, vt sit plana. Sic intellige locum illum Isai. 5. vers. 2. *Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei, & sepiuit eam, & lapides elegit ex ea*, id est, remouit lapides ex ea, elapidauit illam. Alij verò iuxta secundam significationem, qua dictio hebraica lapidare significat, sic exponunt: *lapidauit eam*, nempe sepem, siue maceriam, id est, ex lapidibus construxit eam, facta in circuitu fouea: & pro eo quod Hieronymus dixit: *eligite lapides*, Isai. 62. interpretantur: *sternite*, sub viam lapide, id est, lapidibus, id est, componite, & facite viam altam ex lapidibus magnis, & accommodatis, vt per eam commodè possint omnes transire.

Cæsores autem lapidum lapicidæ, hoc est, dolantes lapides regula, aut 11
mensura dicuntur in sacris literis ה גבלים Ha gibelim, sic appellati à גבול Gebvl termino, quòd terminum mensuræ lapidibus ponant. Sic intelligendum est illud quod scriptum est 3. Regum 5. vers. 18. *Præcepitque rex vt tollerent lapides pretiosos in fundamentum templi, & quadrarent eos, quos dolauerunt cementarij Salomonis, & cementarij Hiram. Porrò Giblij præpararunt ligna, & lapides ad ædificandam domum*, vbi pro eo quod ponit D. Hieronymus *Giblij*, transfert

LAPIS VVLGARIS.

Chaldæus Paraphraſtes *Caſores*, id eſt, lapicidas, vt expoſitum eſt, etſi quidam ſint qui *Gibly*, exponant *viros Gebal*, qui erant lapicidæ. Gebal autem fuit ciuitas Fœnicis, vnde Regio circunſtans appellata eſt Gabalene. Hinc Ezechiel. 27. verſ. 9. *Senes Gibly, & prudentes eius habuerunt nautas ad miniſterium variæ ſuppellectilis tuæ.* Porrò lingua Syriaca צנומא SENVMA idem eſt quod סלע SELA, id eſt, petra. Hinc nata eſt varia interpretatio loci illius Geneſ. 41. verſ. 23. vbi agens ſcriptura de ſpicis: *Aliæ*, inquit, *quoque ſeptem tenues, & percuſſæ vredine oriebantur*, vbi D. Hieronymus *tenues*, transfert, pro eo quod in hebraico legimus צנומות SENVMOTH. Significat itaque vox iſta rem paruam & tenuem; vnde hebræi doctores פת צנומא PATH SENVMA vocant buccellam ſiccam ad modum petræ, quia ſicca buccella facilè in paruula fruſta diuiditur, quæ iure in paropſide madefiant. Porrò ſpicæ quæ in rupibus creſcunt, ita ſiccæ ſunt, vt præ ſiccitate ſint minutæ & tenues. Itaque ſenſus: *Aliæ quoque ſeptem tenues & ſiccæ, quaſi ex petra natæ:* nam & ipſa rupes à ſiccitate dicitur SENVMA. Quidam recentiorum hanc dictionem ad צנן SANAN, ſiue שנן SANAN conferentes, interpretantur *ſpicas acuminatas*. Alij verò *ſpicas ſine humore, ſiccas inſtar petræ*, quia id ad Syriacam petræ ſignificationem referunt: Chaldæus verò Paraphraſtes exponit נצן NASAN inanes, id eſt, vacuas & habentes flores, id eſt, præter flores nihil aliud habentes. Non deſunt qui interpretentur צלמות SELAMOTH ſimulacra, ſiue imaginarias ſpicas, quòd ſimulacra lingua Arabica vocentur צמונות SEMVNOTH. Atque vt iam fine claudamus hanc de lapide vulgari conſiderationem, apud veteres lapidibus milliaria ſignificabantur: ſic legimus aliquando apud Latinos: *ad tertium, ad quartum lapidem.* De lapide emptos quoque dicimus, qui publica auctoritate à præcone erant venditi; quare ſumitur lapis pro loco eminenti, & tanquam ſuggeſto, vnde præco prædicabat atque vendebat. Nã priſco more præcones ex lapide, & loco altiore facere præconium ſolebant, vbi mãcipia quoque venalia præconis voce proclamabantur, inde emptos de lapide Tribunos vt ſeruos venales dixit contumelioſè Cicero, & Plautus in eo ipſo aſtas lapide vbi præco prædicat: ſic columella lib 3. ſeruum de lapide noxium appellat, id eſt, non frugi bona, ſed qui noxæ deditus ſit. Athenienſes ſic etiam ſuggeſtum interdum vocabant, vt apud Ariſtophanem τῷ λίθῳ προσίσαμεν.

Cap. XII. DE SVBSTANTIA LAPIDEA PRETIOSA.

1 PReclaræ multùm in lapidibus pretioſis, ſiue gemmis excellunt virtutes, adeò vt quidam crediderint gemmas viuere, & à ſua anima ſpeciales, adeóque ferè diuinas functiones exercere, quorum ſententia ab omnibus exploſa eſt: earum enim proprietates ab elementis vnde conſtituuntur, potius referuntur acceptæ. Hermes ille Trimegiſtus cœlum gemmis occultas proprietates fundere perhibet, & ideò multas admiratione dignas eis eſſe proprietates inditas: cùm autem omne mixtum ex quatuor conſtet elementis, alterum illorum, terra nimirum, vel aqua in quouis lapide præcellit. Itaque qui lapides non perſpicui ſunt, ex terrea craſſioréque quauis ſubſtantia, humido tenaci perfuſa

perfuſa

persusa generationis materiam mutuantur: qui verò pellucidi apparent, ex aqua præsertim consistunt, cui subtilis quædam terrea nec obscura materies immixta est, vt & in cristallo ac Berillo glaciei speciem referentibus satis est manifestum.

SARDIVS lapis pretiosus.

In primo versu, siue ordine Rationalis teste Moyse Exod. 28. vers. 17. tres lapides pretiosi erant constituti: primus hebraica voce vocatur אדם ODEM, quem Sardium latinè vocat. D. Hieronymus: dicitur autem græcè σάρδιος, sic teste Isidoro vocatus, quòd in Sardis primum inuentus sit. Est autem Sardis vrbs Lidiæ ad latus Tmoli montis sita, olim Cræsi Regia. In Sardibus autem Ecclesia fuit vna ex septem Asiæ, quarum Ioannes meminit in Apocal. Habet autem hic lapis nomen apud Hebræos à colore rubro: est enim אדם ADAM rubescere: hæc enim gemma colore conspicitur rubro verum subobscuro, vt siquis imaginetur terram rubricam pellucere quidem, sed suboscura obfundi nebula. Itaque rubedine diluta carnis colorem refert. Sardij autem mares magis fulgent, ideóque præstantiores habentur, quod & aliis ferè gemmis commune est. Fuit autem Sardius apud antiquos non infimi nominis, nunc autem nullus, aut minimus eius est vsus. Hic autem lapis facilè scalprum admittit, vnde in literis obsignandis plurimus fuit eius vsus. Est verò pretiosus, & pulcher, inducit gaudium, reddit audacem hominem, cuius mentem acuit, & ipso præsente lapis Onyx nequaquam nocere potest, qui effectus solet habere noxios. Differt autem Sardius lapis multùm à lapide qui Sardonyx dicitur: est enim Sardonix gemma translucida, colore vnguem hominis referens; in inferiori, autem parte dilutum Sardij ruborem habens, idcircò à Sarda, siue Sardia, & ab vngue, quæ græcè onyx dicitur, siue à gemma quæ ob vnguis similitudinem Onyx dicitur, nomen accepit. Nam ex Onyche candorem, ex Sardio ruborem trahens, ab vtroque nomen Sardonyx accepit, vt ait Beda. Isidorus verò lib. 16. Originum cap. 8. constare eum dicit tribus coloribus: inferius nigro, in medio candido, superius minio, qui color rubeus est: nam sanguineum etiam refert colorem, vt Arethas dicit. Habuit autem Sardonychen insignem Polycrates, Samiorum Tyrannus, quem vt fortunæ nimium blandientis insidias alicuius rei charæ iactura redimeret, in mare abiecit, qui tamen in ventre piscis paulò post inuentus ad eum relatus est. Sardius itaque diuersus est à Sardonyche. Putant aliqui, lapidem Sardium hebraicè אדם ODEM vocatum in scriptura, eundem esse cum lapide rubino, qui ignis imaginem refert. Sic etiam alij carbunculum propter rubicundum colorem putarunt vocatum esse ODEM apud Hebræos: sed reuera lapis ODEM Sardius est, quem rubicundum esse, & carnis colorem referre iam dictum est, perindéque à rubore nomen hebraicum accepit, quod ruborem designat. Errant autem, & satis constat ex his quæ diximus, qui putant Sardium, & Sardonychem eundem pretiosum esse: Nam tam D. Hieronymus, quàm etiam Septuaginta pro ODEM, *Sardium* transtulerunt.

TOPAZIVS lapis pretiosus.

Secundo loco primi versus, siue ordinis Rationalis positus est lapis quidam pre-

pretiosus, quem Moyses vocat hebraicè פטדה Pitda Exodi 28. vers. 17. quem Topaziũ esse, & non Smaragdum, vt quidam opinati sunt, ex loco illo Iob 28. vers. 19. colligimus, vbi legimus: *Non adæquabitur ei Topazius de Æthyopia, nec tincturæ mundissimæ componentur.* Nam hoc loco pro פטדה Pitda *Topazium*, interpretati sunt Septuaginta, & D. Hieronymus non solùm hoc loco, sed Ezechiel. 28. vers. 13. & Exod. 28. vers. 17. Hanc vocem *Topazium*, interpretatur. Chaldæus quoque Paraphrastes pro hac dictione hebraica Pitda, solet transferre ירקן Iarkan, id est, *Topazium*, sic Chaldaico idiomate vocatum. Ex hoc autem loco Iob constat, Topazium non solùm à Topazio insula maris rubri, sed etiam ex Æthyopia afferri solitum. Quidam quòd in Æthyopia crescat Smaragdus acriter viridis, qui à Plinio plurimùm commendatur, opinati sunt vocem hanc hebraicam Smaragdum significare: sed certum est esse Topazium, qui etiam viridis est coloris, quod signum est, ipsum in Æthyopia quoque procreari, vbi celebris est, & laudatus in gemmis color viridis.

4 Vocatur autem Topazius græcè τοπάζιος, estque gemma viridis coloris, ἀπὸ τοῦ τοπάζειν, hoc est, à quærendo dicta, siue quod Troglodita prædones cùm diutius fama, & tempestate pressi herbas radicésque effoderent, hanc gemmam primi eruerunt, siue à Topazio insula maris rubri, in qua hic lapis mirè pellucidus inuenitur; Insulæ autem huic idcircò Topazion nomen factum putant, eo quòd nebulosa sit, sæpéque à nauigantibus fuerit quæsita antequam inueniretur. Vtramque nominis causam refert Plinius lib. 37. cap. 8. & lib. 6. cap. 29. & Strabo lib. 6. Topazium autem gemmarum amplissimam tradit Plinius, vt etiam Arsinoë Philadelphi vxori statuam præbuerit quatuor cubitorum in delubro aureo sacram, duplex eius differentia est: priorem Prasoidem, id est, porraceam: alteram autem Chrysopteris, hoc est, ad filicis herbæ virorem inclinantem, nuncupant: Nam πτέρις, significat filicem herbam. Est autem filicis viror quam porridi lutior, vt sit Chrysopteris Topazius, hoc est, gemma aureo colore transfusa, insuper blanda quadam viriditate ad glaucum accedente. Quò autem rarior Topazius, eò pretiosior, omnium gemmarum superans claritatem, potissimùm quando tangitur radio solis, qui si poliatur obscurus fit: naturæ autem suæ relictus magis resplendet, nihílque eo præclarius, & pretiosius in regum Thesauris est, quæ etiam ob sui perspicacitatem, gemmarum sibi obiectarum in se recipit claritatem. Topazio verò vires tribuuntur aduersus sanguinis eruptiones: nam vulneri admotus sanguinem è vestigio compescit. Non desunt qui facto periculo audeant affirmare, quòd manus Topazium habens ab aqua bulliente citra iacturam eripi possit, vtque aquæ feruorem vsque adeò temperet, vt ab ea omnem bullam mox pellat, & calorem nocuum. Mirùm verò quòd vires pro lunæ augmento, aut decremento euariet, & hinc lunaticos iuuare perhibeatur. Sunt qui hunc lapillum stultitiam pellere, delirium auertere, & phrenetidi obnoxiis amuletum esse prodant. Formam etiam dicitur habere speculi: simulachrum enim in ipsa receptum, inuersum in speculo concauo repræsentat.

LAPIS PRETIOSVS.

Smaragdvs lapis pretiosus.

Tertio loco in primo ordine Rationalis scribit Moyses Exodi 28. vers. 17. 5
fuisse positum lapidem pretiosum; vocatum hebraicè ברקת Barketh, quo Smaragdus significatur: sic enim hanc dictionem hebraicam interpretatur Hieronymus, Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphrastes, quorum auctoritas eorum opinionem subuertit, qui dixerunt significare hoc nomen lapidem pretiosum flaui coloris, siue aureum, sicque appellari propterea quòd aurum splendeat & fulgeat. Est enim ברק Barak fulgur, coruscatio; vnde quidam dixerunt esse Chrysolitum, alij carbunculum, nonnulli Rubinum: sed neque horum argumentum efficax est, quod ab etymologia sumunt, cùm etiam pro nobis faciat, qui dicimus esse Smaragdum: Nam Smaragdus coruscat & fulget, sic ei nomen ברקת Barketh aptè conuenit: est enim gemma viridis & translucida, quæ si optima sit & selecta, lucidissima est & purissima, ac vicinum aërem proprio tinctu inficit, ita vt neque soli, neque vmbris, neque lucernis cedat, quin potius perpetuò virenti fulgore irradiat, & sui semper præbet aspectum, vt rectissimè possit ברקת Barketh, id est, fulgens, & coruscans appellari. Dicitur autem Smaragdus græcè σμάραγδος, de quo Plinius lib. 37. cap. 5. *Tertia, inquit, auctoritas Smaragdis perhibetur pluribus de causis. Nullius coloris aspectus iucundior est: nam herbas quoque virentes, & frondes auidè spectamus. Smaragdos verò tanto libentius, quoniam nihil omninò viridius comparatum illis viret.* Porrò optima Smaragdus apud Scythas in altissimis montibus ac in metallis aureis nascitur, vnde non sine magno discrimine ac negotio comparatur, Gryphis alitibus ferocissimis in his nidificantibus, & huiusmodi gemmas tutantibus, ab Arismaspis vnico in fronte media oculo insignitis, viris armatis qui eo auri, & Smaragdarum cupiditate nimia accedere consueuerunt: secundam dignitatem obtinent Bractianæ Smaragdi, tertiam Ægyptiæ. Reperiuntur etiam non ignobiles in Britannia maiore, teste Alberto magno. Itaque selectissima Smaragdus ea est quæ viridissima, & purissima existens suo quidem virore oculos constanter explet satiátve, ita vt vicinum aërem irradiet suo virore, sui semper præbens aspectum.

Denique Smaragdorum quæ planæ ac leues sunt, speculi speciem referunt, 6
& imagines rerum admotarum supinè representant; Ideò memoriæ proditum est Neronem gladiatorum certamina Smaragdo conspexisse. Vires huic lapidi ascribunt præstantissimás aduersus venena omnia, vt & hinc octo granorum hordei in polline deuoratus venenatos à morte vindicare posse, iam pridem exploratum sit. Affirmant etiam serpentis oculos defluere, si optimam Smaragdum diutius intueantur: comitiali etiam morbo, vel à collo pendulum, vel annulo gestatum, seu amuletum generosum prodesse, Hemitritæúmque sanare confirmant. Iam verò apud omnes conuenit lapidem hunc rerum venerearum impatientem esse, vt etiam Albertus magnus obseruare non dubitauerit Regi Vngariæ cum vxorem habenti Smaragdum, quam annulo portabat, in tres diuisum fuisse partes. Addunt denique, & ipsum memoriam fouere, visum recreare. Epiphanius in libello de decē lapidibus scribit, dictas Smaragdos Neronianas à Nerone oleo irrigatas fuisse, quod in multa ærea

vaſa ad id comparata infudit, & interuallo temporis oleum viridem colorem contraxiſſe: Tum & Smaragdum eodem oleo copioſius irrigatam floridioris coloris euaſiſſe.

CARBVNCVLVS lapis pretioſus.

7 Vocatur autem à Moyſe primus lapis pretioſus in ſecundo ordine, ſiue verſu Rationalis, נפך NOPHEC, eſtque lapis ille pretioſus qui à Latinis vocatur Carbunculus, cui vox hebraica quadrat, vt reducatur ad הפך HAPHAC, quod conuertere ſignificat, vt dicatur ſic à mutatione coloris; conſtat enim Carbunculum inter prunas accenſas poſitum mutare colorem, ita vt languidus, & emortuus videatur: perfuſa autem aqua, & extinctis carbonibus, ad priſtinum colorem ignitum redit, eodem quo ante ignito calore coruſcans; Quare D. Hieronymus vocem hebraicam נופך NOPHEC *Carbunculum*, interpretatur, & tam Chaldæus Paraphraſtes, quàm Septuaginta interpretes Carbunculum deſignare teſtantur. Quidam interpretati ſunt, *lapidem pretioſum ſimilem* פוך PVC, id eſt, ſtibio: ſed præſtat Hieronymi auctoritas, & Septuaginta interpretum. Eſt verò Carbunculus lapis pretioſus, igniti carbonis ſimilitudinem referens, ipſis etiam noctibus lucens, & quibuſdam quaſi radiis refulgens, qui apud Indos, & Garamantas inuenitur, græcè ἀνθρακίτης, de quo Plinius lib. 37. cap. 7. *Principatum*, inquit, *habent Carbunculi, à ſimilitudine ignium appellati; cùm ipſi non ſentiant ignes ob id à quibuſdam Apyroti vocati.* Carbunculos itaque ab igniti carbonis colore ita vocati, inter ardentes igneáſque gemmas ſupremam ſibi vendicaſſe maieſtatem apud omnes conuenit. Sunt autem variæ Carbunculorum ſpecies; ſed præſtantiſſimus eſt qui proprio vocabulo ἀνθρακίτης, ſiue apyrotis vocatur. Hic enim colore vehementer igneo in modum ardentis prunæ tranſlucet, ita tamen vt extremus eius igniculus in Amethiſti violam deſinere videatur: ſed & per tenebras lumen diffundit. Sunt alij huius ſpeciei qui pinnato fulgore pellucent: Alij alba præcincti venula, qui coloris præſtantia atque illecebra nullis aliis cedunt.

8 Eſt & alia Carbunculorum ſpecies, quorum nomen eſt Garamantes, ſiue Sandraſtos. Huius generis Carbunculus ex India, vel Arabia quæ Meridiem ſpectat petitus, ſuperiorum ſplendore, & igneo colore præditus, aureas inſuper guttas continet, veluti ſtellantis intrò quidem ſemper, nunquam tamen in facie conſpectas, hoc etiam ordine diſſeminatas, vt hyades cùm guttarum numero tum ſerie iudicari valeant: Ideóque hoc Carbunculi genus cæteris præſtare aliquibus viſum eſt, quòd præ aliis longè vberius cœleſtes complectatur virtutes: ſyderúmque concepiſſe ſimilitudinem videatur, qua de re, & Chaldæis ſacrum quiddam æſtimatum eſt. Ad Carbunculorum verò genus reducuntur Balagius lapis quidam pretioſus colore rubro, & prælucido, ſed qui ſuperfuſo, ſublanguido quodam fulgore Carmeſinum vulgò dictum, colorem quadantenus referat. Reducitur quoque ad Carbunculorum genus Rubinus lapis ita vocatus: eſt autem laudatus maximè ſi per tenebras in ſpeciem blandæ cuiuſdam ſcintillæ micare videatur, & ſimpliciſſima conſtat ſubſtantia. Reducitur quoque ad Carbũculum Granatus, lapis longè obſcuriore ac mi-

nus

nus grato colore, tanquam videlicet si opaca quadam vmbra, vel nubecula Rubinum offundi iudices. Balagio autem similes ac Carbunculo facultates, sed imbecilliores tribuunt. Rubinum autem aduersus pestilentem aërem pro insigni amuleto portant, & contra terrentia somnia. Granatum præterea melancholiæ aduersari,& cor reficere credunt. Adulterantur autem omnes vitro rubore infecto; sed & elanguidos foliis bracteísque quibusdam rubicundissimis substratis excitatiores reddunt, vt non sit facilè à spuriis veros secernere sculpturæ verissimi contumaces sunt adulterati cote deprehenduntur, quòd fragiliores molliorésque sint, compareántque materia.

SAPHIRVS lapis pretiosus.

Lapis pretiosus secundus positus in secundo ordine, siue gradu Rationalis 9.
Exod. 28. vers. 13. voce hebraica nuncupatur ספיר SAPHIR, quem Latini Saphirum, & Græci σαπφειρον vocauerunt, cuius mentio fit sub hac voce Exod. 39. vers. 11. & aliis multis sacræ scripturæ locis: cúmque vox hebraica sit ספיר SAPHIR, argumentum est tam Latinum nomen, quàm Græcum à fonte hebraico esse desumptum: eundem enim sonum in his tribus linguis habet, & quamuis multa alia nomina Latina à Græcis originem ducant, hoc tamen nomen ab Hebræis antiquioribus tam Latini quàm Græci mutuati sunt: ex quo conuincimus, multos ex hebræis doctoribus esse deceptos, quorum alij sunt interpretati ספיר SAPHIR esse lapidem album, id est, crystallum: Quidam verò Rubinum, & nonnulli Adamantem. Analogia enim aliarum linguarum, quæ ex hebræo fonte nomen hoc deduxerunt, eorum errorem satis manifestat,& voce hebraica Saphirum significari perspicuum facit; Quare non solùm Exod. 28. sed Canticorum 5. vbi legimus: *Venter eius eburneus, distinctus Saphiris*, Tam Hieronymus quàm Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes pro ספירים SAPHIRIM *Saphiros*, transtulerunt. Itaque Saphirus lapis est pretiosus coloris aurei, aureis punctis collucens, de quo Plinius lib. 38. cap. 9. *Præstantior Saphirus est Orientalis, quæ ex India ducitur:* Est autem omnium præstantissima illa quæ serenissimi, vernique cœli colorem referens, cerulea conspicitur, & quasi transfusas nubeculas (immissa etiamnum leui quadam purpura) repræsentat, vt videlicet Sulphuris primum accensi colorem referat, aureis insuper punctis colluceat, scintillísque, ita tamen, vt visus aciem materiei crassitie retundat, vt & admotarum rerum imaginem speculi instar minimè reddat. Est itaque hæc pretiosissima Saphirus: cæteræ verò quò magis ab hac, vel substantia, vel colore desciuerint, eò viliores censebuntur, & minus pretiosæ.

Est autem Saphirus mirificis facultatibus prædita: Nam venereos compel- 10.
cit affectus: vt & hinc Ecclesiasticis præsulibus omnium maximè dignam rude etiam vulgus profiteatur. Addunt & contra iracundiam, & tristitiam pollere, adeò scilicet contra effrænes animi motus efficax esse creditur; corporis præterea incrementum moliri, solidas principésque fouere, & asseruare partes cordis, oculorúmque vires reficere, horum excrescentias,& pustulas imbibere, ruptas quoque membranas cogere Galenus, & Dioscorides auctores sunt. Addunt & aduersus scorpionum ictus, & intestinas exulcerationes bibi:

LAPIS PRETIOSVS.

venenis etiam pestiferis resistere, Febriantis cordis venis pulsantibus admotam iuuare, sudorem arcere, sanguinem continere, Carbunculis abscessibúsque calidis pestiferis præsertim mirum in modum aduersari tradunt. Ex loco autem illo sacræ scripturæ Exod. 24. vers. 10. vbi legimus: *& viderunt Deum Israël sub pedibus eius, quasi opus lapidis Saphirini, & quasi cœlum cùm serenum est,* facilè colligimus Saphiri colorem similem esse cœlo, cùm serenum est:& quã huiusmodi color est per se gratissimus,& sit multò pulchrior aureis illis punctis quibus collucet, hinc fit vt Threnorum 4. dicatur Nazarei eius candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo,& Saphiro pulchriores: & Canticor. 5. venter eius dicatur eburneus, & distinctus Saphiris. Pro eo autem quod legimus: *Sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphirini*, in hebraico ad verbum est: *quasi opus lateris Saphirini:* Nam לבנה LEBENA laterem significat, & quia deducitur à לבן LABAN, quod candidum sonat, hinc nonnulli sic locum hunc interpretati sunt: *Sub pedibus eius quasi opus candidi Saphiri.* Putant enim lapidem pretiosum vocatum ספיר SAPHIR esse candidum, sed falluntur, vt ex his quæ diximus,satis manifestum est, cùm constet esse cerulei, & aurei coloris. Alij autem vocem לבנה LEBENA, *laterem*, interpretantur, vt sensus huius loci sit: *Sub pedibus eius quasi opus lateris Saphirini*, & hic sensus non recedit à sensu D.Hieronymi, ac Septuaginta interpretum, & etiã Chaldæi Paraphrastis, qui *lapidis Saphirini*, transtulerunt. Volunt tamen isti magis laterem quàm lapidem interpretari, quia dicunt sic Deum visum fuisse Moysi, & Aaron, & Nadab & Abiu,& septuaginta senioribus Israël, habentem sub pedibus opus lateris Saphirini, vt recordarentur temporis quo fuerant afflicti Israëlitæ apud Ægyptios in laborioso opere laterum.

IASPIS lapis pretiosus.

11 Lapis pretiosus positus tertio loco in secundo ordine,siue versu Rationalis Exod. 28. vers. 18. nominatur voce hebraica יהלום IEHALOM: est autem ille quem latinè Iaspidem vocamus: sic enim hanc vocem interpretatur D. Hieronymus,& Septuaginta interpretes,estque gemma pretiosissima,& præstantissima ex viridantium genere, cuius varij sunt colores. Non defuerunt qui putarent per hanc vocem significari Adamantem ex nominis Ethymologia, quia הלם HALAM est frangere, conterere: Adamas verò omnes conterit lapides, perfodítque vnionem seu Margaritam: sed ex Etymo solo non est efficax argumentum,cùm Hieronymi, & aliorum auctoritas maior sit. Fit autem huius lapidis mentio יהלם IEHALOM Exod. 28. vers. 13. & Exod. 39. vers. 11. Itaque Iaspis lapis qui græcè ἴασπις gemma est è viridantium genere, cuius vt multæ species,ita & varij sunt colores,de qua Plinius lib. 37. cap. 9. *Ea*,inquit, *Iaspis præstantissima est, quæ apud Indos nata Grammatias, alijs Polygrammos vocata est, quæq; virens Smaragdo quadantenus similis pellucet.* Hæc autem celeberrima asseritur, si ex viridi purpureum quiddam complexa alba præcingatur linea. Vnciis vndecim magnam vidisse Plinius testatur, indéque arte consculpatam Neronis thoracatam effigiem. Ab hac verò diuersa multum est Cypria Iaspis colore glauco,substantia pingui,Gallis dicta Iaspis alba. Est etiam Iaspis Persica æri similis, ærizusa nominata, Thermodontiaca Iaspis celurearum optima

ma eſt: Cappadox autem ex purpureo cæruleum refert in materia opaca, ideò non fulget Eſt & alia Phrygia, & alia Thracia, alia vocatur Chalcidia.

Porrò Iaſpis potiſſima quæ Grammatias, ſiue Polygrammos nuncupatur, quæque alba linea præcingitur, Galenus medicinæ vſui lapides Iaſpidis eſſe confirmat, quòd ſuo adhæſu ſtomachum firment, cuius rei ſe periculum feciſſe profitetur. Adde quòd Iaſpis mulieribus menſes cohibet: drachmæ pōdere deuoratus ſanguinem, ſudorémque compeſcit, hydropiſim, & febres arcet, oculorum aciem ſuo virore reficit, venereorum petulantiam & appetentiam proprietate quadam moderari creditur. *Plurimæ gentes*, inquit Plinius lib. 38. *Iaſpidem ferunt Smaragdo ſimilem.* Perſæ acri ſimilem, ob id vocatur Acrizuſa, talis & Caſpia eſt, cærulea circa Thermodontem amnem in Phrygia purpurea, in Capadocia ex purpura cærulea, atque non refulgens, optima ergo quæ purpuræ quicquam habet: ſecunda, quæ roſæ: tertia, quæ Smaragdi: ſingulis autem græci nomina ex argumento dedere: quarta apud eos vocatur Borea cœlo autumnali matutino ſimilis. Appellatur autem lapis iſte alio nomine Iſaiæ 54. verſ. 12. כדכד Cadcod, *Et ponam*, inquit, *Iaſpidem tabernacula tua*: ſic enim hanc vocem interpretatur D. Hieronymus, & Septuaginta interpretes. Sunt autem de huius vocis ſignificatione variæ opiniones: Alij enim putant ſignificare Carbunculum, quidam Rubinum, nonnulli Vnionem: Chaldæus verò Paraphraſtes Margaritam, ſiue gemmam: D. Hieronymus Ezech. 27. verſ. 16. vocem hebraicam reliquit: *Syrus*, inquit, *negociator tuus propter multitudinem operum tuorum gemmam, & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & ſericum, & Codcod poſuerunt in mercatu tuo.* 12

Ligvrivs, lapis pretioſus.

Ex lapidibus pretioſis tertij ordinis Rationalis, qui in primo loco poſitus 13
eſt, vocatur voce hebraica לשם Lesem, quem latinè vocari Ligurium, conſentiunt D. Hieronymus, Septuaginta interpretes, Chaldæus Paraphraſtes Exodi 28. verſ. 19. ſic hanc vocem interpretantes. Idem docet Ioſephus libris antiquitatum, Pagninus verò putat eſſe Lyncurium ex vrina coacta Lyncis concretum. Dicitur autem Ligurius græcè λιγύριον in neutro genere, dicitur & λιγύριος apud Ioſephum de antiquitatibus, vbi duodecim iſti lapides in Rationali poſiti numerantur. Vertit autem ibi interpres Ioſephi λιγυρὸν Lincurium, quod ſuccinum eſt, in Lyguria plurimum proueniens. Diocles, & Theophraſtus ex vrina Lyncis concreſcere crediderunt, ſed eos arguit Plinius. Cæterùm, ſuccinum ipſum, ſiue ambra λιγγύριον græcè dicitur; concreſcit autem ex bitumine, non ex vrina Lyncis, vt fabulatur Solinus. Trahit autem ad ſe paleas, vnde ἁρπάξ vocatur: appellatur & πτερυγοφόρον, dicitur & ἤλεκτρον. Apud Eſechyum verò λυριῦρον deprauatè ſcriptum eſt. Sunt autem variæ de Succini ortu ſententiæ: veteres putauerunt eſſe lachrymam ex arboribus pinei generis, teſte Plinio lib. 37. cap. 3. verùm hodie deprehenſum eſt à viris doctis, nihil aliud eſſe, quàm bituminis genus ex ſaxis profluens, primò liquidum, ſed poſtea magis frigiditate condenſatum. Geſtatur à fœminis decoris gratia, monilium vice. Porrò ſuccinorum tria eſſe genera conſtat: primum colore melleo conſpicitur: ſecundum, quod phalernum vinum: tertium

quod candidum refert, & colore præstantissimum est. Præferunt quidam phalernum, fuluum scilicet ac translucens, consimili vndique substantia, & concremento, ea tamen lege, vt non nimium ardore flagret, sed leuem tantùm ignis ostentet anhelationem, non autem igneum fulgorem adsequatur. Denique succinum rude quidem primum, & austerum colligitur, tandem verò adipe suis lactantis concoquitur, postea expolitur. Fabulosum verò omnino est, quod plerisque gemmarum perscrutatoribus videtur, Lygurium, vel Lyngurium, siue vt aliis placet Lyncurium ex Lyncis animalis vrina, mox à deiectu contecta, Solis deinde ardore concreta, ac durata consistere: nam recentiores asserunt, Lyncis vrinam non concrescere, quod superioribus annis compertum est, Lyncibus aliquot ex Aphrica in Galliam adductis. Itaque probabile est lapidem pretiosum, qui Lygurius à D. Hieronymo, à Septuaginta λιγύριον, à Iosepho λιγυρὸν, esse lapidem succinum vulgò *Ambra* appellatum. Et quamuis Iosephus dicat has gemmas in rationali positas, incomparabiles fuisse magnitudine & pulchritudine, cùm succinum vili pretio comparetur. Huic obiectioni responderi potest, olim in pretio fuisse succinum, siue electrum ob raritatem: nunc verò ob copiam non ita esse pretiosum. Porrò quod ad Ligurij, siue succini virtutes spectat, infantibus pro amuleto ligari lymphationibus prodesse, ac lotij difficultatibus compertum est; præterea in polline exhibitum albos menses, stomachi fluxiones, ventrisque profluuia sistere experimento constat. Cor etiam & cerebrum vel odoris substantia propalam recreat, ex melle teritur ad oculorum finiendas humiditates: attritum, & calefactum festucas: quisquilias, & leuissima quæque allicit & attrahit.

ACHATES, lapis pretiosus.

14 Lapidem autem pretiosum tertij ordinis Rationalis, positum secundo loco, quem Moyses voce hebraica vocat שבו SEBO, esse eum quem Achatem latini vocant, testatur D. Hieronymus & Septuaginta interpretes. Chaldæus verò Paraphrastes transfert טרקיא TARKIA, quem quidem Turcium interpretantur: sed is idem videtur cum Achate: est enim versicoloribus venulis distinctum: id enim maximè conuenit Achati, vt sit gemma venulis versicoloribus ita distincta, vt, & nemorum, & fluuiorum, & montium, nonnunquã, & iumentorum, & curruum speciem referat. Hanc primum repertam ferunt ad Achatem Ciliciæ fluuium, vnde & nomen accipit, postea & in India & in Phrygia inuenta est. Insignem Achatem Pyrrus Epirotarum Rex habuisse traditur, in quo nouem musæ, & Apollo citharam tenens spectabatur, non arte, sed naturæ solertia, ita discurrentibus maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Vide plura de hac gemma apud Plinium lib. 37. cap. 1. & 10. græcè vocatur ἀχάτης. Probatissimæ autem Achates sunt perspicuæ, quæque leoninæ pelli similes sunt, vel etiam nigræ albis intersectæ lineis. Cæterùm omnem Achatem venenis pestiferis aranearum, atque scorpionum ictibus aduersari, visum fouere, cor recreare, sitim ore contentam arcere aiunt.

AMETHYSTVS, lapis pretiosus.

15 Lapis verò pretiosus tertij ordinis Rationalis, & in tertio ordine, siue versu posi-

LAPIS PRETIOSVS.

positus, אחלמה Achlama nomen habet Exodi 28. vers. 19. quem esse à latinis & græcis vocatum Amethystum consentit D. Hieronymus, Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphrastes. Reducitur autem vox hebraica ad חלם Chalam, quod est somniare, & putatur hic lapis ideò à somno nomen accepisse, quòd qui eum digito defert, varia videat somnia. Aliqui verò arbitrantur, hac voce significari lapidem qui vitelli colorem referat, quod חלמות vitellum significet, quod rubeum est oui: sed hi præter etymon vocis nullam aliam habent coniecturam. Amethystus ergo græcè ἀμέθυσος, gemma est diluta violæ colore, fulgore purpuræ, non prorsus igneo, sed in vini colorem desinente, ita dicta ab α priuatiuo, & verbo μεθύσκω, quod & inebriare significat, siue quòd ebrietati credatur resistere, siue quod vsque ad vini colorem accedens, priusquàm integrè accipiat, in violam desinat. Plinius autem lib. 37. cap. 9. quinque numerat Amethysti species, ex quibus palmam tribuit Indico. Absolutissimam purpuram Amethysti Indicæ repræsentant, inter quas eæ quidem præcellunt, quæ veluti ex Carbunculo irradiantes, in murice rosei cuiusdam nitoris iucundam anhelationem effundunt, quarum quæ blando quodam aspectu, tanquam ignitam eiaculantur scintillam, generosissimæ, atque efficacissimæ putantur. Vocata est Amethystus Veneris gemma, ob coloris luxum & illecebram. Plinius loco citato ait esse sculpturis facilem. Isidorus verò libr. 16. cap. 9. ait, inter purpureas gemmas Indicum Amethystum principatum tenere, qui purpureus est permisto violaceo colore, & quasi rosæ nitor, & leuiter quasdam flammulas fundens. Et Beda, *Quiddam*, inquit, *in purpura illius, non ex toto igneum, sed quasi vinum rubeum apparet.* Aristoteles auctor est Amethystum vmbilico admotum vini vaporem primum ad se trahere, deinde eum discutere, proindéque à crapula & ebrietate vindicare, ad hæc vigilantem reddere eum à quo portetur tradunt.

CHRYSOLITVS, lapis pretiosus.

Moyses cap. 28. Exodi vers. 20. primum lapidem pretiosum in quarto ordine, siue versu Rationalis positum, primum locum occupantem vocat תרשיש Tharsis, quem tam D. Hieronymus, quàm Septuaginta interpretes in suis translationibus docuerunt esse illam gemmam, quam latini, & græci Chrysolitum vocant. Putant nonnulli hunc lapidem esse coloris cærulei, & cum Turcio eundem, non ablonante nomine hebraico (Tharsis enim, & Turcius affinia sunt nomina) sumpsisséque nomē à mari, quod etiam תרשיש Tharsis vocatur, nempe mare magnum, vel internum, vel externum, quod cæruleum conspicitur: nam vox hebraica ים Iam mare significans etiam lacus, & minores quasque aquarum collectiones significat. Alij putant mare ipsum dictum Tharsis ab hoc lapide, quod eius cæruleum colorem referat: sed non inde cogimur asserere vocem hanc Tharsis, significare lapidem Turcium, sed potiùs Chrysolitum: dicemus enim statim excellentissimas esse eas Chrysolitos, quas India nutrit, quæ quodammodo cęruleæ sunt, & marinæ aquæ virorem referunt. Itaque hoc nomine Tharsis primùm dicta est Ciliciæ vrbs, ortu Pauli Apostoli clara, nomen nacta à Tharsis filio Iauon, nepotis Noë & Iapheth: vnde quia illic erat portus totius Orientis celeberrimus, è quo in Aphricam

phricam, Indiam, & procul dissitas regiones nauigabatur, factum est, vt mare magnum hac voce designaretur. Hinc denique Chrysolitus eius colorem aliqua ex parte referens, nomen Tharsis nactus est, non ergo Tharsis lapis est à Chrysolito diuersus, quamuis variauerint Septuaginta interpretes apud Ezechielem: nam cùm Exodi 28. hanc vocem *Chrysolitum*, transtulerint, Ezech. decimo vers. nono *Carbunculum* sunt interpretati, & Symmachus Hyacinthum.

Chrysolitus autem græcè χρυσόλιθος vocatur, estque lapis pretiosus aureo
17 nitore translucens: χρυσὸς enim aurum, & λίθος lapis est, quasi aureus lapis. Vide Plinium lib. 37. cap. 9. qui ait Æthiopiam mittere aureo colore translucentes lapides. Nascuntur autem Chrysoliti in Arabia, & etiam in Germania: sed selectissimæ sunt Chrysoliti, quas India nutrit, quæ aliqua ex parte cæruleæ sunt, marinæ aquæ virorem ita præseferunt, vt aurum in collatione quadam veluti argenti facie cogant albicare. Denique partibus respirationis asthmaticis conferre tradunt: aduersùs verò pusillanimitatem, & contra melancholicos metus pro amuleto confert. Chrysopassus autem diuersus lapis est à Chrysolito: vocatur enim græcè χρυσόπασος, & est gemma ex genere Topaziorum, à porracea viriditate nonnihil in aurum declinans: πρασὸν enim græci porrum vocant, inde prasinus color, id est, porraceus: vide de hac gemma Plinium lib. 37. cap. 8. optima est, quæ aureis guttis conspergitur. Hunc autem lapidem vox celat, & obscuritas prodit: diurno enim tempore quasi euanescit, & fulgorem amittit genuinum decorem per solas tenebras ostentans, vires ei tribuunt contra sacram auri sitim, cordis vires reficere, & oculorum imbecillitatem finire creditur.

ONYX, lapis pretiosus.

Secundum lapidem pretiosum in secundo loco quarti ordinis Rationalis
18 positum vocat Moyses שהם SOCHAM Exodi 20. vers. 20. quem Onychem à latinis & græcis vocatum docent D. Hieronymus, & Septuaginta interpretes, ac Chaldæus Paraphrastes, quamuis Iob 28. vers. 16. hanc eandem vocem D. Hieronymus *Sardonicum* transferat, sed hoc quia sui partem ab Onyche mutuari videtur: nam ex altera parte colorem Sardij, ex alia colorem Onychis refert: vnde Sardonyx dictus. Onyx autem quæ græcè ὄνυξ, gemmæ cuiusdam species est, humani vnguis candorem referentis, interuenientibus quibusdam venis Sardij, & Iaspidis colorem imitantibus. Vide Plinium libr. 37. cap. 5. Apud græcos Onyx propriè vnguem significat, à cuius similitudine hæc gemma nomen accepit, quòd scilicet humani vnguis colorem referat. Est autem duplex lapis Onychinus, alter Indicus, alter verò Arabicus. Indicus Onyx igneum colorem imitatur, albis cingentibus venis siue zonis. Arabicus verò ad colorem nigrum vergit, candidas habens zonas: in vtrisque autem candor humani vnguis refert colorem. Eius vires creduntur excitare tristitias & timores, in pueris verò dicitur excitare saliuam superfluam & nocuam, sed nocere non potest, præsente lapide Sardio. Est lapis politus habens speculi naturam, repræsentans imagines & figuras, etsi obscurè.

BERYL

LAPIS PRETIOSVS.

BERYLLVS, lapis pretiosus.

Tertius lapis pretiosus tertio loco positus quarti ordinis, siue versus Rationalis vocatur hebraicè ישפה IASPE. Quidam ad vocem hebraicam alludentes, opinati sunt esse Iaspidem sed vt constat ex D. Hieronymo, & Septuaginta interpretibus, est lapis vocatus à græcis & latinis Beryllus: nam D. Hieronymus, & Septuaginta Exod. 28. vers. 20. Beryllus transtulerunt, & Chaldæus Paraphrastes interpretatur ברהלא BVRELA, quo nomine ad Beryllum alludit, qui etiam græcè βήρυλλος nominatur. Est autem Beryllus gemma subuiridis & transparens, vix alibi vnquam reperta, quàm in India: cuius nouem numerantur species apud Plinium libr. 36. cap. 5. probatissimi tamen sunt ex iis qui viriditatem puri maris imitantur. Poliuntur omnes sixangula figura artificum ingeniis quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. Ex his quidam Chrisoberylli dicuntur, qui sunt paulò languidiores fulgore in aurum vergente. Lapis iste Beryllus oculis humentibus, ructibus, suspiriis, iocineriis quoque malis illius ex aqua dilutum (infusionem nostri Sesplaciarij vocant) non mediocriter auxiliatur. Scribunt etiam hanc gemmam aduersus cœli iniurias, & contra segnitiem pollere, ingenio prodesse, & manum gestantis exurere si Solis radiis opponatur. 19

MARGARITA, lapis pretiosus.

Præter lapides pretiosos in Rationali positos, occurrunt etiam in sacris literis alij nonnulli, de quibus quoque vt agamus ratio postulare videtur. Ac imprimis D. Hieronymus vocem בנינים BENINIM Prouerbior. 20. vers. 15. *gemmas* interpretatur. Has autem gemmas quidam putant propriè esse Margaritas: reuocant enim vocem hanc ad פנה PANA quod est respicere, & arbitrantur ideò significare Margaritas, quòd earum magnus habeatur respectus, vel quòd positæ sint in anteriore parte concharum: nam פנים PANIM anteriorem partem significat, vnde cùm legimus Prouerb. 20. *Est aurum, & multitudo gemmarum, vas autem pretiosum labia scientiæ.* Pro huiusmodi multitudine gemmarum, Margaritas siue vniones intelligunt. Alij autem gemmas, siue lapides pretiosos in genere significari hac dictione volunt. Ideò D. Hieronymus gemmas transtulit, qui eandem vocem Threno. 4. vers. 7. *ebur antiquum* interpretatus est, & Prouer. 3. ver. 15. *cunctas opes pretiosissimas*: hæc enim omnia recondita esse solent. & in locis absconditis asseruantur, quæ per hanc vocem significantur. Nam פנימי PENIMI rem interiorem significat Ezech. 41. vers. 15. D. verò Hieronymus Prouerb. 31. vers. 10. dictionem hanc פנינים PENINIM, non à פנה PANA, quod est respicere, sed פנה PINNA, id est, angulo deducens, non iam gemmas sed *vltimos fines*. interpretatur, dicens: *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius.* id est, de vltimis angulis, & terræ extremis: eadem enim vox, si verè consideretur, diuersa significat. Vnde Prouerb. 20. Septuaginta transtulerunt *lapides pretiosos*, & Chaldæus Paraphrastes *gemmas bonas*, has autem, vt diximus, quidam opinati sunt Margaritas. 20

Est autem Margarita, siue Margaritum grçcè μαργαρίτης. lapillus candidus, 21
in conchis nascens, quem Romani Vnionem vocant, quòd nulli duo repe-

riantur indiscreti. Plinius lib. 9. cap. 35. dotem earum omnem esse dicit in candore, magnitudine, orbe, liuore, & pondere. Notandum verò illud est, conchas pro sua ætate, ac magnitudine maiores. Pro roris verò concepti puritate vel obscuritate generaliores, vel obscuriores generare Margaritas: qua ratione vberiorem has cum cœlica natura, quàm cum æquorea consensum habere & cognationem, manifestum est; flauescere deinde has, vel igne, vel omnino senecta, atque etiam crassescere, liuorémque sensim deponere compertum satis est. Concham verò præuisa manu apprehensura, sese continuò comprimere, suas operituram diuitias, gnaræ scilicet quòd horum causa appetatur, inimicam quoque manum, si fortè comprehenderit, amputare, iustissima (vel Plinio auctore) tantæ temeritatis luxus & auaritiæ pœna est. Itaque Margarita ex carne conchæ (sic enim aliquando in piscium cerebro lapilli reperiuntur) & ex cœlesti rore, quem certo anni tempore ipsæ hauriunt, gignitur. Est prætere a apud Vagesum in Lotharingia mons Margaritarum ferax, verùm non vsque adeò splendidæ sunt: mirum tamen, quòd quæ per Genesim gratia in eis desideratur, per columbas resarcitur, quæ scilicet deuoratas puriores tandem eas cum fæcibus reddunt, præferuntùrque candidissimæ, lucidissimæ, rotundissimæ, leuissimæ, & quæ minimi ponderis sunt. Porrò præcipua Margaritis laus est, quòd siccitate innata, corporis redundantias absumunt, vt vel hinc vires spiritus cor, & principes corporis partes recreent: ideóque contra cardiacos, & melãcholicos affectus plurimum celebrantur, magnóque vsu commendantur. Adde quod à vulgaribus, pestiferisque morbis defendant, & chorchis magnopere conferunt, hac tamen ratione, vt vel in polline, vel alio quouis modo insumantur: oculorum præterea abundantem humorem finire, ideoque & visui prodesse, oculis videlicet quàm tenuissimo eorum puluere immisso tradũt. Quod autem D. Hieronymus Iudicum 8. vers. 26. in genere monilia, quidam putauerunt esse Margaritas: sic enim habet scriptura, *& fuit pondus postulatarum inaurium, mille septingenti auri sicli, absque ornamentis, & monilibus, & veste purpurea, quibus Reges Madian vti soliti erant. & præter torques aureos Camelorum:* dictio enim hebraica נטיפות NETIPHOTH pluralis obscura est, quam etiam legimus Isaiæ 3. vers. 19. vbi quoque D. Hieronymus *monilia*, eam interpretatur, sicut & Septuaginta interpretes. Chaldæus verò Paraphrastes, *coronas*, siue *torques*, reddit, fortè significans torques in modum coronæ collum cingentes, variis Margaritis compositas. Non desunt qui dicant fuisse vasa aurea, in quibus continebant נטף NATAPH, id est, stactem, seu opobalsamum quibus exornabant collum mulieres.

CRYSTALLVM, lapis pretiosus.

22 Crystallum græcè κρυςάλλ☉ gemma candida est, & pellucida, ita dicta παρὰ τὸ ςέλλεσθαι ὑπὸ τῆ κρύους, hoc est, ab eo quòd gelu contrahatur, teste Plinio lib. 37. cap. 2. vbi docet crystallum fieri gelu vehementiori concreto, nec alicubi certè reperitur, quàm vbi maximæ hybernæ niues rigent, glaciemque esse certum est, vnde & græci nomen dedere. Hic lapis appositus Solis radiis, aridis fungis ignem impertitur, confert contra sitim & ardorem, sumptus etiam in potione prodest aduersus colericam passionem viscerum, si non adsit

consti

conſtipatio. Eſt autem notandum, vocem hebraicam אקדח Ecdach Iſaiæ 54.verſ.12.vbi legimus: *Et ponam in Iaſpidem tabernacula tua, & portas tuas in lapides ſculptos*, pro qua D. Hieronymus poſuit *ſculptos*. Septuaginta interpretes tranſtulerunt *cryſtallum*, in quo non diſſentiunt à D.Hieronymo, imò videntur illum explicare, *& portas ſuas*, inquiunt, *in lapides cryſtalli*, id eſt, in lapides lucidos, politos, & ſculptos. Non tamen defuerunt, qui hanc vocem interpretentur *carbunculum*, vt ſit ſenſus: *& portas tuas in lapides carbunculi*: eſt enim קדח Kadach ardere, incendere. Quare videtur hæc vox ſignificare lapides accenſos & ignitos, quales ſunt carbunculi, & alij pretioſi ſplendentes. Tales erant illi, de quibus Ezech. 28.verſ. 14. *Tu Cherub extentus, & protegens, poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti*. Itaque ſenſus erit: *Ponam Iaſpidem tabernacula tua, & portas tuas lapides pretioſos*, quaſi dicat, componam eas ex huiuſmodi lapidibus.

ADAMAS, lapis pretioſus.

Adamas lapis eſt maximi inter omnes gemmas pretij, græcè ἀδάμας, ab α priuatiua particula & δαμάζω domo, quòd duriſſimus credatur, & nulla vi domabilis; nulla tamen re faciliùs, quàm hircorum calido ſanguine diſſoluitur. Sunt autem Adamantum genera quatuor, ſcilicet, Indicus, Arabicus, Macedonicus, & Cyprius, qui in India naſcitur, æquè magnus eſt ac nucleus Auellanæ, cui ſimilis eſt Arabicus, ſed aliquantò minor, qui in Macedonia in Philipico auro inuentus eſt olim Cucumeris ſemini par eſt magnitudine. Cyprius colorem aureum repræſentat, & in medicamine plurimùm valet. Eſt & Adamas cognomine Siderius, quòd ferri ſit ſplendoris, cæteris Adamantum generibus ponderoſior, ſed diſſimili natura, vtpote qui frangatur faciliùs, & Adamante alio perforetur, nempe eo qui Cyprius eſt. Volunt quidam in Adamante Indico, qui omnium pretioſiſſimus eſt, tantam ineſſe vim, vt iuxta magnetem poſitus ferrum ab eo abſtrahi non patiatur, aut abſtractum ad ſe rapiat. Hinc ergo lapidis huius durities Zachariæ 7. verſ. 12. ſignificatur, cùm legimus: *& cor ſuum poſuerunt ad adamantem ne audirent legem*, id eſt, tanquam Adamantem, vbi voce hebraica Adamas vocatur שמיר Samir. Septuaginta autem ſenſum reſpicientes tranſtulerunt: *Et cor ſuum poſuerunt inobediens*, id eſt, durum. Hinc Ezech.3.verſ.9. *Vt Adamantem, & vt ſilicem tuam, ne timeas eos*, & Ierem. 17.verſ.1. *Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino exaratum ſuper latitudinem cordis eorum*. 23

Adamas autem multo quidem æuo ſolis regibus, & iis paucis agnitus, nunc autem creber, vt omnibus in delitiis ſit penè. Eſt autem colore ferro cādenti haud abſimilis. Vt verò faciliùs hircino ſanguine diſſoluatur, maximè confert, ſi aliquot ante dies hircus petroſelino ſilere montano, & vino ſit educatus. Indicus non in auro naſcitur, ſed quadam cum cryſtallo cognatione candore placido tranſlucet. Huic proximus eſt Arabicus, nec alibi quàm in ſynceriſſimo auro generatur, incudibus & malleis ferreis vterque deprehenſus, in iis reſiſtit, vt indomitus citra omnem iacturam à ferro & incude ſeſe explicat. Quinimò puſilla tametſi mole, ignibus etiam vaſtiſſimis iniectus, mediis pertinax, atque illæſus ita permanet, vt nullam prorſus ignis actionem 24

admisisse (etiamsi multos dies ibi perseueret) palàm ostendat. Generosissimus itaque & selectissimus indicatur Adamas, qui iam narrata descriptáque natura inuicta præditus crystallo paulò obscurior ferrum candens nitore refert, cæruleóque quodam intersuso splendore, ita quidem refulget, vt flammeum solarémque quendam radium transmittere videatur, quasi scilicet vario translucentique suo fulgore quandam cœlestis arcus anhelationem repræsentare videatur. Vires verò Adamanti ferè diuinas attribuunt Philosophi contra venena amuletum esse præsentaneum testátur, qui Adamantem præsente toxico madere confirmant: idcóque pestiferis causis resistere creditur, negantque ferentem fascinari posse, insaniam, metus quoque vanos, ac terrentia intersomnia arcere fertur.

CARCHEDONIVS, lapis pretiosus

25 Carchedonius grecè καρχηδόνιος est genus Smaragdi inter metalla æris repertum, fragile, & colore incertum, ac virentium & caudis Pauonum, columbarúmque collo plumis simile, alio nomine Smaragdites dicitur. Vide Plinium lib. 37. cap. 5. eius mentio fit Apoc. 21. Præterea auctor est Symporianus Campegius in Lotharingia Carchedonios oriri miræ magnitudinis, & si ferrò percutiantur, sonoros, quos & vi præditos scribit aduersùs raucedinem, vocémque clarificare. Dicunt etiam Carchedonios vmbra purpureos ostendi, subitò verò flammeos videri, & Soli expositos scintillare. Cæterùm facultates eis tribuerunt non obscuras contra atræ bilis symptomata, hoc est, tristitiam, timorémque. Neque desunt qui victoriam ei promittere audeant, qui illum secum gestauerit; fertur & festucas calefactas trahere, præcipuæ autem dignitates sunt mares, qui stellas intus ardentes ostentant, vel cœlesti hoc schemate diuinas ferè eius vires attestante.

HYACINTHVS, lapis pretiosus.

26 Hyacinthus græcè ὑάκινθος est genus violę vernæ colore obscuræ purpurę: hinc etiam hyacinthus gemmæ nomen, colorem habens Amethysto gemmæ non absimilem, sed tamen dilutiorem, de qua Plinius lib. 34. cap. 9. Hic lapis præ omnibus aliis aëra sentire perhibetur, sereno scilicet cœlo, seu gratulabundus impensiùs superbiens: nubilo autem, aut omninò obscuro iniucundior, humiliorque apparens. Probantur qui nec obscuriores, nec clariores sunt, quique igni admoti vtcunque purpurescunt, probatissimus quisque si frigidissimus ore sentitur, & scalpturæ contumax, vix tandem cedit. Porrò quod ad facultates spectat, pertinaci frigiditate corpora densare, atque reficere, somnum conciliare, virtutes cordis præsertim tueri à populatim sequiente peste, cum manifesta sua qualitate, tum recondita quadam proprietate gestantem adserere creditur, ideóque pro amuleto collo suspenditur, è regione cordis, vt cutem tangat. Nec desunt qui Hyacinthum confirmant animi alacritatem efficere: præterea & à fulguribus portantem defendere, eius fit mentio Apoc. 21.

STIBIVM, lapis pretiosus.

27 Stibium lapidis genus est simile Galenæ, sed magis radians: est autem Galena plumbi, & argenti vena, communis eius lapis dicitur vulgò Alcophol

stibium,

LAPIS PRETIOSVS.

Stibium, græcè dicitur στίμμι, de quo Plinius lib. 33. cap. 6. In argenti metallis inuenitur lapis spumæ candidæ atque nitentis, quam alij Stibium, alij Alabastrum, alij Larbason appellant. Eius autem vis principalis est circa oculos, quos dilatat, quorúmque fluxiones exulcerat, nouásque inhibet. Ideóque id Græci πλατυόφθαλμον dixêre, ab oculorum dilatatione; vnde Hieronymus: *Ad Furiam non habuit crispantes mitras, nec stridentes calceolos, nec orbes Stibio fuliginatos.* Huius Lapidis fit mentio Isaiæ 54. vers. 11. legimus enim ex D. Hieronymo: *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te Saphiris.* Pro eo enim quod, *lapides*, transtulit D. Hieronymus, in hebraico legimus פוך Pvc. Significat autem hæc dictio Stibium, quo ad venustandos oculos peculiariter fœminæ vti solent; Quare Chaldæus Paraphrastes sic locum hunc interpretatur: *Ego sternam in Stibio lapides pauimenti tui.* Sunt enim lapides Stibij candidi atque nitentes, quasi dicat: sternam per ordinem lapidibus candidis, & nitentibus pauimentum tuum. Quod ergo in genere lapis dixit Hieronymus, quinam lapides essent, exponit Chaldæus Paraphrastes ex hebraica voce. Non desunt qui dicant פוך Pvc hoc loco significare Carbunculum lapidem pretiosum: dicunt enim habere affinitatem נפך Nophec, quod propriè Carbunculum designat: quare Septuaginta interpretes transtulerunt: *Ego preparabo tibi Carbunculum lapidem tuum*, id est, sternam Carbunculos lapides tuos splendentes, & ignei coloris. Sed propriè dictionem hanc Stibium significare facilè deprehendimus ex 4. Reg. 9. vers. 30. Ibi enim pro Stibio legimus פוך Pvc in hebraico, sic enim habet scriptura: *Porrò Iesabel introitu eius audito, depinxit oculos suos*, id est, Stibium in oculis suis: est enim figura hypallage, siue submutatio, sicut illud Psal. 37. vers. 7. *Incenderunt igni sanctuarium tuum*, id est, posuerunt ignem in sanctuario tuo, vel illud potuit interpretari: *disposuit*, id est, aptauit Stibio oculos suos, in quem sensum dixit Hieronymus: *Depinxit Stibio oculos suos.* Hinc etiam Ieremiæ 4. vers. 30. *Tu autem vastata quid facies, cùm vestieris te coccino, cùm ornata fueris monili aureo, & pinxeris Stibio oculos tuos frustra componeris:* Vbi pro pinxeris ad verbum est, *scideris*, quoniam ob nimiam fucandi frequentiam oculi scinduntur. Denique non desunt qui putent Stibium ab herba Stibe latinè denominatum, quam Dioscorides lib. 3. de sylua medicinali scribit oculis auferre rubedinem.

Parivs lapis pretiosus. 28

Marmor autē genus est lapidis durissimi, cuius diuersa sunt genera: Quoddam enim album Parium dicitur à Paro insula: Hinc πάριος, lapis Parius sculpturis aptissimus, & candidus, cuius fit mentio Esther cap. 1. vers. 6. *Super pauimentum*, inquit, *Smaragdo, & Pario stratum lapide dispositi erant, quod mira varietate pictura decorabat:* vbi pro Pario legimus in hebraico דר Dar: Est autem lapis pretiosus marmoris præstantissimi. Est autem aliud genus marmoris Liconium, quod est viride, & cunctis hilarius, aliud Luculleum, quod ferè atrum erat, quo delectatus Lucullus illi nomē dedit. Aliud Ophites, quod est rubrum candidis interuenientibus punctis, quod & Leucos tictos vocatur. Balsalter ferrei coloris & duritiei, vnde & nomen mutuatur. Onychitis ex Ariæ montibus est, ex quo vasa potoria in Germaniam deferuntur. Alabastrum quoque

candidum cauare solent ad Myrothecia, quoniam vnguenta incorrupta seruare creditur. Sunt & alia genera marmoris, quæ breuitatis causa omittimus: sed ex cognitione Liconij, quod viride esse diximus, obscuritas huius loci Esther, quem citaui elucidatur: Nam pro eo quod legimus: *Super pauimentum Smaragdo, & Pario stratum lapide*, in hebraico ad verbum est: *Super pauimentum, & marmore, & Pario lapide stratum:* Nam pro Smaragdo quod ponit D. Hieronymus, in hebraico legimus שש Ses, id est, marmoris. Significare autem hanc dictionem substantiam marmoream constat ex versu sequenti, vbi columnæ marmoris dicuntur columnæ שש Ses: est enim שש Ses marmor, vt patet quoque ex primo Paral. 29. vers. 2.

Cap. XIII. DE SVBSTANTIA METALLICA. ÆS.

1 ÆS propriè species est metalli rubro colore, primùm in Cypro reperta; dicitur græcè χαλκός, & illud quod in Libano monte effoditur Chalcolibanum: Orichalcum verò quod in montibus nascitur, aut in locis montuosis, vt ait Sextus Pompeius de verborum significatione lib. 1. Id nomen ipsum satis indicat, quod ab ὄρος, quod est mons, & χαλκὸν, id est, æs, sumptum est, quod pretiosum olim fuisse indicat Plinius lib. 34. cap. 2. & Seruius in 12. Æneidos ait, apud maiores Orichalcum pretiosius omnibus metallis fuisse. Nam sicut Lucretius dicit, cùm primum homines syluas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terra casu fertilis omnium ex incendij calore desudauit metalla, inter quę Orichalcum pretiosius visum est, quod & splendorem auri, & æris duritiem possideret. Nam teste Isidoro lib. 16. Antiquitus antequam ferri vsus cognitus esset, ære proscindebant terram, & belli certamina peragebant: & cùm eo tempore aurum, & argentum paruipenderent, hoc tunc in summo honore habebatur & pretio. Constat autem Orichalcum à quibusdam etiam vocari aurichalcum, quòd aurum colore referat, sub quo aurichalci nomine bis reperitur apud Plinium libro 34. cap. 2. & libro 37. cap. 9.

2 Compositio autem æris sicut, & aliorum metallorum, fit ex sulphure, & viuo argento, quando sulphur est terrestre, & non purum, habens rubeum colorē adurentem, & argentum viuum est mediocre, neque nimis subtile, neque crassum admodùm. Itaque ex hac commixtione, teste Aristotele, æs generatur, & quemadmodum scribit Isidorus lib. 16. si fuerit admixtum aliis metallis, colorem mutat pariter, & virtutem. Hinc fit vt aliud sit album, ad nitorem argenti accedens, aliud fuscum, speciem exprimens auri. Est & aliud æris genus, quod dicitur coronarium, quod scilicet ex ductili ære in laminas attenuatur, & felle tauri tingitur, atque auri speciem refert, quo Histriones ad coronas vtuntur, vnde & coronarium vocatum est. Confert æs ad tubarum, & cymbalorum vsum, quòd sonorum sit & durum. Vasa autem ænea rubiginem atque æruginem contrahunt, nisi sæpe arenæ asperitate tergantur: ne autem olfactui, & gustui molesta sint, oportet stanno liniri; ipsum autem æs nisi stanno fuerit superinductum facilè exuritur. Exustum autem, & in puluerem redactum,

ductum, vim habet dissoluendi, consumendi, & extenuandi humores noxios, eósque expurgandi, sanandi etiam vulnera, & caliginem oculorum expellendi, carnes quoque superfluas corrodendi, ne vlterius crescant.

Vocatur verò æs voce hebraica נחשת Nechoseth. Nominis autem rationem quidam esse autumant, quòd ex eius sono obseruatio fieret in augurando, vel quòd ad varios vsus accommodetur experientia magistra: est enim נחש Nachas augurari, diuinare, & etiam experiri. Significat quoque ista vox chalibem, id est, æs ferro mixtum, *el azero*, & vbicunque vox ista in scripturis ponitur roboris notandi causa, per eam chalybs designatur, quem simpliciter ipsum æs significet: sicque exponendus est locus ille Ierem. 6. vers. 28. *Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter: æs & ferrum vniuersi corrupti sunt*, estque sensus: *æs & ferrum vniuersi*, id est, æs mistum ferro nempe chalybs, *duros como el azero.* Quare Chaldæus Paraphrastes: *Qui miscent*, inquit, *æs cum ferro vniuersi corrupti sunt*: æs enim ferro miscetur, vt facilè fundatur: ferrum namque per se solum fundi non potest, nisi æri admisceatur: sic ipsi principes, & optimates misti sunt inter se, simul ambulant, vt fraudulenter, & malè operentur, vt noceant, & lædant maiori conatu: propterea dixit: *Omnes isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter:* Septuaginta transtulerunt: *inobedientes ambulantes prauè.* Erant enim serui admixti, & sociati dominis, & principibus, vt agerent peruersè: Ideo itaque æri, & ferro commixtis, id est, chalibi comparantur. Est autem hic notandum, chalibes populos sitos esse in Ponto iuxta Termodontem fluuium, qui Alizones Homero dicti fuêre, & postea vocati sunt Chaldæi, teste Strabone lib. 12. hi ferrum nudi effodiunt, vnde Virgilius,

India mittit ebur, molles sua Thura Sabæi,
Et Chalibes nudi ferrum.

Hinc, *el azero*, chalibis nomen obtinuit.

Æris autem nomen latinum deductum putant aliqui ab auri similitudine, 4
Varro ab Asse, & quia primum maximo in pretio fuit, adeò vt pecuniam quoque iacente auro ex eo signarent, factum est, vt pro ipsa pecunia tam in sacris quàm in prophanis literis accipiatur. Nam Seruius: *Rex*, inquit, *primus post vrbem conditam signare æs cœpit, cuius in altera parte nota fuit Ianus geminus*, in altera rostrum nauis, teste Plinio lib. 37. Sed Macrobius primum æs à Iano ipso signatum fuisse tradidit, eo tempore quo Saturnus filium fugiens primum in Italiam venit: & quoniam naui fuerat aduectus, in signando ære ex vna quidem parte sui capitis effigiem, ex altera nauis rostrum impressit, vt quantum in se esset, Saturni memoriæ consuleret, ne accepti beneficij immemor esse videretur, nempe vsus agriculturæ, quam rudi suæ genti monstrauit. Ponitur etiam sæpe æs pro tubis, quia ex ære fiunt, hinc æneatores vocati sunt tibicines, æs item alienum dicitur, quod debitum est; æs etiam militare dicebatur, quod tribunis ærariis attributum erat, vt militibus redderetur. Æs autem ductile est, quod facilè ducitur, & attenuatur in laminis, quod & regulare vocat Plinius lib. 34. cap. 9. Æs autem caldarium funditur, tum & malleis fragile est.

Ærarium

METALLVM.

5 Ærarium verò locus erat vbi pecunia publica reponebatur. Romanorum autem ærarium in æde Saturni fuisse constat, propterea quòd aureo illo sæculo nullum factum esse furtum creditur. Publicum ærarium locus erat vbi poplicæ, id est, publicæ pecuniæ reponebantur. Apud Athenienses autem cella erat post ædem Mineruæ, ob id ὀπισθόδομος dicta. Ærarium autẽ duplex principes habuisse liquet, nempe ærarium priuatum, id est, rerum priuatarũ principis, quod curæ erat comiti rerum priuatarum, vt ex Theodoreti lib. 3. cap. 12. constat. Est & ærarium sacrum, id est, sacrarum largitionum, hoc est, Thesaurorum D. l. vnica C. de quæst. Ærarium verò sanctius antiquis dicebatur prorsus intactum, vnde pecuniam promi non liceret, teste M. Tullio lib. 7. ad Atticum Epistola 19. Ærarij autem Tribuni à tribuendo ære appellati sunt Festo lib. 3. ærarij etiam milites ab ære dicti sunt, quòd stipendia facerent, vt scribit Varro lib. 4. linguæ Latinæ. Item ærarij, vt ex Marco Fabio lib. 1. cap. vltimo constat, sunt monetæ excussores. Ærarij autem quæstores, vt Tacitus scribit lib. 13. dicuntur mulctatorum receptores. Præterea Æs pro Asse accipi antiquis ait Varro lib. 8. linguæ Latinæ. Æris tandem appellatione omne numerorum pecuniæque genus significari liquido constat, quod hinc manasse ex Plinio lib. 18. cap. 3. & lib. 33. cap. 3. didicimus, quia veteres æreis nummis ouium boúmque effigie à Seruio Tullio signatis vterentur. Dicebatur præterea æs circumforaneum pecunia ad vsuram accepta, id est, æs fœnerantium, vt apud Ciceronem ad Atticum. *Quin & ære dirutum*, inquit Festus, *militem dicebant, cui stipendium ignominiæ causa non est datum, quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum.* Hoc verbo facetissimè vsus est Cicero in Verrem actione nona. Denique ærata porta Varroni ideò dicta, quod ære tecta fuisset lib. 4. linguæ Latinæ. Tum & ærosa pecunia ac subærata, quæ aurea, & argentea videtur, & habet in se æris plurimum. Sic ærosum lapidem Plinius lib. 34. cap. 1. & aurum ærosum lib. 33. ca. 5. dixit, cui inesset æris vena, vnde Cyprum insulam ærosam appellasse veteres Festus lib. 1. scribit, quòd in ea plurimum æris nascatur.

6 Denique æs vilius argento metallum est, multis tamen vasorum, & instrumentorum vsibus aptissimum, & splendoris ac munditiæ facultate est commendabile: si enim coletur, & purgetur diligenter, non ingratè splendet. Harum rerum summa illo loco Genes. 4. indicatur: Tubal enim fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & Deuteron. 7. de montibus eius æris metalla fodiuntur: habet autem suam in materia præstantiam, & ad vsus tum elegantiam, tum etiam durationem, vt Isai. 60. *Pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum afferam.* Præterea in omni metallorum genere ærea instrumenta, vel flatu, vel pulsatione optimum sonum, & clarissimum, concentissimúmque reddunt, sicut scriptum est Ieremiæ 4. *Vox eius quasi æris sonabit.* Morum etiam duritiem, & difficultatem maximam æris nomen in comparationibus, & similitudinibus sacræ scripturæ appellatum, arguit, vt Isai. 47. *Frons tua ærea.* Firmitudinem quoque, soliditatem, & constantiam significat æs, eóque nomine in sermones inducitur, vt Ieremiæ 1. *Dedi te in murum æreum super omnem terram.* Porro æs sonans vanam mentem, & à virtutis studio, & exercitatione alienam sermonis tantùm

tantùm honesti ambitiosè iactantem apud Paulum significat, vt cùm Paulus ait 1. Corint. 13. *Factus sum velut æs sonans*, &c.

FERRVM.

Ferrum teste Aristotele procreatur ex argento viuo crasso, immundo, & terrestri, & sulphure etiam crasso, in cuius compositione plus inest sulphuris, quàm argenti viui, & quia prædominatur vis frigida, sicca, & terrestris, accidit vt ferrum sua natura sit siccum, & valde durum, atque compactum: citissimè autem ex sanguinis contactu rubiginem contrahit. Rubigo autem vitium est ferrum rodens, quod ei contingit ex suæ substantiæ impuritate, vel ex cõtactu, & vicinitate terræ, & interdum ex alterius cuiúsque humidi vaporis qualitate, & vt notat Isidorus à ferro sanguis humanus effunditur, & de ferro sanguis vltionem sumit, quia nulla alia re ita ferrum ac tam cito per rubiginem consumitur, quàm si humano sanguine inficiatur. Ferri autem vsus magis, & ad plura hominibus confert, quàm auri: quamuis magis aurum ex cupiditate diligatur, sine ferro tamen respublica tuta esse non posset, quo defenditur commune ius, Innocentia tuetur, & improborum audacia metu coercetur: eo ferè mechanica omnia opera fabricantur, ædificia construuntur, & exercetur agricultura. Vtile præterea est ad corporum salutem. Tradunt enim artis medicæ periti si ferrum candens in vino, & lacte sæpius extinguatur, huiusmodi vinum, & lac spleneticis, & aliis morbidis saluberrimum esse. 7

In sacris verò literis sæpe arma, & gladij, aliáque incidendi instrumenta, quòd ex ferro conficiantur, à materia ferrum dicuntur; sic Numeri 35. *Si quis ferro percusserit*, & Iudicum 16. *Ferrum nunquam ascendit in caput meum*: sic Iob. 41. *Reputabit quasi paleas ferrum*, & Psalm. 104. *Ferrum pertransiit animam eius*, Porrò durissimum & insuperabile rei alicuius, aut personæ ingenium ferri similitudine exprimitur, sic Leuit. 26. *Dabo*, inquit, *cœlum desuper sicut ferrum*, hoc est, non blandum, nec benignum, aut ad opportunorum commodorum vsum efficax, vt Deuter. 27. *Ponet iugum ferreum super ceruicem tuam*, & 3. Reg. 22. *Fecit quoque sibi Sedechias filius Chanaana cornua ferrea, & ait: hæc dicit Dominus: his ventilabis Syriam, donec deleas eam*, & Isai. 47. *Neruus ferreus ceruix tua*, sic Ezech. 4. *Sumes tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum*, & Micheæ 2. *Cornu tuum ponam ferreum*, & Psal. 2. *Reges eos in virga ferrea.* Dicitur autem ferrum latinè à ferendo, quòd in agrum colendi gratia feratur, dictum est, vel à feriendo, quòd cætera eo feriantur: sua enim sæuitia feriendo domat reliqua metalla, eáque attenuat, & extendit. Cicero autem 7. in Verrem, ferrum videtur posuisse pro compedibus ferreis; vnde & pro gladio apud Latinos interdum sumitur. Ferro etiam, & flamma rem geri dicimus, cùm exitiale bellum significamus: Et illud, *ferrum natare doces*, de iis dicitur, qui rem conantur, quæ repugnante natura nequaquam fieri possit. Ferro etiam damnati, & ad ferrum dicuntur qui damnantur, vt cum gladiatoribus pugnent. Itaque Suetonius de munere gladiatorio loquens in Nerone: *Exhibuit*, inquit, *ad ferrum etiam quadringentos Senatores.* 8

In sacris quoque literis vox hebraica ברזל BARZEL non semper pro materia ferri sumitur, sed significat ea, quæ ex ferro fiunt instrumenta; Quare pro 9

METALLVM.

compedibus accipitur Psalm. 106. vers. 10. *Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinclos mendicitate & ferro*, id est, ferreo instrumento. Sic etiam 4. Reg. 6. vers. 5. ברזל Barzel, id est, ferrum securim significat, vel certè ferrum seu laminam & aciem ipsius securis bipennis seu asciæ: sic enim legimus: *Accidit autem, vt cùm vnus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam*, quod ita transfert D. Hieronymus, cùm hebraica lectio habeat: *& ferrum cecidit in aquam:* Quod eodem modo explicant Septuaginta interpretes, dicentes: *& cecidit ex manubrio ferrum.* Ad eundem modum 1. Paralip. 29. vers. 2. Barzel, id est, ferrum pro vase ferreo sumitur, sicut זהב Zahab aurum pro vase aureo, & כסף Ceseph argentum pro vase argenteo. *Ego, inquit Dauid, totis viribus meis praeparaui impensas domus Domini aurum ad vasa aurea, & argentum ad argentea, & æs in ærea, & ferrū in ferrea* quod prædicto modo interpretatur D. Hieronymus, cùm in hebraico ad verbum legamus: *Præparatur aurum ad aurum*, id est, ad vas aureum, *Argentum ad argentum, æs ad æs, ferrum ad ferrum*, id est, ad vasa ex his composita. Sumitur quoque pro ferreo instrumento 2. Reg. 23. vers. 7. Sicque exponendus est locus ille: *Præuaricantes autem quasi spinæ euellentur vniuersi quæ non tolluntur manibus, & si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro, & ligno lanceato*, id est, ferreo instrumento ad eas præscindendas, vel ferreo tegumento, vt seruet manus incolumes, & corpus ipsum à spinarum incursu.

STANNVM.

10 Stannum metalli genus est, quod in fodicinis inuenitur cum argento, & in fornace primum liquescit. Plinius Stannum multis in locis plumbum album vocat, ad differentiam plumbi nigri, quod velut argenti, stannique quoddam purgamentum in fornace remanet: verba eius sunt hæc ex libro 34. cap. 16. *Plumbi nigri origo duplex est: aut enim sua prouenit vena, nec quicquam aliud ex se parit: aut cum argento nascitur, mistisque venis conflatur. Eius qui primus fluit in fornacibus liquor Stannum appellatur, qui secundus argentum, quod remansit in fornacibus Galena, quæ portio est tertia additæ venæ; hæc rursus conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus.* Stanni autem ea est natura, vt mixta, & adulterata inter se metalla separet, atque discernat, vtpote ab auro, & argento æs, & plumbum. Tuetur etiam metalla ab ignis vehementia, ne consumantur: cùm enim æs, & ferrum natura sua sint durissima metalla, si absit Stannum facilè exuruntur: teste autem Aristotele in Meteoris Stannum componitur ex argento viuo præstanti, & ex sulphure vili atque imperfecto, cúmque hæc mixtio non sit perfecta atque idonea ad argenti procreationem, ideò Stannum fit, & imitatur colorem argenti, sed non retinet eius soliditatem. Denique cum Stannum sit argento mollius, & plumbo durius, non potest argentum plumbo, aut æri facilè consolidari sine Stanno, quod quidem adustum generat colorem minium, vel vermiculum sicut plumbum. Denique Stannum illitum æneis vasis saporem gratiorem reddit, eorum quæ continet, & compescit æruginis virus, & quod mirum est, pondus non auget, specula etiam eo temperantur: fit etiā cerusa ex Stanno, sicut ex plumbo, teste Isidoro lib. 16. cap. de metallis. Omnia verò metalla, & corpora frangit, quibus admiscetur, propter nimiam suam siccitatem, ductilem etiam naturam in eis destruens.

A sepa

METALLVM.

A ſeparatione autem videtur nomen hebraicum Stanni ductum, quod eſt 11
בדיל Bedil: eſt enim בדל Badal diuidere, ſeparare: ſic autem vocatur, quòd in fornace ſeparatum primum effluat ex argento, vel quòd adulterata metalla inter ſe commixta per ignem à ſe inuicem ſeparet, cuius naturam hac eſſe diximus. Zachariæ verò 4. verſ. 10. dum legimus: *& lætabuntur, & videbunt lapidem Stanneum in manu Zorobabel.* Lapis Stanneus perpendiculum, quod ex Stanno, aut plumbo fieri ſolet, ſignificat, & dicitur אבן הבדיל Eben habedil, ſicque hoc explicat Chaldæus Paraphraſtes, *& videbunt*, inquit, *lapidem perpendiculum in manu Zorobabel.* Hinc etiam factum eſt, vt quoniam אנך Anac Stannum ſignificat, transferatur aliquando ad ſignificandum quoque Stanneum perpendiculum, népe amuſſim, ſiue regulam, qua latomi vtuntur ad dirigendum muros, & parietes in ædificando. Hinc varias ſortitur interpretationes locus ille Amos 7. verſ. 7. *Hæc oſtendit mihi, & ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla cementarij*, vbi pro *trulla cementarij*, legimus אנך Anac, quod ad verbum eſt Stannum. Hieronymus *trullam cementarij*, interpretatus eſt, qua linitur, ſiue complanatur murus, ſequutus Aquilam, qui vertit ἀλείφωσιν, id eſt, inunctionem. Septuaginta verò interpretes *Adamantem*, interpretati ſunt: *Ecce*, inquit, *Dominus ſtans ſuper murum Adamantinum, & in manu eius Adamas*: ſed quia אנך Anac Stannum ſignificat, alij *Stannum perpendiculum*, ſunt interpretati, vt ſit ſenſus: *Ecce Dominus ſtans ſuper murum perpendiculi*, id eſt, perpendiculo Stanneo conſtructum & regulatum, & in manu eius perpendiculum Stanneum: quem ſenſum ſequutus eſt, & explicauit Chaldæus Paraphraſtes, qui pro אנך Anac Stanno *iudicium*, poſuit, quòd per Stannum perpendiculum ſignificatur, ſic enim habet: *Ecce verbum Domini ſtabat ſuper murum iudicij, & coram illo erat iudicium.*

PLVMBVM.

Plumbum verò, teſte Iſidoro lib. 16. de metallis, dictum eſt, ex eo quod ex 12
pilis de plumbo factis, maris altitudo primitùs eſt tentata, qui eius duo conſtituit genera, candidum ſcilicet, atque nigrum. Candidum præſtantius eſt, & primo in inſulis athlantici maris antiquitus inuentum, & multis in locis his temporibus reperitur: In Gallia enim, & Luſitania terra quædam nigra, arenoſa, & calculoſa conſpicitur, quæ quidem abluitur, & ex materia quæ ſubſidet per decoctionem in fornacibus Plumbi ſubſtantia remanet; in aurifodinis etiam inter auri materiam quidam lapilli reperiuntur nigri, qui ſimul cum auro collecti, poſtea ab auro ſeparati, & perſe conflati in Plumbum reſoluuntur. Nigrum verò Plumbum duplex eſt: aut enim ex ſua vena prodit, aut cum argento naſcitur, quo conflato primò procedit Stannum, quod à Plinio Plumbum album vocari diximus, deinde argentum, tertiò quod remanet per conflationem efficitur Plumbum nigrum. Plumbo verò infuſo & ſtatuæ, & aliæ operum ædificiorúmque moles cohæreſcunt, & firmitate ſtabiliuntur: ſuapte autem natura eſt adeò ponderoſum, vt quàm difficilè loco vbi eſt, dimoueri poſſit; quare ex ſua natura ſignificat firmitatem. Eſt etiam & hebetudinis indicium: hoc quidem ſignificamus cùm aliquem Plumbei ingenij eſſe dicimus, quia caret mentis velocitate; vnde Cicero in Tuſculanis: *Niſi*

ſanè in phyſicis plumbei ſimus; & pro inefficaci, & inutili atque inani ſermone Plumbeum gladium, aut pugionem Plumbeum apud eundem Tullium inuenies. Plumbo autem ſuper acetum poſito, ab eo ſic penetratur, vt Plumbi ſubſtantia in puluerem redigatur, & in colorem album ceruſæ transmutetur, quod tamen quando ebullit omnium ſolidorum corporum duritiam ſoluit, etiam Adamantis. Eſt autem ad vſum medicorum maximè commodum: cùm enim ſit frigidum, & humidum in ſecundo gradu, confert aduerſus ignis vſtionem, & apoſtemata calida; conſtringit etiam fluxum ſanguinis vulnerum, abſtergens reumata oculorum, ictus etiam ſcorpionum atque draconum mitigat, prohibet Venerem, ſi Plumbi ipſius lamina lumbis apponatur.

13 A puluere verò dictum eſt Plumbum apud Hebræos: nomen enim eius eſt עופרת Ophereth, deductum ab עפר Aphar puluis. Accipit autem nomen à puluere, quia cætera metalla conſumuntur à puluere, & ab eo imminuuntur, quandiu in eo verſantur: At Plumbo etiam aliquid accedit, dum eſt in puluere, vel etiam ſic vocatur quòd magnam partem habeat terreſtrem. Comparatur autem iniquitas Plumbo, propter eius pondus maximum, ſicut exercitus Pharaonis, qui in iniquitate permanens, tanquam Plumbum ſubmerſus eſt in aquis vehementibus; Quare Zachariæ 5. verſ. 8. legimus: *Et dixit: hæc eſt impietas, & proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam Plumbeam in os eius*, ad verbum: *& proiecit eam in medio*, איפה Epha. Eſt autem *Epha*, genus menſuræ aridorum, id eſt, modius continens tria ſata: proinde Septuaginta tranſtulerunt: *in medium menſuræ*. Hieronymus verò interpretatur *amphoram*; eſt autem amphora genus vaſis fictilis, duas habens anſas, vnde & nomen accepit, quòd ſcilicet anſis vtrinque apprehenſis feratur, ab ἀμφὶ καὶ φέρω, genus quoddam menſuræ, capiens octo congios, hoc eſt, quadraginta octo ſextarios: amphora Latinè dicitur. Quod autem transfert Hieronymus, *maſſam Plumbeam*, in hebraico eſt אבן עפרת Eben ophereth, ad verbum, *lapis Plumbi*, quare Septuaginta *lapidem plumbi* tranſtulerunt: Chaldæus Paraphraſtes locum hunc exponens, pro amphora, *menſuram falſam* interpretatur, & pro lapide Plumbi, *populum alienum*, per menſuram falſam populum Iſraëliticum intelligens: ſic enim habet: *Et dixit propter hoc condemnati ſunt, & in exilium tranſlati, eo quòd accipiebant, & dabant menſuram falſam, & venerunt populi alieni qui habitauerunt in medio eorum.*

14 Itaque ex grauiſſimarum pulueris partium concretione plumbum genitum, nomine hebraico עופרת Ophereth, non ſolùm ipſa materia, nempe puluis, ſignificatur, vt dictum eſt, ſed & grauitas atque vilitas in multis ſacræ ſcripturæ locis: grauitas quidem, quia ex graui puluere fit: vtilitas verò, quia fœmineum habet genus vox ipſa hebraica, quòd eius natura vilis ſit, & fœminea, nullis vſibus habilis præterquàm ad ponderandum, implendum, & obſtruendum, quod etiam propriè pulueris eſt, ſicut docet Eccleſiaſticus cap. 22. cùm ait: *ſuper plumbum quod grauabitur.* Quibus ex rationibus ſermones induci ſolent, qui vel pondus & grauitatem maximam, vel obſtructionem, & congeſtionem ſignificant, vt Exod. 15. *ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementi*

mentibus,& Iob 19.*plumbi lamina,vel celte sculpantur in silice*:hoc loco obstructio,
& tenacitas indicatur.Item Ezech. 22.*plumbum in medio fornacis scoria argenti*
facti sunt:námque hoc genus maximè ex metallis omnibus in cineres, tandem
& pulueres redigitur,si nimium igni excoquatur. Solet etiam significare plū-
bum diuinarum correctionum grauitatem , quæ hominibus ad expurgandas
scelerum sordes inferuntur.Namque argento repurgando plumbum additur,
vnde Ierem.6.legimus:*in igne consumptum est plumbum.*

ARGENTVM.

Argentum metallum est post aurum pretiosissimum , quod gignitur ex ar- 15
gento viuo & sulphure albo.Est autem duplex argentum,simplex & compo-
situm:simplex autem est liquidum, & vocatur argentum viuum:compositum
autem argentum est solidum,& hoc dicitur propriè & simpliciter argentum,
quod album,& clarum,& sonorum purum & ductile est. Liquefit verò igne
& resoluitur , & ab igne remotum , abiecto colore rubro quem ex igne con-
traxerat,manet calidum & durum. Est autem argentum aptissimum,& maxi-
mè idoneum ad balsamum conseruandum,cuius spuma, & scoria vulnera sa-
nat,nec sinit superfluas carnes excrescere,& sordes mundificat. Ex terræ verò
contactu contrahit rubiginem : sed si arena & sale extergatur,colorem pristi-
num resumit.Argentum verò factum dicitur,quod elaboratum est,& in vasa,
aliamque supellectilem fabricatum : græci appellant ἀργυρώματα. Argentum
verò infectum dicitur , quod rude & nondum elaboratum. Argentum autem
signatum est,à quo pecunia argentea dicitur, quòd signum Principis, vel Ma-
gistratus habeat impressum.Quæ duo genera distinguit Seneca libr.1. de be-
neficiis,dicens : *Libentius donabo argentum factum, quàm signatum.* Interdum etiā
argentum absolutè positum legimus pro argento facto , siue supellectili ar-
gentea, & aliquando pro argento signato, hoc est, pro pecunia argentea. Est
autem primò signatum argentum anno vrbis 585. Quinto Fabio Consule,
quinque annis ante bellum Punicum primum. Nota autem argenti bigæ , &
quadrigæ fuerunt , vnde bigati & quadrigati nummi appellati sunt. Aureus
verò nummus , 60. anno post argentum percussus est , in quo primò Consu-
lum , deinde Imperatorum capita imprimi cœperunt , & ab iis sæpe nomina
accepère.

Pustulatum autem argentum à pustulis dicitur ; quæ in argento cælato in 16
aspredinem quandam excisi visuntur,sicut pustulæ in corpore, ex igne frigo-
re , vel labore nascentes , græcè ἀργύρεον φλυκταινῶδες. Tranquillus in Nerone
pustulatum argentum posuit pro purgatissimo & exactissimo, cuiusmodi au-
rum obrizum græcis appellatur de quo Budæus : *Nonnulli* inquit , *indicant le-
gendum esse pustulatum ,quemadmodum legitur in L.31. D.locati. & illud videri indu-
ctum à pusula,quo nomine ignis acerrimus significatur.* Argentarij verò,seu argenta-
riæ mensæ exercitores erant,ciues Romani,qui tum Romæ,tum in prouinciis
rei numariæ negotiationem exercebant vnde & numularij & mensarij nomi-
nabantur. Erant autem in foro stantes, ibique tabernas , & mensas suas posi-
tas habétes,apud quos etiam fænoribus pecuniæ deponebantur,quas per par-
tes erogabant & collocabant,quarum probatio scripturis, probationibus cō-

tinebatur. Ad Argentarios autem duabus de causis pecuniæ deferebantur: aut enim credebantur sub vsuris ipsis, quas deinde fænori collocabant, aut deponebantur sine fænore, propter fidem publicam duntaxat, id est, vt tutiori loco, quàm in priuatis ædibus asseruarentur, atque hæ pecuniæ in æde Castoris recondebantur.

17 Quod autem argentum maximè expetatur & diligatur, ideò vocatur ab hebræis כסף Ceseph. Est enim כסף Casaph amare, concupiscere, & capitur interdum pro pecunia, cui quidem dictioni si adiungatur nomen ponderis, aut numeri, sumitur pro argenteo, seu moneta argentea: si verò adiuncta ei sit vox עבר Ober, id est, *transiens*, significat monetam localem, quam dicimus vernaculè, *moneda que corre*: sic Gen. 42. vers. 25. vbi legimus: *tollensque Simeon &c. iussit ministris vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis singulis*, pro pecunias singulorum, legimus כספיכם Caspecem, id est, *argenta eorum*, hoc est, pecuniæ eorum. Pro ipso argento sumitur hæc dictio Isaiæ 48. vers. 10. *Ecce, inquit, excoxi te, sed non quasi argentum elegi te in camino paupertatis*: in hebraico est, ככסף Caceseph, vbi D. Hieronymus primam literam faciens כ Caph, transfert: *quasi argentum*. Alij putant esse literam ב Beth, & exponunt contentum pro contento. *Ecce excoxi te* בכסף Baceseph *in argento*, hoc est, in fornace argenti, & camino paupertatis. Significat autem argentum in sacris literis diuitiarum abundantiam, vt Iob 3. *qui replent*, inquit, *domos suas argento*. Negotiatio etiam argenti aliquando omnem fœlicitatis cumulum indicat, vt Prouerb. 3. & Iob 22. *Erit*, inquit, *omnipotens contra hostes tuos, & argentum coaceruabit tibi*. Probitatis etiam, & laudabilis virtutis imaginem, & argumentum refert, vt Prouerb. 10. *argentum electum lingua iusta*, & Prouer. 24. *aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*. Expectatam etiam virtutem aliquando & probatam significat dictio ista *argentum*, vt Prouerb. 17. *sicut igne probatur argentum, ita corda probat Dominus*.

Argenti scoria.

18 Sordidissima autem in omni metallorum natura, & ad omnem vsum ineptissima pars, sunt scoriæ quæ recrementa cæterorum esse videntur. Nec verè in terram, sed in sterilem quandam, & ineptam materiam referuntur. Quamobrem vilissimum, inutile, & sordidissimum ingenium, vitæque rationem impurissimam, & Deo penitus improbandam significat hoc nomen, ad arcani sermonis rationem vsurpatum, vt Exodi 22. *Fili hominis*, inquit, *versa est mihi domus Israël in scoriam*. & Isaiæ 1. *excoquam ad purum scoriam tuam*, à sordibus autem scoria hebraicum nomen sumpsit: vocatur enim סיג Sig argenti scoria, & cuiuslibet fusi metalli. Hæc autem dictio potest reduci ad סוג Svg, quod est retrocedere, alienari, extraneum fieri, quare סיג Sig sordes significat, quæ ex metallis igni retrocedunt: indéque peti potest explicatio loci illius Prou. 26. vers. 23. *Quomodò si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata*. Pro argento sordido habes כסף סיגים Ceseph sigim, ad verbum, *argentum scoriarum*, id est, plenum scoriis, obductum scoriis argenti super terram. Septuaginta interpretes, *argentum datum cum dolo*, transtulerunt, quod dicunt sicut testa reputandum: vocant autem argentum dolo datum

tum,quod non est purum,sed mixtum scoriis,& adulterinum.Chaldæus verò Paraphrastes *argentum fæculentum*, exponit. Variant autem omnes in sensu secundæ partis huius loci:nam pro eo quod in hebraico legimus בלקים Bolekim, D.Hieronymus, *labia tumentia*, exponit, Septuaginta *labia leuia*, Chaldæus Paraphrastes,*labia incensa*,vox hebraica reducitur ad דלק Dalak,quod est incendere,persequi.D.Hieronymus labia tumentia dixit, id est, ira accensa,iuxta sensum Chaldæi Paraphrastis.

19

Rubigo quoque argenti hac voce hebraica סיג Sig scoriam significante designatur,Prouerb 25.vers.44. *Aufer*,inquit,*rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*:Est autem rubigo quam contrahere solet argentum:sed quoniã propriè סיג Sig scoriam significat: & צורף aurificem, significat enim צרף Saraph conflare, fundere ad purificandum, ideò posset locus iste sic exponi,vt esset sensus: *Remoue scorias ab argento,vt egrediatur aurifici vas*,pro quo posuit D.Hieronymus:*vas purificatum*, vnde Chaldæus Paraphrastes sic interpretatus est: *Collige scoriam de argento, vt egrediatur vas à conflatorio*, longè tamen videtur sensus quem Septuaginta reddunt, diuersus, sic exponentes: *Percute improbatum argentum. & purificabitur purum omne*:sed reuera idem est sensus:vocant enim improbatum argentum illud, ex quo multæ scoriæ sunt remouendæ:sequitur deinde,*& purificabitur purum omne*, pro eo autem quod alij *vas* trãstulerunt, ipsi interpretati sunt *omne*, quia pro כלי Celi,id est, vas, legerunt כלו Cvllo,id est,*omne*, accipientes literam ו Vav, pro litera י Iod, sicque pro *purum vas*,reddiderunt,*purum omne*.Præterea Isaiæ 1.vers.25. stannum pro scoria argenti sumitur:est enim propriè stannum argenti scoria:sic enim legimus: *excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum*, id est scoriam argenti tui;quare paulò ante vers.21.scoria pro stanno accipitur,*cùm argentum tuum versum est in scoriam*, id est, in stannum, ac si dicat: argentum in stannum commutatum est,quod argenti est scoria.

Ob variam verò acceptionem vocis סיגים Sigim in psalm.118.vers.119. 20
illum locum diuerso modo interpretati sunt D.Hieronymus, & Septuaginta interpretes dum legimus:*Prauaricantes reputaui omnes peccatores terræ,ideò dilexi testimonia tua*:Nam pro eo quod in hebraico est סיגים השבתי Sigim Hisabti,Septuaginta transferunt,*prauaricantes reputaui*: Hieronymus verò,*quasi scoriam computasti*:ratio diuersitatis est, quia D. Hieronymus in dictione השבתי Hisapti literam ה He accepit pro ח Cheth,& legit חשבת Chasabta quod est, *reputasti*: Septuaginta verò interpretes quoque legerunt pro ה literam ח, sicut Hieronymus, sed mutauerunt secundam personam in primam חשבתי Chsabti,vertentes ἐλογισάμην *reputaui*.Dictionem verò סיגים Sigim,quæ scorias significat,D.Hieronymus *scoriam* interpretatus est: At verò Septuaginta eandem vocem interpretati sunt,*prauaricantes*, fortè ex eo quod שגה Saga est errare, & per ignorantiam peccare, vt sit sensus: *Errore atque ignorantia deceptos peccatores terræ omnes reputaui*.Chaldæus verò Paraphrastes lõgè diuersum sensum à Hieronymo, & Septuaginta reddidit, quia pro litera ח legit literam ה in secunda persona,nempe Hisabta:*Idola*,inquit, *confregisti, aboleuisti omnes impios terræ*,id est,perdidisti,cessare fecisti, vbi סיגים Sigim,id est,

METALLVM.

est, scorias interpretatur idola. Itaque Chaldæus Paraphrastes legit הִשְׁבַּתָּ Hisabta *cessare fecisti*, est enim thema huius dictionis non חשב Chasab reputare, sed שבת quiescere, & cessare, in hiphil, השבת Hisbata *cessare fecisti quasi scoriam omnes peccatores terræ*.

ELECTRVM.

21 Electrum aliud est factitium quod ex auro & quinta portione argenti cóficitur, aliud naturale siue natiuum. Est itaque factitium metalli genus à natiui similitudine dictum, vt est verisimile, de quo Plinius lib. 32. cap. 4. *Electrum* inquit, *modò naturale est, modò cura efficitur: quòd si quintam portionem argenti excedat, incudibus non resistit*. Itaque falluntur qui putant electrum compositum fuisse ex vitro & lapide: nam teste Plinio loco citato omni quidem auro inest, argentum, sed vario pondere, alibi dena, alibi nona, alibi octaua parte: vbicunque autem, quinta portio argenti est, vocatur electrum: fit & cura electrum argento addito. Dicitur autem electrum, quod ad Solis radium auro clarius luceat, & argento. Nam si à Poëtis Electron nominatur, cuius ea est natura inter cætera metalla, vt in conuiuio venenum manifestet: nam in ipsum venenum immersum, stridorem edit in varios colores in modum cœlestis arcus mutatur: teste Isidoro libr. 15. de metallis.

22 Vox autem hebraica quæ electrum significat, nempe חשמל Chasmal, designat scintillationem, & inflammationem ab effectu, deduciturque à חשל Chasal, quod est debilitare, quia electrum sua claritate & scintillatione aciem oculorum debilitare videtur, de quo Ezech. 1. vers. 4. *Et in medio eius quasi species electri*, id est de medio ignis: idem habes Ezech. 8. *Et à lumbis eius & sursum quasi aspectus splendoris, & visio electri*, vbi pro electro, dictio חשמל Chasmal posita est. Arbitrantur quidam חשמל Chasmal, nomen esse Angeli: sed D. Hieronymus electrum esse docet metallum pretiosissimum & lucidissimum. Non desunt qui hac voce significari indicant colorem igni similem splendidissimum: Septuaginta verò, & Chaldæus Paraphrastes, *electrum*, cum D. Hieronymo sunt interpretati: sed Chaldæus Paraphrastes illud, *de medio eius*, exponit de medio nubis. *De medio*, inquit, *nubis ac turbinis, quasi species electri ex medio ignis*, sicque sensum huius loci magis explicat. Est itaque sensus: *Et vidi & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius*, nempe nubis & turbinis, & ille ignis, & splendor, qui erat in medio nubis, erat quasi species electri positi in medio ignis, cuius splédor est maximus. Vox ergo illa D. Hieronymi, *de medio ignis*, idem significat ac si diceret: quando est ignitum electrum: tunc enim splendidissimum & clarissimum est supramodum, talisque erat splendor in medio nubis. Ad hanc Ezechiel. visionem alludere videntur verba illa Apocal. vbi mentio fit aurichalchi, siue calcholibani in camino ardente: *Iudas*, inquit, *eius similis aurichalcho, sicut in camino ardenti*, Apoc. 1. vers. 15.

AVRVM.

23 Apud latinos aurum dictum, quia præcipuè custoditur: deriuatur enim à græco ὠρεῖν custodire, vnde & thesaurum Hipocrates medicus de nomine inuentoris sic dictum putat, quem vocitatum ait aurum, siue, vt alij legunt, aurium

rium. Quidam à similitudine auroræ, coloris nomen traxisse existimant. Alij verò quia mentes hominum auertat. Sunt qui à Sabinis translatum putent. quod illi aulum dicebant. Non desunt qui ab aura, hoc est à splendore ita appellatum dicant, aut certè à græco ἄυρος, quod diuitem & potentem significat, de quo Plinius lib. 33. cap. 2. *Vtinam posset è vita in totum abdicari aurum sacra fames*, vt celeberrimi auctores prodiderunt proscissum conuitiis ab optimis quibusque, & ad perniciem vitæ repertum. Aurum autem signatum est pecunia ex auro cussa, teste Vlpiano. In eadem etiam significatione legimus aurum absolutè, & sine vlla adiectione positum. Sumitur etiam aliquando aurum pro ornamentis mulieribus ex auro cōfectis. Quo tempore autem Rhodij in Hispaniam venerunt, Pyrinei montes omni ex parte conflagrasse memorantur, de cœlo tacti, siue à pastoribus incendio per imprudentiam excitato, fortè etiam de industria arboribus dumisque combustis, campos patere, idoneáque culturæ & habitationi reddere rura, propositum erat. Ex ea re Pyrinei hi montes vocari cœperunt à græcis hominibus, quorum lingua πῦρ ignem significat. Alij malunt ab igne cœlesti eam appellationem conflatam, quo sæpe tanguntur ob sublimitatem. Nam quod de Pyrine quidam fingunt ab Hercule adamata, atque iis in locis defuncta, aut à Pyrrho quondam Rege Hispano, affirmant Pyrineorum vocem fluxisse, à senioribus tanquam fabulosum repudiatur omninò. Itaque eius incendij vi auri, & argenti venæ quibus tum ij montes tum vniuersa Hispania scatebat (eósque Plutonem in eius visceribus scatere fingebatur) conflatæ ardore atque solutæ riuos liquati metalli in omnes partes emiserunt.

Fodinas autem auri & argenti auctore Plinio libr. 7. Cadmus, Thoas, Eacles, Erictonius, & Ceacus inuenerunt ad Pangueum montem. Tertulianus lib. de cultu fœminarum, huiusmodi metalla illecebras appellat, de quibus etiam Cyprianus in Demetrianum, argenti & auri opes suggerunt iam exhausta metalla & pauperes venæ. Certè ex metallis quibus nunc humanæ cōstant opes, aurum pretiosissimum est, cuius habendi tanta mortalis libido, iam inde ab initio inuasit, vt in eo effodiendo iamiam ad inferos penetrauerint. Denique Ouidius hac de re conqueritur 1. Metamor. 24

sed itum est in viscera terræ.
Quásque recondiderat, stigiisque admouerat vmbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum,
Iámque nocens ferrum, ferróque nocentius aurum,
Prodierat.

Vnde de hominibus intentè fodientibus exiuit illud Phalerij dictum, *Plutonem breui ad superos adductum iri*, quod retulit Strabo 3. lib. Geographiæ. Teste autem Aristotele in Meteor. aurum sicut cætera metalla procreatur ex sulphure subtili albo: in eius autem compositione maior est quantitas soliditatis sulphureæ quàm aquosæ, & aëreæ substantiæ argenti viui, inde fit vt aurum solidius sit & ponderosius, quàm argētum, in cuius compositione maior est quantitas argenti viui, quàm sulphuris albi. Cùm ergo inter metalla liquentia auro nihil sit pretiosius, est suapte natura constantissimum, vt in te-

nuibus bracteis extensum minimè frangatur: est enim cum quadam cessione tenacissimum: cedit enim percutienti & plicanti: non autem cedit consumptori, non rubigini, nec ærugini, nec alicui liquori, qui eius bonitatem aut põdus diminuat, nec vsu deteritur; igne autem sæpius exustum non modò non consumitur, verùm etiam purissimum redditur, cor lætificat, vlcera sanat, melancholicis confert, & omni distemperamento inimicatur ex suo forsan temperamento optimo.

23 Quia verò aurum naturam habet temperacissimam & purissimam, superfluitates in corpore humano conseruatas, & condemnatas extergit & mundat, ipsúmque confortat, confertque maximè ad salutem corpoream, vt constat variis experimentis doctissimorum in arte medica virorum: eius enim laminæ candentes in vino extinctæ vinum reddunt saluberrimum, ad vitia splenis, & alias corporis infirmitates. Limatura etiam auri mixta succo borraginis, & osse ex corde cerui desumpto confert contra Syncopim, & cordiacam passionem. Vstura denique quæ fit instrumento aureo, præstantior est quauis alia, quouis alio metallo aut materia facta: locum enim adustionis immunem à fœtore seruat. Illud etiam experimento comprobatum est, aurum calefactum tollere pilos ab ea parte corporis, quæ eo fuerit combusta aut confricata. Potatum verò aurum confortat membra corporis, etsi ea non nutriat, neque ipsis aliquo modo vniatur. Illud etiam notandum, aurum percussum non resonare, quemadmodum æs & argentum, nec eripere, nec scindi, sed potius extendi, & æqualiter dilatari, nisi ei fuerit aliud adulterinum metallum aliqua ex parte adiunctum & vnitum: nam ære aurichalco auri substantiæ permixto facilè mallei percussione scinditur, & ad susceptionem idoneæ formæ est ineptum, resistitque. Vt ergo ductile efficiatur, necesse est omne quod in eo superfluum est, per excoctionem auferri: aliter enim nullum poterit vas forma idonea præditum ex eo elaborari: si autem lamina, vel bractea aurea cum argentea sit ictibus mallei coniungenda & vnienda, tria potissimùm oportet præcauere: puluerem, ventum, & humorem: nam altero horum interposito auro & agento, nulla eorum fiet coniunctio, quare oportet in loco mundo admodum & quieto, hæc duo metalla adinuicem vniri: si autem semel vt oportet alterum alteri adhæreat, fit eorum vnio inseparabilis.

24 Aliquando autem reuera inuentum est quomodo & aurum non ametur, scilicet despectione sui vsus. Nam tanti certè valet, quanti æstimari potest. Lacedæmonij Licurgi legibus, omnem auri argentique vsum amouentes, ferrũ, & rudem massam vasti ponderis pro pecunia habuêre in pretio, sicut Byzantij ferri massam pro nummo appendebant. Apud Baleares fuit in more, vt omnem auri, argentique materiam execrantes, nullius generis auri, vel argenti artificia ad se afferri finerent. Idem de Carmanis, & Bambicatiis, qui in Tygri sunt, memoria proditum est, vt omnia metalli genera coementes, illa in profunda terrarum, & abditas solitudines effoderent, ne pecuniæ auri vel argenti commercio eneruaretur animi indoles, ingeniique præstantia: Quod de Indiis, & Æthyopibus traditum accepimus, qui auri materiam tam vili æstimauerunt, vt cathenas tantùm noxiorum ex illo conflarent, vt auctor est Alexander

xander

xander Neapolitanus libr. 4. cap. 15. In sacris verò literis aurum aliud alteri præstare cognoscimus ex Gen. 2. Námque aurum Auilæ, vt optimum celebratur: & præcipuam quamque rem significat, vt Daniel. 2. *Aurum*, inquit, *statua caput ex auro.* Habet autem aurum significationes cum ex vsu, tum ex naturæ præstantia petitas: ex vsu enim auri nomen pretiosam pecuniæ, & diuitiarum partem significat, & pro diuitiis omnibus præcipuè vsurpatur, vt Gen. 13. *Erat autem diues valde in possessione auri & argenti*, & Gen. 24. *Dominus benedixit Domino meo valde, magnificatúsque est, & dedit illi boues, & argentum, & aurum*, item Iob 3. *Cum Principibus qui possident aurum.* Animarum præterea spectatam, & multis periculis examinatam virtutem aurum significat, vt Iob 23. *Probauit me quasi aurum*, & Prouerb. 17. *Sicut igne probatur argentum & aurum*, & rursus: *Quomodo probatur in fornace aurum, sic probatur homo in ore laudantis*, Isaiæ 6. *pro ære offeram aurum*, Eccle. quoque 50. *quasi vas auri solidum*, Threnor. 4. *Quomodo obscuratum est aurum*, & Apocalip. 3. *suadeo tibi eme à me aurum mundissimum*,

AVRI varia genera apud Latinos.

Aurum coronarium definitore Gellio lib. 5. cap. 6. coronæ aureæ erant, quæ Imperatoribus ob honorem triumphi mittebantur: hæ antiquis ex lauro erāt, post fieri ex auro cœptæ. Baptista verò Egnatius in adnotationibus ad Capitol. scribit esse quod ciuitates & oppida nouis Imperatoribus offerebant, sub coronarum specie. Alij dicunt aurum coronarium esse id quod offerebatur à Curiarum ordinibus, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitia, vel rebus prosperè gestis ipsis Imperatoribus. Hoc autem nonnisi ab admonitis, & ex consuetudine præstabatur: Notandum tamen obiter, illud aurum coronarium de quo fit mentio apud Seruium lib. 8. Æneidos, fuisse aurum quod à victis gentibus dabatur propter concessam vitam. Aurum autem glebale, erat quod pro possessionibus pendebatur. Aurum verò lustrale quod quarto quoque anno soluebatur, vt ait Zonaras, onus negociatorum & mercatorum erat, obidque aurum negociatorum appellatur à Lampridio in Alexandro: dicebatur quoque functio auraria. Aurum verò oblatiuum vocabatur, quod non Canonis, aut indictionis, sed oblationis genere quodam à Senatoribus pendebatur, vt ex Symmachi & Synesij epistolis constat. Aurum verò publicum, erat quod ærario publico inferebatur. Aurum autem Tholosanum, prouerbium est apud Gellium lib. 3. cap. 9. de hominibus calamitosis, hinc dictum, quòd cùm Q. Cepio Cos. oppidum Tholosanum diripuisset, multúmque auri in eius oppidi templis inuentum fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, miro execrabilique exitu periit. 25

AVRVM in communi apud Hebræos.

Quod autem aurum purum sit & mundum, hinc nomen hebraicum commune accepit, dictúmque est זהב ZAHAB: quare aliquando transfertur ad aërem purum, & serenitatem cœli, vinum etiam purum, ac purum oleum, aliásque res quæ puræ & mundæ sunt, quæ nomine auri sub hac voce זהב ZAHAB intelliguntur in variis sacræ scripturæ locis. Sic exponendus est locus ille Iob 37. vers. 22. *Ab Aquilone aurum venit, & à Deo formidolosa laudatio*: pro 26

auro enim hoc loco quidam intelligunt ventum mundum, & purificatum metaphoricè, *Ab Aquilone aurum venit*, id est, ventus mundus & purificatus. Alij interpretantur: *Serenitatem instar coloris auri, quæ incipit purgari à plaga Aquilonari*: sic etiam intelligendus videtur locus ille Ieremiæ 51. vers. 7. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes, & ideò commota sunt*: vbi calix aureus, calicem designat vino puro plenum, metaphora ex auro desumpta. Quo etiam modo explicatur locus ille Zachar. 4. vers. 12. *Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria auri*, id est, olei purissimi instar auri. Hieronymus interpretatur: *suffusoria ex auro*, sed vterque sensus ex litera colligi potest. Venit ergo ab Aquilone aurum quando flat ventus, qui mundus purus, & serenus esse solet instar auri. Hinc Septuaginta interpretes pro auro, *nubes splendentes*, sunt interpretati, sumpta quoque metaphora ab auro, quod splendidissimum est: sic enim habent: *Ab Aquilone nubes splendentes, & in his magna gloria & honor ab Omnipotente.*

AVRI varia genera apud Hebræos.

27 Aurum obryzũ Hermolaus Barbarus dici putat, quasi ἄβρυζον, quod scilicet purum, merum, & purissimè coctum sit. Itaque cùm libra Ballucæ, quæ modò ex aurifodina effossa est, 14. sit vnciarum, obryza 12. est duntaxat: Hinc Plinius lib. 43. cap. 3. Aurique experimento ignis est, vt simili colore rubeat quo ignis, atque ipsum obryzum vocant. D. Hieronymus in Ieremiam dici putat obryzum, quasi ophirizum: nam ex Ophir laudatissimum aurum aduehebatur; vnde & hebraicum nomen אופיר OPHIR, quod aurum significat, desumptum est Iob enim 22. vers. 24, vbi legimus: *Dabit pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos*, pro torrentes aureos, in hebraico legimus *Torrentes Ophir*, id est, auri Ophir, siue Ophirisi. Est autem Ophir nomen proprium Gen. 10. vers. 29. filij Iectan ex stirpe Sem, qui fratrem habuit Hauila, ab his regiones ad Gangem fluuium Indiæ habitatæ, ipsorum nominibus sunt appellatæ, auri, & pretiosorum lapidum ditissimæ. De auro regionis Hauila habes Gen. 2. de auro Ophir 3. Reg. cap. 9. & aliàs passim. Hinc iuxta quosdam nostri obryzum, quasi Ophirisum aurum dixerunt. In hoc autem loco Iob nomen ipsum regionis Ophir, ad ipsum aurum significandum trãslatum est, vt אופיר OPHIR aurum Ophirizum, id est, è regione Ophir aduectum, designat, nempe Obrizum. Est & aliud auri genus quod vocatur כתם CETHEM, & aliud quod dicitur פז PAZ, alterum verò quod significatur voce hebraica סגור SEGOR, quorum mentio fit Iob 28. vers. 16. de quibus hæc notanda sunt.

AVRVM signatum nempe כתם CETHEM.

28 Volunt nonnulli auri quoddam genus præstantissimum in sacris literis כתם CETHEM nuncupatum, dictum ita esse à nota, quam insignem forsan inter alia habuerit: Nam כתם CETHEM hebræis doctoribus est nota, macula, quod vulgò dicimus, *Mercha*, vnde Ierem. 2. vers. 22. *Si laueris te nitro*, &c. *Maculata es in iniquitate tua coram me*: Pro maculata, in hebraico est נכתם NICTHAM, ad verbum diceris descripta est, signata, siue impressa est iniquitas tua coram me: quasi dicat: manifesta est, vt eam negare nó queas, quamuis alij

METALLVM.

alij ab auri significatione hanc vocem deflectentes, ita hunc locum interpretentur: *Fulgida est iniquitas tua, & insignis vt aurum.* Itaque CETHEM auri optimi species est, habens hoc nomen peculiare, dicúntque nonnulli esse aurum defæcatissimum, videtúrque esse massa gruma, seu portio, aut frustum auri optimi & purissimi, quale est Indicum, aut regionis Ophir, quæ regio est auro optimo abundans, cui hæc dictio iungitur Psalm. 44. vers. 10. cùm legimus: *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate:* est enim ibi בכתם אופיר BE CETHEM OPHIR, pro quo Septuaginta transtulerunt: *in vestitu deaurato*, id est, veste huiusmodi auro insignita. Alij existimantes hanc dictionem significare optimas Margaritas, quæ veniunt de Ophir, vestitam huiusmodi Margarita intelligunt reginam. D. verò Hieronymus coronam, siue diadema de Ophir, siue auream interpretatur, vt sit sensus: *in diademate aureo*, id est, in vestitu capitis, & ornatu aureo huius generis alioqui præstantissimi, quod CETHEM vocatur. Sic intellige locum illum Threnorum 4. vers. 1. *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus:* vbi pro mutatus est color optimus, ad verbum in hebraico est, *mutatum est* כתם CETHEM *optimum*, id est, aurum optimum. Dicit autem Hieronymus, *mutatus est color optimus*, id est, color auri optimi nempe istius pretiosissimi. Similiter declarandus est locus ille Iob 28. vers. 16. *Non conferetur tinctis Indiæ coloribus*, vbi litera hebraica habet pro tinctis Indiæ coloribus בכתם אופיר BE CETHEM OPHIR, ad verbum, *cum auro optimo Ophir:* Nam color Indiæ est propriè color aureus, qui ex Ophir, id est, ex India prouenit, vbi est maxima auri copia, sensus ergo est: *Non conferetur aureis coloribus, qui ex Ophir proueniunt.* Illud verò quod in tituli inscriptione Psal. 55. habetur מכתם MICTAM, quod Septuaginta transtulerunt in tituli inscriptione: alij verò interpretantur *aurum*, CETHEM, ac si dicat huiusmodi Canticum, siue Psalmum fuisse Dauidi pretiosum, veluti aurum huiusmodi electissimum, hoc est, insigne aureum, vel κειμήλιον ex auro pretiosissimo ac solidissimo factum aureolum. Non desunt qui dignitatem militarem Dauidis intelligant, vt equites auratos dicimus. Nonnulli putant esse nomen instrumenti musici, quod in titulis tantùm Psalmorum inuenitur.

AVRVM solidum nempe פז PAZ.


A soliditate autem quam habet aurum certi generis selectissimum, & præstantissimum, sortitum est nomen hebraicum פז PAZ, quòd cæteris auri generibus sit solidius, ita & igni non minuatur, nec consumitur prorsus: Nam פזז PAZZAZ est roborare, fortificare: hinc à fortitudine, & soliditate dicitur פז PAZ aurum optimum, & purificatum, ac fortissimum. Quidam ita dictum putant à loco vbi effoditur, quem arbitrantur vocari אופז VPAZ, vnde illud Daniel. 10. vers. 5. quod in hebraico est: *& lumbi eius accincti auro* אופז VPAZ, *puro, vel optimo*, quod Hieronymus transtulit: *auro obrizo.* Alij interpretantur: *auro de Vpaz ducto:* existimant enim esse loci nomen, vbi est optimum aurum, quod confirmant ex illo Ieremiæ cap. 10. vers. 9. *Argentum inuolutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz:* in hebraico enim est מאופז MEVPAZ. Chaldæus Paraphrastes interpretatur, *de Ophir.* Itaque nomen loci esse videtur, ita 29

nes opes pretiosas quantumuis copiosas sternet sibi quasi lutum. Quod autem Hieronymus transfert, *sub ipso erunt radij solis*; quòd sint acuti, & subtiles radij dicuntur חדודי Chadvde: significat enim חדד Chadad acuere, & חרס Cheres significat solem: sed quoniam scribitur hoc loco per ש, in sinistro, hinc fit, vt alij *testam fictilem*, alij *Margaritam splendidam vt sol*, transferant; Quare Chaldæus Paraphrastes hunc sensum reddit: *sub eo sunt lapilli acuti*, intelligit testas fictiles acutas: Septuaginta verò interpretes, *Lectus eius obelisci acuti*. Est autem notandum, obeliscum esse saxum ingens in figuram metæ cuiusdam, Sensim à proceritate in excelsum consurgens, paulatim gracilescens, specie quadrata in verticem productum, angustum, manu leuigatum artificis. Visuntur etiam hodie Romæ aliquot obelisci, & figura qua iam depinximus: vnus in vaticano suburbio iuxta ædem. D. Petri, qui omni ex parte adhuc integer est: Alter iuxta ædem D. Rochi in campo Martio. Sunt autem pyramidibus longè minores, solis numini sacrati, vt ait Plinius lib. 36. cap. 8. propter quod ad Radiorum similitudinem fiebant. Sensus ergo Septuaginta interpretum est: *lectus eius obelisci acuti*, id est, sub eo sunt huiusmodi saxa acuta, ad modum radiorum solis facta, idque videtur voluisse significare D. Hieronymus, cùm dixit: *sub ipso erunt radij solis*, si per radios solis huiusmodi saxa acuta soli dicata intelligat, quæ ideo radij solis possunt appellari, quòd ad similitudinem radiorum solis essent elaborata.

Avrvm dictum בצר Besar.

Porrò illud etiam notandum est, בצר Besar munitionem significare; vnde, quia aurum est propugnaculum, & munitionis loco homini, hinc fit, vt 32
quoque aurum dictione hebraica appelletur בצר Besar. Alij putant glumam, siue puluerem auri sic appellari, quod decerpatur & colligatur: Nam בצר Basar est vindemiare, & propriè decerpere: sed præcipuè de vuarum collectione in vas dicitur, & vindemiæ decerptionẽ significat. Putant ergo isti transferri ad auri decerptionem, hincque hanc vocem aurum significare, vnde nascitur diuersitas sensuum loci illius Iob 36. vers. 19. vbi legimus: *Depone magnitudinem tuam absque tribulatione, & omnes robustos fortitudine*: Nam dictionem illam בצר Besar quidam sic legunt, vt faciant ב, præpositionem separantem particulam צר Sar, quæ tribulationem significat: ideò D. Hieronymus transtulit *absque tribulatione*. Alij ita legunt בצר Besar, vt ב, sit litera radicalis, & significet aurum, interpretantúrque, *absque auro*.

HIEROLOGIA,



HIEROLOGIA, SIVE SERMO SACER DE SVBSTANTIA VEGETATIVA.

Liber tertius.

Cap. I. DE SVSBT. HERBACEA FRVGIFERA.

1 

HErba genus est ad eas plantas, quæ parum supra terram eriguntur, nec ad fruticis magnitudinem attingunt. Reddunt terram viridem, multæque earum deseruiunt ad pastum animalium, nonnullæ ad medicamenta suntque teneræ, & ferè omnes quotannis arescunt. Herbam porrigere, siue dare herbam, tritum est Prouerbium, pro eo quod est se victum fateri, & aduersarium suum victorem agnoscere, tractum (vt dicit Festus) ab eo quòd olim Pastores cursu certaminis cùm superati essent, herbam ex eodem loco statim decerptam aduersario porrigebant, victoriæ agnitæ symbolum. In herbis autem esse Prouerbij quadam specie dicuntur, quæ nondum maturuerunt, sed spem modò bonam de se præbent. Vocatur autem herba in sacris literis hebraicè עשב Eseb, sic Genes. 1. vers. 11. *Germinet,* inquit, *terra herbam virentem.* Significat quoque ירק Irek quamcunque herbam satiuam, quæ in vsu cibariorum est. Dicitur autem sic herba à ירוק Iarok viriditate: est enim ירק Iarak spuere, humorem euacuare, inde & virorem dictum putant, quasi terræ, aut plantarum sputum. Hinc D. Hieronymus Exod. 10. vers. 15. ירק Ierek virorem significari docet, dum sic transfert: *Nihil quoque omnino virens reductum est in lignis, & in herbis terræ.* Septuaginta quoque, & Chaldæus Paraphrastes, *viride*, transtulerunt. Nam hoc loco non posse accipi pro herba, aut olere, apertè monstrant verba sequentia: sic quoque Prouerbiorum 27. vers. 25. Cùm עשב Eseb propriè herbam significet, nomen plurale עשבות Isboth transtulit *fœna*, sicut Septuaginta, *fœnum montanum*, quia herbæ montium sunt fœnum; Ideò Chaldæus Paraphrastes, *herbas montium*, transtulit, id est, fœna, quæ herbæ quoque sunt, sed quæ in montibus producuntur: Ideò Hieronymus loco citato Prouerb. *Aperta sunt*, inquit, *prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta sunt fœna de montibus*, ac si dicat

præpara

præpara gregibus tuis escam in domo, quia non inuenitur omni tem pore Pascuum in agro, sed interdum siccatur herba, & nonnunquam etiam herbæ montium, & fœna deficiunt.

Porrò חציר CHASIR in sacro quoque eloquio propriè herbam sponte vi- 2
rentem sua indicat: sed quia חציר CHASIR est aliquando idem quod χόρτος Græcis, id est, fœnum, gramen oblongum & crassum, crescens in locis incultis, pabulum bestiis, vel igni, & secatur falce, ideò Septuaginta quod legimus Isaiæ 44. vers. 4. *Et germinabunt inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas*; ipsi transtulerunt: *Et orientur vt in medio aqua fœnum*; Quare Num. 11. vers. 5. hæc dictio pro porro sumitur sectili, quod ad similitudinem fœni sectum citò renascitur vt fœnum: *In mentem*, inquit, *nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cæpæ, & allia*: vbi pro porris ponitur hæc dictio, quæ fœnum significat; vnde Hebræi doctores porrum כרתי CORTI vocant, forte ex græco fonte vbi fœnum χόρτος dicitur: Nam eodem nomine prasinum, id est, porreaceum colorem, nempe viridem appellant. Sed quoniam חציר CHASIR interdum etiam habitaculū, & atrium significat, proptèrea quidam sic locum hunc interpretari voluerunt: *Et germinabunt inter atria sicut salices*: sed propriorem significationem accepit D. Hieronymus, sicut & Chaldæus Paraphrastes, qui hunc reddit sensum: *Et crescent iusti, & erunt teneri, & delicati sicut germen herbæ.*

D. Hieronymus dictionem hebraicam מלוח MALVACH, *herbam*, in gene- 3
re transfert, Iob 30. vers. 4. *Et mandebant*, inquit, *herbas, & cortices arborum, & radix iuniperorum erat cibus eorum*; qualis autem esset hæc herba obscurum est satis: Septuaginta interpretes, *Aureonem*, verterunt, siue auronem: est autem planta quæ græcè dicitur ἅλιμον, de hac planta Dioscorides lib. 1. cap. 12. Plinius eam vocat aureonem. De ea agit Theophrastus de historia plantarum lib. 4. cap. 20. & lib. 5. de causis plantarum cap. 22. vbi aurio scribitur. Dicitur autem à Latinis Halimus: est frutex sepimento vallari idoneus, similis Rhamno sine spinis, foliis oleæ, sed latioribus: nascitur in sepibus, & maritimis, locísque salsis, salsilaginémque refert. Alij sine aspiratione scribunt, indéque alimum dictum putant, quòd famem arceat: tradit enim Solinus fruticem hunc in Creta nasci mirabili effectu, quòd eo admorso fames aliquandiu nulla sentiatur. Hinc sensum intelliges Septuaginta interpretum, dum sic vertunt locum Iob citatum: *Frangentes auronem in sonante, quia auro erant eorum cibaria.* Quasi dicat destituti cibis optimis, ad auronem confugiebant, cuius erat magna copia, vt frangerent eius ramos, & morsibus famem arcerent. Esse autem herbam salsugineam vox hebraica מלוח MALVACH videtur significare: Nā מלח MELACH est sal; vnde non est adeò apertum quenam planta sit. Aliqui enim herbam putant esse & salsam, hincque formant sensum: *Excidebant ob penuriam herbas amaras & salitas, vt ex eis vescerentur.* Alij putant significare spinas & vrticas, quasi dicat auellebant spinas, & vrticas loco herbarum comestibilium; vnde Chaldæus Paraphrastes: *Qui euellebant*, inquit, *vrticas pro herbis in cibum suum, & radices iuniperorum cibus eorum*: sed certè secundùm etymon vocis hebraicæ nulli magis hæc herba videtur quadrare, quàm Auroni, siue Alimo, iuxta Septuaginta interpretationem.

HERBA FRVGIFERA.

OLVS herba.

4 In ſacris literis vox hebraica אורה ORA olus ſignificat, quòd oculos illuſtret, & exhilaret, ſuo ſcilicet virore: eſt enim אור OR lucere, illuminare: Hinc pro eo quod 4. Reg. 4. verſ. 39. vbi legimus: *Egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret herbas agreſtes*, transfert D. Hieronymus אורות OROTH *herbas agreſtes*; Chaldæus Paraphraſtes, & Septuaginta, *olera*, tranſtulerunt. Nonnulli interpretantur *Erucas*, dictas אורת OROTH quòd illuminent oculos; vnde illud Iſa. 26. verſ. 19. *Viuant mortui tui, interfecti mei reſurgent, expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus*: in hebraico eſt ros אורת OROTH. Quidam interpretantur *ros olerum ros tuus*, quaſi dicat, ros olerum quo pullulant, & germinant, aluntúrque herbæ, eſt ros tuus, eſt ros iſte quem deſcendere facis, quanto magis virtus tua excitatura eſt mortuos ac ſepultos in terra: Hieronymus, *lucem*, tranſtulit, vt ſit ſenſus: *ros tuus eſt ros lucis diei*, id eſt, qui per diei lucem apparet. Transfert autem D. Hieronymus loco citato 4. Reg. *herbas*, id eſt, olera: vocat autem eas agreſtes, id eſt, agri, quòd ex agro colligerentur: non itaque Syluestres herbas intelligit, ſed herbas, ſiue olera agri.

FRVMENTVM herba.

5 Frumentum dictum à fruendo. Frumenti autem genera, vt ſcribit Plinius lib. 18. cap. 7. Hæc vulgatiſſima ſunt: far, ſiligo, triticum, hordeum. Frumenta autem dici putat Seruius quæcunque emittunt ariſtas. Varro verò 1. de re ruſtica cap. 48. frumentum dicit in ſegetibus, quod culmus extulit in ficis. Item frumenta dicuntur grana illa exigua quibus ſunt refertæ, teſte Plinio lib. 15. cap. 19. Eſt autem frumenti propriũ ariſtis conſtare, in ſummitate ſpicarum apparentibus granis in folliculis iacentibus. In omni verò frumenti genere de radice erumpit culmus, & de culmo procedit ſpica: dicitur culmus etiam ſtipula; teſte autem Iſidoro ſtipula vocatur quaſi vſtipula, quia collecta meſſe exuritur propter culturam agri, cuius pars ad paſtum pecorum aliquando reſeruatur, palea nuncupatur, cuius natura talis eſt, vt obrutas niues fluere non ſinat, & poma matureſcere compellat. Nocet autem ventus vehemens frumento, quando florem emittit, & quando florem demittit, & tempore quo matureſcere incipit: Nam ex flatu noxio euaneſcit ſpica. Nocet etiam nimia pluuia, qua in herbam, & folium ſuperfluum luxuriatur; calor etiam ſubitus & immoderatus: rapitur enim humor ad interiora vi caloris, & ex calido humore naſcuntur quidam vermiculi iuxta radicem, ex quorum corroſione frugis ſubſtantia vitiatur. Ex rore etiam corrupto adhærente folliculis, in granis accidit interdum corruptio frugis, quæ dicitur rubigo: corrumpitur enim inde ſpica, & euaneſcit, colorem contrahens rubrum: oportet autem creſcente frumento diligentiam maximam adhibere, vt expurgetur: ſolent enim i[illegible]r frumenta naſci herbæ quædam noxiæ, vt lolium & zizania, quas oportet [illegible]elli radicitus, ne lædatur frumenti prouentus.

6 In ſacris verò literis frumentum vocatur filius areæ, & etiam palea. Dicitur autem ſic frumentum, quòd trituretur, & ſpargatur per aream. Sic intellige locum illum Iſaiæ 21. verſ. 10. *Tritura mea, & filij area mea, quæ audiui à Domino*

mino exercituum Deo Israël, annunciaui vobis. Est autem דגן DAGAN propriè frumentum, comprehendens triticum, hordeum, & alias frumenti species: significat autem frumentum postquam excussum, & ventilatum est. Quidam ad דגה DAGA reducunt, vt dicatur sic à fœcunditate: est enim דגה DAGA fœcundari, & augeri in morem piscium, aut frumenti, quorum vtrumque in magna copia prouenit. Hanc dictionem, *frumentum*, transfert D Hieronymus Genes. 27. vers. 37. dum legimus: *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres suos seruituti eius subiugaui: frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi, vltra quid faciam.* Vsurpatur quoque in sacris literis dictio hebraica שבר SEBER ad frumentum significandum, vt Genes. 47. vers. 14. *E quibus omnem*, inquit, *pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis.* Pro venditione, inquit, frumenti, id est, propter frumentum quod sibi emebant, vbi שבר SEBER Hieronymus, & Chaldæus Paraphrastes, *frumentum*, transferunt. Eadem vox pro frumento ponitur Genes. 42. vers. 1. à שבר SABAR fregit, quasi fractionem dicas, seu distributionem annonæ; quare frumentum ipsum, & quæuis alia annona hoc nomine appellatur, quòd famem frangat & conterat, iuxta illud Psal. 103. vers. 11. *Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua*, ad verbum ex hebræo: *frangent onagri sitim suam*, quod Hieronymus transfert: *reficiet sitim suam.* Idem itaque est sitim frangere, & eam reficere, quod idem Chaldæus Paraphrastes exponit: *infringent onagri sitim suam*, id est, mitigabunt. Est igitur frumentum quasi fractio famis, quod magis fit manifestum ex illo loco Genesis 42. vers. 19. *Vos autem abite, & ferte frumenta quæ emistis in domos vestras*, ad verbum in hebraico sic: *afferte fractionem famis domorum vestrarum*, id est, annonam, frumentum, quo famem frangatis, & conteratis apud vos.

Est præterea notandum, dictionem מובר MVBAR significare præteritum: 7
Nam עבר ABAR est transire, & significat in sacro eloquio frumentum, siue fruges præteriti anni, sicut תבואה TEBVA frumentum, siue prouentum futuri anni, à בא BA, quod est venire: id enim quod Iosue 5. vers. 11. transtulit D. Hieronymus: *& comederunt de frugibus terræ die altero, & azimos panes*, in hebraico legimus ויאכלו מ עבור VA IOCELV ME ABVR, ad verbum: *& comederunt de præterito*, id est, de frumento præteriti anni. Hinc Chaldæus Paraphrastes dixit: *& comederunt de frumento terræ*: sic Ioëlis 1. vers. 10. quod noster interpres posuit: *deuastatum est triticum, confusum est vinum*, pro דגן DAGAN tritico, siue frumento, Chaldæus Paraphrastes habet עבורה ABVRA, ex עבור ABVR Chaldaico, quod præteritum significat, quasi dicat, annona præterita deuastata est præteritæ fruges. Porrò dictio בר BAR propriè frumentum significat purgatum à paleis, vel nitidum & mundum, à ברר BARAR, quod est purgare, propriè est *σῖτος* frumentum; Quare D. Hieronymus id quod legimus Psal. 71. vers. 16. יהי פסת בר IEHI PISAT BAR, quod transtulerunt Septuaginta: *& erit firmamentum in terra, in summis montium superextolletur fructus eius*, & ad verbum sonat: *erit vola, vel particula frumenti in terra*; Ipse vertit: *& erit memorabile triticum in terra in capite montium.* Hoc verò frumentum, siue triticum significant Septuaginta interpretes, transferentes *firmamentum*, quod

idem significat vox græca στήριγμα: est enim triticum quasi vitæ humanæ fulcimentum, & sustentaculum; propterea Chaldæus Paraphrastes exponit: *Et erit substantificum panis in terra in capite montium.* Significat autem dictio ista hebraica בר BAR variis in locis sacræ scripturæ ipsum frumentum, vt Genes. 41. vers. 35. & vers. 39. tum etiam Ioëlis 2. vers. 24. & Prou. 14. vers. 4. Significat etiam in aliis locis filium, à ברה BARA eligere, & ideò sunt qui putent, hanc vocem propriè significare filium delectum, & præ aliis dilectum, imò & hoc loco significari panem, qui descendit de cœlo, filium Dei in sacramento Eucharistiæ frumenti particulam, in terra hominem factum.

TRITICVM.

8 Triticum optimi frumenti genus est, ita dictum quòd tritum sit ex spinis, de quo Plinius lib. 14. cap. 7. *Tritici genera plura quæ fecère Gentes, Italico nullum equidem comparauerim candore ac pondere, quo maximè discernitur.* Triticum autem in terra natum pingui ponderosius est, & maioris nutrimenti eo quod fit in solo tenui & sicco, estque tritici præstantia ex bonitate soli: Neque solùm tritici vtilitas consistit in corpore humano nutriendo, cùm etiam saluti eius aliquando conferat: Nam coctum succo rutæ coagulationem lactis dissoluit si mamillæ inde liniantur: Ius etiam ex eius farina coctum purgat pectus, & etiam pulmonem. Recens autem triticum, & nouum parui est nutrimenti: quòd si crudum comedatur phlegmaticum est, inflat, & in lateribus dolorem excitat & putrescit, ita vt vermes noxij ex huiusmodi cibo facilè procreentur. Assatum verò nutrit & constringit, aqua autem coctum inflat, & viscosos humores generat: Propriè autem חטה CHITA triticum significat apud Hebræos. Dicitur autem sic ab eo quod ex folliculis protruditur & promineat: est enim חנט CHANAT proferre, in hac significatione accipitur Genes. 30. vers. 14. vbi legimus: *Egressus Ruben tempore Messis triticea in agrum, reperit mandragoras.* Quidam autem tradunt hoc nomen generale esse, vt Latinis frumentum, ad omnia frumentorum genera, præter hordeum & legumina, quæ è folliculis grana non protrudunt. Sed alij volunt nomen esse speciale, triticum designans: דגן DAGAN verò nomen esse generale, frumentum denotans; Quare tam D. Hieronymus, quàm Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphrastes in loco citato Genesis, *messem triticeam*, vertunt.

9 Significat autem dictio hebraica ריפה RIPHA triticum contusum, contritúmque in mortario, quasi contusionem dicas, siue confractionem, vt Prouerb. 27. vers. 22. *Si contuderis stultum in pilo, quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius:* sic quoque 2. Regum 17. vers. 19. *Tulit mulier, & expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas*, id est, hordea decorticata, vt reddit D. Hieronymus. Alij reddunt: *Tritica contusa, siue frumenta confracta.* Est itaque sensus: *Si contuderis stultum in pilo, siue mortario*, בתוך ה ריפות BETOC HA RIPHOT, ad verbum: in medio triticorum contusorum, siue quasi tritica contusa: id enim est quod dicit D. Hieronymus: *quasi ptisanas*. id est, ordea decorticata, *feriente desuper pilo.* Septuaginta verò sensum sic explicant: *Si verberaueris stultum in medio concilio inhonorans, non tolles stultitiam eius:* sic etiam Chaldæus Paraphrastes: *Etiamsi percusseris stultum plagis inter catus, idq; pistillo,* non

non transibit ab eo stultitia eius. Itaque sensus est: etiamsi multoties increpaueris, & erudieris stultum, etiam coram omnibus & publicè, non recedet ab eo stultitia.

SIMILA.

Simila, siue Similago, medulla est farinæ triticeæ, hoc est, quæ media est inter pollinem & secundarium, potissimum nutriendi vim habens. Sunt enim mollitæ farinæ partes quatuor: pollen, Simila, secundaria, siue cibarium, & furfures. Est autem secundarium ea pars farinæ, ex qua conficitur panis secundarius: pollen autem est flos tritici, à verbo polleo, quòd frumenti portio potissima sit. Marcellus Dioscoridis interpres pollinem esse ait tenuissimum puluerem subtiliorem farinæ partem, qualis circa molas plerunque, & loca in quibus pinsitur, parietibus hærens inuenitur. Est itaque simila tritici medulla, nempe farina purissima & delicata, ex qua fit panis nobilium, candidissima & mollissima. Vocatur autem simila hebraica voce סלת Soleth nempe farina, subtiliter mollita, farina tritici munda, candida, & flos, seu delitiæ farinæ triticeæ, de qua Martialis: 10

Nec poteris similæ dotes numerare nec vsus.

Differt autem Soleth simila à קמח Kamach farina, quæ communis est, quòd simila sit purissima. Sunt qui à סלה Sala hanc vocem deflectunt, quasi conculcationem seu expressionem farinæ dicas. Similæ autem maximus vsus erat in sacris, vt passim in Moyse videre est, farinæ nonnisi ferè in pane vulgari, & in oblatione Zelotypiæ Numer. 5. de simila habes Gen. 18. vers. 6. *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcineritios panes.*

HORDEVM.

Hordeum ab horrore dictum, quoniam tametsi calamus altior sit frumento, quàm hordeo, arista tamen mordacior est ipsi hordeo, vel dicitur ab oriendi celeritate, quod ante omnia frumenta sit aridum, aut certè ab antiquo adiectiuo *hordus*, quod apud vetustissimos significat grauidum, pro quo posterius mutata aspiratione in didagma æolium, dixerunt *fordus*, de quo Plinius lib. 18. cap. 7. hordeum frugum omnium mollissimum est, seri non vult nisi in soluta & sicca terra, ac nisi læta. Vocatur hebraicè שערה Seora, etiam ab horrore: nam שעיר Sair pilosum ac hirsutum significat, & demùm sic appellatur, quòd appareat hirsutus, & horridus sibi credentibus. Prima autem inter frumenta seritur hordeum, & apud quammultas nationes ex eo fit panis præcipuus: est autem frugum omnium mollissimæ medullæ, ideò in sicca terra seri appetit, & ob multam mollitiem suæ substantiæ citò ad maturitatem deducitur: est autem frigidum & siccum. Fit verò ex hordeo potus, corpus emundans, nutriens etiam ac recreans eius membra. Fit item ex hordeo ptisana 2. Reg. 17. vers. 19. estque hordeum siccatum, pilo contusum, & decorticatum, indéque fit cibus aptus his qui dentibus orbati sunt. Fit etiam ex eo potus vtilis his qui grauantur febribus & aliis æstuantibus morbis: mitigat enim calorem, & sedat sitim. 11

HERBA FRVGIFERA.

MILIVM.

12 Milium genus eſt frugis, à mille dictum vt putat Feſtus, propter multitudinem granorum. Plinius lib. 18. cap. 10. dicit ex milio fieri pultam candidam, & panem prædulcem, & ex India milium inuectum eſſe: in Italiam nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo, omnium frugum fertiliſſimum. Eſt autem milium frigidum & ſiccum, quod atteſtatur eius leuitas, & defectus viſcoſitatis. Eſt autem tenuis nutrimenti, ventrem tamen conſtipat aſſatum, ſedat ventris torſionem, frigefacit ſtomachum, & deſiccat, laudabilémque ſanguinem non procreat. Vocatur autem milium hebraica voce דחן DOCHAN, cuius mentio fit Ezech. 4. verſ. 2. Eſt autem milium genus frumenti notiſſimum, de quo parum aut nihil ſcriptura agit, ſicut de ſequentibus frugiferis herbis.

FABA.

13 Teſte Iſidoro faba dicta à verbo græco φάγω comedo, quaſi faga: eſt enim genus leguminum, quo antiqui vti ſolebant ad cibum. Eſt autem faba herba in hortis & agris ſata, cuius haſta conſurgit anguloſa, concaua, & nodoſa, folia in ſingulis nodis producens, lata, plana, & aliquantum obacuta: florem producit album, in ſummitate purpureum, ſiue nigrum, odoriferum, & non parum apibus frequentatum. In haſta verò producit varias teſtas carnoſas, & oblongas, vbi fabæ per ordinem ſunt locatæ ſub diuerſis domiciliis, quibus fabarum grana ab inuicem diſtinguuntur. Sunt autem huiuſmodi teſtæ virides exteriùs, & albæ interiùs atque molles primò, ſed ſucceſſu tēporis calore deſiccante indureſcunt, & tandem pariter nigreſcunt, quod maturitatis indicium eſt. Eſt autem frigida & ſicca, niſi viridis ſit: tunc enim eſt humida in primo gradu, quæ ſi comedatur viridis parum nutrit, craſſos generat humores, & reputatur noxia. Sola faba inter fruges etiam exciſſa creſcente luna creſcit & repletur. Aqua verò marina ſiue alia ſalſa non decoquitur: ſolum, ſiue terram in qua ſata eſt, fœcundat vice ſtercoris. Naſcitur etiam faba in Ægypto, ſed ſpinoſa, quam fugiunt Crocodili, timentes ne oculi eorum lædantur ſpinis eius, cuius longitudo eſt decem cubitorum, cuius caput eſt inſtar papaueris coloris roſei, in quo fabæ includuntur; quod Plinius teſtatur lib. 18. cap. 12. Vocatur autem faba in ſacris literis vocabulo hebraico פּוֹל PIL, cuius fit mentio 2. Samuel. 17. verſ. 28. & Ezech. 4. verſ. 9.

LENS.

14 Lens genus eſt leguminis tribus quatuórve in ſiliqua granis, inter legumina minimis. Lens pauperum ac tenuium cibus eſt, quæ faſtiditur ſimul atque fortuna contingit: hinc prouerbium in eos, quibus ad vberiorem conditionem faſtidio ſunt ea, quæ priùs inopes boni conſulebant.

15 Dicta autem eſt lens quòd humida ſit, & lenta, potiſſimùm ſi in viridi ſiliqua conſiſtat: eſt autem frigida & ſicca ſuapte natura, melancholicum gignēs ſanguinem cerebrum replens fumo craſſo, vnde eſt cauſa timidorum & horribilium ſomniorum, nocet pelliculis oculorum: eorum enim humiditatem diſtemperat & deſiccat, humidis tamen & calidis quandoque prodeſt, vnde confert hidropicis ſi comedatur ſine cortice, nocet autem cum cortice, quòd inflam

inflammationem causet. Temperatur autem lentis malitia, si deponatur cortex,& eius medulla dulci aqua decoquatur,& ea abiecta oleo, pipere, cinimo similibusque condiatur. Lens verò voce hebraica vocatur עדש ADAS Gen. 25.vers.24.Tum & Ezech.4.vers.9.2.quoque Reg.17.cap.28.

Cap. II. DE SVBST. HERBACEA FLORIDA, ET ODORATA.

QVoniam in sacris literis varia sunt herbarum genera, quæ flores suaues emittunt, & suo iucundo odore hominis olfactum recreant, de his etiam singulatim hoc secundo capite agendum est.

BALSAMVM.

1 Balsamum arbuscula est viti similior, quàm myrtho. Seritur malleolis vt vitis,& colles implet vinearum modo, sustinens se sine adminiculis:intra tertium annum est fructifera: proceritas intra bina cubita subsistit. Præfertur omnibus odoribus,inciditur vitro,lapide osseísque cultellis, & succum emittit summæ suauitatis,quem opobalsamum dicunt:nam ὀπὸς græcè succus est. Summa opobalsami probatio est,vt lac coagulet,& in veste maculas non faciat:lignum quoque eius in pretio est, xilobalsamum appellatum, quòd officinæ vnguentariorum pro succo sustinebant. Corpobalsamum est fructus balsami:κάρπος enim latinè fructus,de quibus Plinius lib.12. cap. 25. Hæc arbuscula vni terrarum Iudææ concessa,quondã non inueniebatur: nisi in duobus regiis hortis,quorum maior viginti iugerum erat:sed post dominantibus Romanis, vinea balsami per multos colles est propagata; cauendum est ne cum ferro ad interiora ligni lædatur, aut vltra corticem violetur, quia læso ligno interiori totum perit. Confert maximè ad medicinæ vsum, cuius præcipua vis est in succo,secunda in semine,tertia in cortice,minima in ligno. Ex his optimum balsamum, quod est odoriferum, & semine maximum, ac ponderosum, mordens gustum, feruens in ore, & colore rufum. Teste autem Dioscoride, quædam species balsami crescit iuxta Babylonem, vbi septem manant fontes,quod si in alium locum transferatur nec floret,nec fructus facit.Sub cortice autem balsami inciso vitreæ ampullæ locantur, in quibus guttæ stillantes colliguntur:posita autem vnica eius gutta in palato, ita cerebrum calefacit:vt succendi videatur. Est ei facultas dissoluendi, consumendi, & conseruandi cadauera,quantum enim dissoluit tantum consumit.

Significatur autem balsamum voce hebraica פנג PANAG apud Ezechielem cap.27. vers.17. vbi legimus: *Iuda & terra Israel ipsi institores tui in frumento tuo primo, balsamum, & mel, & oleum, & resinam proposuerunt in nundinis tuis*, vbi dictionem PANAG *balsamum* interpretatur D. Hieronymus, sequutus Iosephum,qui dixit esse balsamum quod inuenitur in Hiericho, Septuaginta vnguentum μυρῶν interpretantur. Vox obscura est, ideò variant interpretes: Chaldæus Paraphrastes קוליא KOLIIA interpretatur oleris quoddam genus siue herbæ, quam alij herbusculam balsamum interpretantur. Fuisse autem rem pretiosam,saltem alicuius valoris contextus ipse videtur indicare. Non desunt qui arbitrentur פנג PANAG esse nomen loci, & sic מנית MINITH 2
quod

quod præcedit esse nomen loci: nam Iudicum 11. mentio fit loci vocati מנית Minith. Nusquam autem reperies Panag locum designare: non ergo quod hi dicunt verisimile apparet. Alij פנג Panag genus ficus delicatissimæ citra vllam auctoritatem esse censent, quòd esse videatur à fine dictionis פג Pag, & radice פנק Pinnek, quod est delicatè nutrire, sed horum sententia exploditur, cùm maior sit auctoritas D. Hieronymi, Iudæi etiam Iosephi, ac Septuaginta interpretum.

3 Porrò dictio hebraica צרי Sori & resinam, & balsamum, & theriacam significat: eius mentio fit variis in locis sacræ scripturæ, de qua Ierem. 51. vers. 8. *Subito cecidit Babylon, & contrita est, vlulate super eam, tollite resinam ad dolorem eius si fortè sanetur.* Cuius etiam mentionem facit idem Ieremias cap. 8. vers. 22. & Moyses Genes. 43. vers. 11. & 37. vers. 25. Tum etiam & Ezech. cap. 27. vers. 17. ex quibus locis facilè colligimus, fuisse resinam non vulgarem, sed probatissimam, quæ inter aromata thimiamatis adhibebatur. Iosephus verò fructum vel oleum ex arbore Hiericuntina esse tradit: sane humor fuisse videtur, ex arboribus pretiosis defluens, & in imo residens, quare forsan fuit balsamum, liquor scilicet stillans ex arboribus incisis. Hieronymus hanc dictionem cõmuniter vertit, *resinam*, nonnulli *balsamum*, alij *theriacam* quos sequitur Burgensis.

MYRTHVS.

4 Myrthus arbustum est, baccas præcipui saporis producens, & florem optimi odoris, ex baccis vinum fit, quod Myrtitem vocant, à græcis μυρσίνη vocatur. Potissimum crescit iuxta mare, cuius fructus, flores, & frondes conducunt medendi facultati: magis autem conferunt fructus, quàm flores, & magis conseruantur, sed multò magis calore Solis, quàm aura vmbrosa, ex quo recentiores fructus præstantiores reputantur. Myrthus autem alia est alba, alia verò nigra, vtraque aduersus sanguinis fluxum vtiliter exhibetur, vrinam commouet, & prodest aduersus venena; fit etiam oleum myrthinum ex foliis & baccis, ad multa vtilissimum. De myrtho Hieronymus super Isaiam cap 41. *myrthus est aromatica & imputribilis, fissa membra consolidat ac reparat, & ideò consolatores sancta Ecclesia designat.* In sacris verò literis myrthum significat vox hebraica הדס Hadas hinc Esther cap. 2. vers. 7. eius libri vocata est Edessa, vel vt prophanis historiis placet, Atossa. Quare Isaiæ 55. vers. 13. *pro saliuncula*; inquit, *ascendit abies, & pro vrtica crescit myrthus*: quam metaphoram his verbis exponit Chaldæus Paraphrastes: *Pro impiis consurgent iusti, & pro peccatoribus consurgent timentes peccatum.* Itaque per vrticam peccatorem intellige, pro saliuncula in hebraico est נעצוץ Naasvs, Hieronymus, *saliunculam*, interpretatur. Est autem genus herbæ siue arbusculi vilis. Quidam *spinam albam acutam*: alij *arborem infructuosam*, interpretantur. Quare Septuaginta sic exponunt locum istum, *pro stipite vbi ascendit Cyparissus, & pro Coniza ascendit Myrthus*, κονύζα herba vilis est. dicta Pulicarta, quòd pulices necet. Hieronymus *vrticam* vertit, in hebraico legimus הסרפד Hasirpad.

NARDVS.

5 Teste Plinio lib. 12. cap. 12. Nardus frutex est graui & crassa radice, sed breui

breui ac nigra, fragilique quamuis pingui situm redolente, vt Cyperi aspero sapore, folio paruo, densóque cacumina in aristas se spargunt. Eius duo sunt genera, Indicum & Syriacum, non quòd ex iis regionibus afferatur, sed quòd montes in quibus nascitur, aut Indiam aut Syriam spectent, siue ad Indiam, aut Syriam decurrant; est autem arbustum odoriferum. Ex nardo autem fiebant pretiosissima vnguenta, quibus Romani solebant capillos delibutos gestare. Est præterea herba huic non dissimilis, quam ob id pseudonardum vocant, folio crassiore, carnoso, angusto, colore lanquido, in candidum vergente, frequentibus spicis in aristas sparsis flosculis purpureis, gaudet pretiosis locis & apricis, tanta suauitatis fragrantia, vt omnes flores odoris suauitate prouocet, qua dote in vestibus inseritur. Duo etiam eius sunt genera, vnum procerius adolescit, & maiorem spirat odorem, quod quia non minus quàm nardus placet, sibi spicæ nomen apud nos arrogauit: Alterum tum amplitudine, tum odore minus, quod balneis & lauacris reperitur. Vtraque pseudonardi specie Narbonensis prouincia maximè abundat, adeò vt & montes, & campi iis vestiantur. Nardus autem Gallica, siue Censica, herba est ab hisce diuersa, folia habens longiuscula, & flauescentia, florémque luteum, quæ teste Plinio cum radice velli solet, & in manuales fasciculos digeri, hæc alio nomine appellatur Saliuncula, vt notat Ruellus lib. 2. cap. 6. & 7. Vocatur autem Nardus hebraicè נרדי NIRDI, vnde deductum est tam nomen latinum, quàm græcum νάρδος, cuius fit mentio Cantic. 1. vers. 12. *Dum esset*, inquit, *Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum*. fit quoque mentio eius Cant. 4. vers. 13. & 14. Iungitur autem in sacris literis cum aliis arbustis odoratis, nempe cum fistula, cinnamomo, myrrha, & aloë. Vocatur autem Nardus spicatus Marci 14. vers. 3. & Nardus Pisticus Ioann. 12. vers. 3. & vtrobique græce est νάρδος πιςικῆς πολυτίμου, siue πολυτελοῦς, id est, Nardi pisticæ pretiosæ, siue pisticæ, id est, fidelis & veræ, quæ erat pretiosa fortè ad distinctionem pseudonardi, de qua dictum iam est. Aberrant itaque qui נרדי NIDRI Cantic. 1. & 4. interpretantur *rosam* aut *muscum*, vel genus aromatis croco simile, cùm id absque fundamento faciant.

MYRRHA.

Myrrha quæ מור MOR hebraicè dicitur, græcè verò σμύρνα, arbuscula est in Arabia nascens, altitudine quinque cubitorum, non sine spina, caudice duro & intorto, cuius cortice incisa defluit lacryma, quæ & ipsa Myrrha vocatur, & stacte, cuius præcipua virtus est, vt mortuorum cadauera incorrupta conseruet, Vide Plinium lib. 12. cap. 15. & 16. Stacte autem teste Dioscoride, vocatur pinguedo recentis Myrrhæ cum exigua aqua tusæ, & origano expressæ instrumento quodam. Vocatur autem Stacte voce hebraica נטף NATAPH, græcè autem σακτὴ παρὰ τὸ σάζω, id est stillo, vnde Exod. 9. vers. 33. *Et pluuia non ἐσάζων stillauit super terram*, & quia נטף NATAPH est stillare propriè, hinc hebraica dictione NATAPH significatur stacte, id est, gutta, aromatis genus prædictum. Quidam hinc Niphtem bituminis genus reducunt, de quo Strabo lib. 16. & Dioscorides lib. 1. cap. 99. Fit eius mentio Exodi 30. vers. 34. *Sume*, inquit, *tibi aromata Stactem, & Onychem, Galbanum boni odoris, & Thus luci-*

dissimum. Dictionem autem hebraicam שחלת SECHILETH, interpretatur D. Hieronymus, & Septuaginta *Onychinem*, est autem aromatis genus. quod ab hebræis dicitur צפורן SIPHOREN, ab vngue: ὄνυξ enim vnguem significat. Vocant autem Onychem hoc genus aromatis interpretes ex quodam marmoris genere, quod ab aliquibus *Onychites*, ab aliis etiam *Alabastrites* appellatur, in montibus Arabiæ præcipuè nascens, ex quo vasa vnguentaria excauato fiebant. Itaque hoc genus aromatis in Arabia nascens, quòd in huiusmodi vasis seruaretur, dictum Onychem. Galbanum autem dictum hebraicè חלבנה CHELBENA succus est, siue lacryma ferulæ fruticis in Syria nascens, quem Metopicum vocant, teste Dioscoride lib. 3. Græci χαλβάνην dicunt per χ, nostri mutata aspiratione in suam mediam, *Galbanum*, vocant.

CALAMVS.

7 Est autem Calamus frutex aquaticus, ex quo cùm multæ res fierent, multa significat: dicitur & arundo. Primùm itaque calamus sagittam significat, & etiam instrumentum quo scribi solet: primi enim calami ex arundine conficiebantur: ponitur aliquando pro fistula. Est etiam calamus virga cui hamus filo longo alligatur ad capiendos pisces; similiter virgas significat ad capiendas aues visco illitas. Interdum accipitur pro stipula, & pro quacunque re tereti & fistulosa, ad similitudinem arundinis. vnde arborum quoque ac vitium calamos dicimus, id est, teretes, particulas, & virgas ad serendum in terra aptas. Calamus autem odoratus qui κάλαμος μυρέψικος græce vocatur, Dioscoridi arundini similis est aspectu, multis geniculatus nodis, casiæ sapore, tactu molli, & cum fragrantia scissilis, intus arenosus locum in quo nascitur, suauissimo replens odore. Prouenit in Arabia, India, & in Syria, iuxta Libanum montem, de quo Plinius lib. 12. cap. 22. Est autem calamus pretiosissimus, & maximi odoris Indicus, qui magis præstat quando est subrufus, multis nodis præditus, potissimum quando non frangitur in plures partes siccas. Confert valde ad vsum medicinæ. Significatur autem calamus voce hebraica קנה KANE, tam arundineus quàm aromaticus, vulgò dictus *Canela*. Aliqui putant significari hac dictione calamum ex quo fit saccarum. Significat etiam hæc dictio calamum artificialem: dicitur autem artificialis calamus per similitudinem qualis in candelabro describitur Exod. 25. Hac etiam dictione קנה KANE denotatur lancea, quòd longitudinem arundineam referat, vt quibusdam videtur psal. 67. vers. 31. qui locum illum, *increpa feras arundinis*, interpretantur, *increpa feras calamo* id est, lancea. Significat quoque staterem Isaiæ 46. vers. 6. *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum in statera ponderatis*, quod est in hebraico בקנה ישקלו BE KANE ISKOLV ad verbum, *in calamo ponderatis*, pro quo regulam transuersam staterę exponunt, cui hinc inde appenduntur pondera, & ideò D. Hieronymus *staterem* interpretatus est loco citato. Significatur verò calamus aromaticus Isaiæ 43. vers. 24. vbi legimus: *Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me*: nam Chaldæus Paraphrastes, *aromaticum calamum* exponit: idémque significare videntur Septuaginta interpretes, dum trásferunt *thymiama*, rem odoratam significantes.

CINNA

HERBA FLORIDA ET ODORATA.

CINNAMOMVM.

Cinnamomum frutex est duorum cubitorum altitudine, quatuor digitorum crassitudinis, surculosus arido similis, cùm viret non odoratus, folio origani siccitate gaudens, gignitur in planis, sed densissimis in vepribus, rubisque, difficilis collectu. Plura apud Plinium lib. 12. cap. 19. & Theophras. li. 9. cap. 47. præfertur tamen Mosillion, quod Casiæ, cui Mosyliti nomen est, aliquam refert effigiem. Coronæ veteribus fiebant ex Cinnamomo in terrasili auro inclusę. Radicem eius magni ponderis aureæ pateræ impositam vidisse Plinius meminit, ex qua guttæ editæ annis omnibus in grana durabantur. Est autem planta odorifera & dulcis, & teste Isidoro, cortex eius in modum cannæ gracilis & rotundæ, & crescit stipite breui, virgas tenues habens, & cùm frangitur ad modum nebulæ suauissimum emittit spiramen. Vocatur autem Cinnamomum voce hebraica קִנְּמוֹן KINMON, à qua tam vox græca *χινάμωμον*, quàm latina Cinnamomon deriuantur. Errant ergo illi qui vocem hanc hebraicam dicunt significare lignum Aloës: vocatur enim Aloë hebraicè אהלות AHALOTH, estque herba amarissimi succi, quæ à quibusdam semper vinum marinum appellatur. Resistit vermibus & putredini, ac visui vtilis est, gignitur in India, & in Arabia, estque herba odoris grauissimi, longè diuersa à Cinnamomo. Fit autem mentio Cinnamomi sub hac dictione hebraica Exodi 30. vers. 23. vbi legimus: *Sume tibi aromata prima Myrrhe, & electæ quingentos siclos, & Cinnamomi medium*, id est, ducentos quinquaginta siclos. 8

CASIA.

Casia, quæ duplici S, *κάσσια* apud græcos scribitur, frutex est Theophrasto salicis amerinæ magnitudine, multis surculosisque brachiatus ramis, crassiore quàm Cinnamomum sarmento, solóque cortice commendatus. Dioscorides lib. 1. tria facit præcipua Casiæ genera: vnum ex nigro purpurascens, & rosæ odorem referens, Zypir appellatum: alterum longius & angustius, & fistulis plenum aromatum, & vini mistum odorem repræsentans, quod Arabum lingua *lada*, ab Alexandrinis autem mercatoribus *Daphnitis* dicitur. Tertium genus superioribus paulò vilius, quod *rubum mosylitum* vocitarunt, Casiæ fistularis frutex. Iste vocari solet à recentioribus medicis *κάσσια συριγγώδης*, quem ex doctoribus nonnulli Siliquam Ægyptiam malunt nominare. Est autem Siliqua oblonga, & teres concretum, intus attramentum continens, non vna coalescens serie, sed ex interuallis lignosis, tenuibúsque membranis septum, ossaque quædam habens immersa, non dissimilia iis quæ nostra profert Siliqua. Vocatur autem Casia nomine hebraico קדה KIDDA, cuius fit mentio Exodi 30. vers. 24. *Casiæ*, inquit, *quingentos siclos in pondere sanctuarij*. Eius etiam fit mentio Ezech. 27. vers. 19. vbi *Stactem* interpretatur D. Hieronymus *Don*, inquit, *& Græcia, & Mosel, in nundinis tuis proposuerunt ferrum fabrefactum Stactem, & calamum pro negociatione sua*: est enim pro stactem in hebraico קדה KIDDA Vocatur autem Casia psal. 44. vers. 9. קציעה KESIA, ex quo nomen latinum Casia, & græcum *κάσσια* deriuari apparet: *Myrrha, & Gutta, & Casia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te*, quæ etiam Chaldaicè קציעתא KESIATA nuncupatur. 9

HERBA FLORIDA ET ODORATA.

R o s a.

10 Roſa flos eſt à ſpina naſcens, qui apud omnes nationes ſpectatiſſimus, mirique odoratus cor & cerebrum odoris ſuauitate recreat: intus verò roſa adhibita affectarum partium dolores mitigat, & confortat aſtrictionis ratione: ſuccus tamen aut earum delutum clementer ac placidè aluum proluit, flauam bilem expurgat, iecoris obſtructioni auxiliatur, in quem vſum conficitur apud Medicos Rodopharmacum, hoc eſt, Syrupus roſaceus ſolitiuus, qui citra noxam aluum deiicit, & biloſa excrementa, quæ febres tertianas excitant, expurgat. Huius amabilis floris multæ ſpectantur differentiæ: vulgatiſſimæ ſunt quæ albeſcunt, quibus ſuccedunt rubentes & muricatæ, hoc eſt, quæ purpureo colore perlucent fragrantiſſimi odoris. Sunt etiam & punicæ, quæ prçneſtinæ dicuntur, quæ viuæ carnis colorem referunt, & ſubfloridum, & rubicundum. Vocatur autem roſa hebraica dictione, vt quibuſdam placuit חבשלת Chabaseleth, quam quidem dictionem D. Hieronymus, & Septuaginta interpretes *florem* transferunt Cantic. 2. verſ. 1. *Ego*, inquit, *flos campi, lilium conuallium.* Alij florem optimi odoris, nempe vaccinium coloris purpurei, quem græci ὑάκινθον vocant. Huius etiam hebraicæ dictionis mentio fit Iſaiæ 35. verſ. 1. *Lætabitur deſerta, & inuia*, inquit, *& exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.* vbi pro lilio eſt חבשלת Chebaseleth: vbi non ſolùm D. Hieronymus, ſed Septuaginta quoque, & Chaldæus Paraphraſtes, *lilium* tranſtulerunt.

L i l i v m.

11 Lilium flos eſt notiſſimus, κρίνον græcè dictus, proximam Plinio à roſa nobilitatem obtinens, eximio candore, foliis foris ſtriatis, & ab anguſtiis in latitudinem paulatim ſe laxantibus, effigie Calathi reſupinis per ambitum labris, tenuique filo & ſemine ſtantibus in medio crocis. Ex hoc flore conficitur oleum ſiue vnguentum, quod græci λείρινον vocant: nam illi λείρινον vocant florem quem nos lilium vocamus. Sunt autem diuerſa liliorum genera, vt docet Plinius lib. 21. cap. 4. Eſtque lilij color triplex: albus, rubeus, & purpureus. Flos autem lilij eſt ſuauis tactu, forma rotundus, & aſpectu iucundus, ac delectabilis: intus verò granis aureis eſt reſperſus, quæ pluſquàm crocus tingunt. Suſtentantur autem hæc grana ſeptem haſtulis: itaque ſex foliis candidiſſimis contiguis componitur, & ſeptem granis aureis intrinſecus decoratur, & in medio ſemen eius vice fructus mira pulchritudine collocatur. Vocatur autem propriè lilium voce hebraica שושן Sosan, & שושנה Sosanna ſic appellatur, quod ששה Sisa ſex habeat folia. Huius fit mentio tertio libro Regum capite ſeptimo verſ. vigeſimo ſecundo: *Et ſuper capita*, inquit, *columnarum opus in modum lilij poſuiſti, perfectúmque eſt opus columnarum.* Fit etiam mentio eius ſub hac voce, in variis ſcripturæ locis, vt ſecundo Paralip. 4. verſ. 5. & Oſeæ 14. verſ. 6. Cantic. 2. verſ. 2. 3. Reg. 7. verſ. 19. Pſal. 51. ver. 1. & Pſal. 44. verſ. 1. Cant. 5. verſ. 13. aliiſque locis.

Caput

PRæter floridas, & odoratas herbas, occurrunt etiam in ſacris literis aliæ herbæ, ad cibum aptæ: de his pauca in hoc capite dicenda videntur, ad commodiorem eloquij, ſiue ſermonis ſacri cognitionem.

MANDRAGORA.

1 Mandragora herbæ pomiferæ genus eſt, cuius in ſacris literis extat mentio, atque in delitiis habita eſt. Huius duæ ſpecies ſunt quarum vna foliis lactucæ eſt ſimilis, ſed anguſtioribus ſaturati vmbroſique viroris, pomúmque emergit è centro, imóque ſtirpis medtullio, quod herbaceo ſtilo incumbit auellanæ nucis, nonnunquam ſubglandis, aut caſtaneæ magnitudine; hæc ſpecies fœminæ nomine inſignitur. Mas verò ſpecioſa, magnáque foliorum amplitudine ac pompa luxuriat, lacteo virore perpolita eſt, odore non ſine grauitate quadam ſoporata iucundo, radice craſſa, piloſaque ac bifida, atque in humanæ coxendinis, aut cruris formam bifurcata. Qua occaſione impoſtores quidam ex eius radice imagunculas confingunt humana ſpecie, atque vtrumque ſexũ emulante, ac credulæ turbæ perſuadent, ea forma ac ſpecie è terra enatas. Huius pomi fuiſſe auidam Rachelem, ſummóque eius deſiderio occupatam ſacri codices referunt: vis autem mandragoræ in poculo ſomnifera eſt, ac etiam olfactu; de hac herba vide Plinium lib. 25. cap. 13. cùm autem ſoporifero affectu ſit prædita, & impensè frigida, dubitant aliqui quo pacto fœtificandi vim mulieribus conferre poſſit. Quidam reſpondent in frigidis humidíſque regionibus, atque in vtero humefacto, & algido tale quidpiam non poſſe perficere: poſſe tamen in torrido, æſtuanti, atque exuſto, vt in Aphrica, Hiſpania, Iudæa, Mauritania, Numidia, Ægypto, in quibus ferè regionibus mulieres aduſtos, arentéſque habent vteros, ac feruidos, & huius pomi vſu corpus ad temperiem reduci poteſt.

2 Cæterùm, mandragoram odoris fragrántia ac ſuauitate recreaſſe olim Hebræos Canticum Salomonis indicat ſub finem, veris floſculum minutum, & ſtellatum feſtucis, ramentíſque orbiculatis colore flaueſcente, eximiæque ſuauitatis, quo in aſterici formam deciduo confeſtim in ſpecimen racemorum exhibetur. Huius autem floſculi odor tanti effectus prædicatur, vt venenatas beſtias abigat, adeò vt ſerpentes, colubri, buffones hunc perferre nequeant, ſed remotiſſimè ab eo ſe ſubducant. Fructus autem mandragoræ eſt ouata ſpecie, teſte Dioſcoride. vbi legendum μῆλα ὠοῖς ἐμφερῆ, mala ouis ſimilia, non autem ὀυσὶς, id eſt, ſorbis, vt legit Ruellius, cui ſubſeruit pictura Matheoli. Fructus autem quem mandragora fœmina fert, eſt colore vitelli, quem autem fert mandragora mas, eſt coloris vergentis ad crocum. Mas autem albus eſt, cuius folia lata ſunt leuia vt Batæ, qui mala fert duplo maiora. Eſt tertium genus mandragoræ quod μώριον vocatur, ſic dictum, quòd ἀπομωροῦν faciat, & infatuet qui comederint. Pythagoras mandragoram propter diuaricatas radices inſtar ritus humani, ἀνθρωπομόρφον vocauit, & Columela lib. 10. ſemihominis epitheton ob id ita adaptauit: vox autem hebraica דודאים DVDAIM mandragoram ſignificat. Non deſunt tamen qui vocẽ hanc hebraicam interpretentur *violas* alij *satyrion* herbam, quidam in genere, *herbam gratiſſimi,*

 & ſuauiſſi

HERBA COMESTIBILIS.

& suauissimi odoris atque saporis, transferunt propter locum Cantic. cap. 7. vbi habes: *mandragora dederunt odorem in portis nostris*; Inde putant violas esse, aut aliam boni odoris herbam: sed non ideò excludenda est mandragora, cuius florem diximus esse odoratum. Qui *Satyrion herbam* vertunt, id ideò faciunt, quia est herba quæ ad Venerem stimulat, etsi solum manu tangatur. Denique herbas propemodum omnes libidinis desiderium extimulantes Græci Satyrij nomine sunt complexi: ipsa enim σατύριον græcè nuncupatur. Fit etiam mandragoræ mentio sub hac eadem hebraica dictione Genes. 30. vers. 14. *Egressus*, inquit, *Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit*, vbi Septuaginta transferunt, μῆλα μανδραγορῶν, id est, poma mandragoræ.

CVCVMER.

3 Cucumer, siue cucumis herba est sarmentis prolongis humi repentibus, & in ramos vitis modo se diffundentibus, folio rotundo à curcubitæ aliquanto minore, flore luteo, fructu oblongo, & vbi maturuerit, flauo maculis quibusdam distincto; à Græcis dicitur σικὺς καὶ σικυός. Varro lib. 4. de lingua Latina autor est cucumeres à curuitate dictos, quasi curuimeres. Plinius tria enumerat cucumerum genera: Laconicum, Seytalicum, & Bœoticum lib. 19. cap. 5. Cucumis autem anguinus, siue syluestris, herba est, solo fructu à satiuo cucumere distans, quem multo minorem habet, glandibúsque longiusculis similem; à Græcis σικὺς ἄγριος vocatur: succum eius Elaterium vocant ἀπὸ τοῦ ἐλᾶν, hoc est, ab expellendo: siquidem & menses mulierum retentos expellit, & grauidis abortum facit. Vide Plinium lib. 2. cap. 1. Cucumeres verò, cùm interdum amari reperiantur, dulces nasci perhibentur, si lacti mellito eorum semen infundatur, & teste Isidoro, ab amaritudine cucumeres dicti sunt. Sunt autem cucumeres natura frigidi, ventrem soluunt, accommodantur autem stomacho, succurrunt odore suo animo deficientibus, & folia eorum trita medentur vulneribus impressis à morsu canino: semen etiam eius tritum cum dulci vino, & potione sumptum vesicæ confert laboranti, teste Plinio lib. 20. cap. 2. vocatur autem cucumis voce hebraica קשׁא Kisv, quam vocem quidam reducunt ad קשׁה Kasa, quod est, durum, graue, & difficile esse, mutato ה in א. vt מקשׁה Miksa sit perplexitas, sic enim appellatur cucumerarium, vt sic dicatur quasi perplexitas: Nam cucumerarium stipite è terra producto, subinde in latum propagines pertinaciter expandit, vbi flores, germina, folia, & fructus perplexè, siue cum quadam perplexitate crescunt & extenduntur, cuius facit mentionem Isaias cap. 1. vers. 8. *Et derelinquetur*, inquit, *filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario*, quasi dicat sicut tugurium custodis cucumerarij, quod collectis cucumeribus remanet dissolutum, quod non sic contigit tugurio horti, in quo vno fructu collecto alius remanet, sicque diu in tugurio huiusmodi remanet olitor ac custos; vnde Chaldæus Paraphrastes: *sicut tugurium*, inquit, *manens in cucumerario postquam legerunt cucumeres ab eo.*

PEPO.

4 Teste Plinio lib. 19. cap. 5. Pepo cucumeris est genus, magnitudine cætera excedens,

excedens, concoctu difficile. Est & alterum cucumeris genus multò minus quod quia mali cotonei speciem referre videtur melopeponem vocant. Itaque melopepones fructus sunt ex genere peponum, non pendent hi, sed humi rotundantur, & odorem iucundissimum habent, vbi maturuêre. Palladius melones vocat, vide Ruellium lib.2. cap.68. græcè πέπων dicitur, vt μηλοπέπων à mali Cydonij figura, quod μῆλον per excellentiam Græci vocant. Est denique pepo fructus species maximè refrigerans, & generaliter omnes fructus maturi, & præcocti græcè πέπονες vocantur, & per translationem accipiuntur pro fructis effeminatis & ignauis. Vocant autem Hebræi peponem voce hebraica אבטח Abatach. Dictus autem videtur sic pepo à securitate, vel firmitate qua terræ innititur: Nam בטח Batach est fidere, sperare, securum esse; vel certè dicendum est nomen esse Ægyptium, ita vt א, nomen constituat; quamuis possit quis dicere nomen esse quadratum. Peponum mentio fit in sacris literis, Numer. 11. vers.5. *Et recordamur*, inquit, *piscium quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique.*

LACTVCA.

Lactuca herba est acetariorum vsu notissima, inde dicta, quòd abundantia lactis exuberet, teste Plinio lib.19.cap.8. Est autem duplex genus lactucæ: Nam est alia domestica, alia agrestis: In sacris literis tantùm agrestis fit mentio. Est autem agrestis similis domesticæ in figura, sed longiores sunt eius frondes, subtiliores, & minus virides ex humiditatis defectu & penuria, & hinc eius prouenit amaritudo: est enim calidior & siccior, quàm domestica, quare & menstrua prouocat, & crudos humores expellit. Non desunt qui lactucæ syluestris nomine seridis speciem designari credant, nempe quam corrupto vocabulo scariolam, & vulgari *schirolam*, aut *endiuiam*, vocant. Hanc sabulo obrutam hybernis mensibus inter acetaria inferunt primis mensis: Hoc siquidem artificio tractata amaritudinem exuit, atque eximium candorem adsciscit, vt sunt interna brassicæ capitatæ folia: Latinè intyba, siue intuba vocatur græcè dicitur σέρις. Hæc in satiuam, & syluestrem diuiditur, Satiua rursus in duas species diuiditur, quarum altera folio latiore, & lactucæ similior est: altera subamara, & folio angustiore. Agrestis quoque intuba duas sub se continet species, quarum altera Romano *ambubeia*, Ægyptiorum verò vocabulo *cichorium* nominatur. Altera à Græcis *hedypnou*, ab herbariorum vulgo *dens leonis* appellatur propterea quòd folia habeat vtrinque denticulata. Constat autem lactucam syluestrem, quæ endiuiæ nomine insignita est, insignem vrentémque habere amaritudinem, quæ linguam vellicat, neque ad cibum apta est, nisi cùm primum emergit, nec adhuc spinis in dorso partéque auersa armata sit: vincit enim endiuia vulgaris, quæ germana est lactuca syluestris, amaritudine cæteras stirpes, quæ succo lacteo madescunt quocirca Medici nouellam ac teneram in vsu medicamenti adhibent, non adultam quæ aculeata est, & spinulis horret, tum vetustate amarescit. Quare quidam putant non adultam adhibitam in edendi paschalis agni vsum, velut condimenti loco, sed nouellam ac teneram, cocto elixóque agniculo condimenti vice adiunctam: vbicumque autem D.Hieronymus, *lactucam agrestem*, interpretatur,

tur, in hebraico legimus מררים Merorim, quæ ſanè dictio ad verbum ſignificat amaritudines: Nam מרר Marar eſt amaraſcere; quæ quidem dictio ponitur Numer. 9. verſ. 11. Exodi quoque 12. verſ. 8. *Edent*, inquit, *carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes cum lactucis agreſtibus*. Septuaginta verò tranſtulerunt, *& azyma cum herbis amaris comedent*, ex quorum auctoritate conſtat huiuſmodi amaritudines herbas fuiſſe, & omnes conueniunt comeſtum fuiſſe agnum cum herbis amaris: Nam & Chaldæus Paraphraſtes, *herbas amaras*, transfert. Quænam autem eſſent iſtæ herbæ, explicat D. Hieronymus in ſpeciali, qui ait lactucas fuiſſe agreſtes, quæ ſunt amaræ: cùm enim aliis anni temporibus lactuca domeſtica, & ſatiua vterentur ad cibum, præcepit Deus, vt in cibo agni lactuca veſcerentur amara.

COEPA.

6 Cœpe ſiue cœpa à capitis magnitudine dicitur: à Græcis verò vocatur κρόμμυον. Cœparum plura ſunt genera nobiliſſima Aſcalonia ab Aſcalone oppido Iudææ: Nam, vt refert Strabo li. 16. Aſcalonienſiũ Regio præcipuè fert cœpas. Mordet autem oculos cœpa, vnde à Græcis nomen impoſitum κρόμμυον, quaſi pupillam oculi comprimi cogeret, ſicut ſcribit Ariſtoteles in problematibus, vnde lachrymoſa dicitur à Columella. Conſtat autem cœpa ſtipite & radice; in ſummitate ſtipitis ſemen emittit; radix autẽ pluribus veſtitur tunicis, quæ alias radices quaſi capillos à ſe emittit, quibus ipſa nutritur, & ad totam herbam humor diffunditur. Eſt autem frigidæ naturæ: cocta ſi edatur faſtidium tollit; diminuit etiam oris fœtorem, mollit ventrem, & cibos condit. Significat autem cœpam vox hebraica בצל Basal eius mentio fit in ſacris literis Numer. 11. verſ. 5. *In mentem*, inquit, *nobis veniunt cucumeres, pepones, porrique, & cæpa, & allia*.

PORRVM.

7 Porrum genus eſt oleris notiſſimi, græcè πράσον. Porrorum autem alij ſunt Tarentini, qui & ſecti dicuntur: Alij Aricini, qui & capitati, de quibus Plinius lib. 16. cap. 6. qui lib. 19. cap. 6. *Laudatiſſimum*, inquit, *eſt porrum in Ægypto*. Capitatum porrum dicitur quod de loco ad locum tranſlatum eſt: ſectile verò paruulum nondum tranſlatum; ſectile magis confert ad vſum medicinæ: capitatum verò ad vſum cibi, eſt autem caput eius album, & carnoſum. Hippocrates ad multa medicamenta porris vtebatur, cuius ſuccum bibẽdum docebat contra ſanguinis vomitum, & confert aduerſus ſterilitatem ſi à puellis cœpa edatur, & odore ſolo ſcorpiones abiicit & ſerpentes. Significat autem porrum vox hebraica חציר Chasir, vt conſtat ex Numer. 11. verſ. 5. Quæ quidem vox ſignificat etiam herbam 3. Reg. 18. verſ. 5. & Iſai. 15. verſ. 6. & 27. etiam cap. verſ. 37. deſignat, & habitaculum, & atrium Iſai. 24. verſ. 13.

ALLIVM.

8 Eſt autem allium herbæ genus ſatis notum, non diſſimile porro, grauiſſimi odoris, quod tamen laſſitudini mederi creditur, & ſerpentes fugare: græcè σκόροδον vocatur. Solet autem meſſoribus eſſe in delitiis: in bellum allia inferebantur commeatus militares, & Attici nauigationem, aut expeditionem

ador

adornantes, pro cibo allia in retibus imposita secum ferebant. Porrò teste Isidoro, allium ab alendo dicitur, cuius odoris fortitudo alios reprimit, & superat fœtores, ventrem & stomachum turbat & siccat, sitim mouet, visum ledit & hebetat: cholericis noxium est, phlegmaticis verò confert: vim habet incidendi crassos humores, eósque consumendi; tollit difficultatem vrinæ, dolorem etiam iliorum, & lumborum mitigat, & ad plura alia confert. Significat autem allium vox hebraica שום SVM, quidam coniectant, vel Ægyptiacam esse vocem, vel à radice שמם SAMAM deduci, quam faciunt cognatam radici נשם NASAM, quòd graui odore, & sapore prædita sint allia: sed incerta videtur coniectura, præterquam quòd tam remota inter se componunt.

Cap. IV. DE SVBST. HERBACEA SPINOSA.

CVm variæ occurrant spinosæ herbę in sacris literis, quarum sæpe mentio fit, vel in rebus assimilandis & comparandis, vel aliis occasionibus sumptis, de his hoc in capite nonnulla dicemus.

MYRICA.

Myrica genus est humilis virgulti, cuius sunt duæ species: satiua, quam & Tamaricem vocat Plinius lib. 13. cap. 11. altera syluestris, quã in Achaia Briam syluestrem vocant. Est myrica, quæ etiam Tamarix vocatur, frutex folio angusto, carnoso & ferè pinnato: à Græcis dicitur *μυρίκη*, genus eius syluestre omnino sterile est; vnde & infœlix lignum appellatur. Satiuum verò fructiferum est, quod in Ægypto altissimas æquat arbores ramis ex herbaceo fuluóque variegatis lignoso fructu galla maiore, in quo semen gustu asperum eiusdem effectus cum galla, de quo Plinius lib. 24. cap. 9. Est itaque myrica humilis, & pusillus frutex: vulgò dicitur, *Tamarith*, folio scabro, flore purpureo, concretu muscoso, quo apes impensè delectantur. Hanc Belgæ *Heyde* vocant; quoniam nihil pretiosi profundit, tale nomen hæc herba sortita est. Belgæ siquidem loca squalida, strigosa, senta, atque situ horrentia, nullis consita arboribus, nullis frequentata hominibus, raris ac prope nullis culta ædificiis, aut exornata villis, *Heyde*, vocant quasi dicas solitudinem, & desertum, solíque vastitatem, prodit autem virgultum illud quo scopæ parantur, vocatur etiam Erice græcè ἐρείκη. Significatur autem myrica voce hebraica ערער ARAR, vt ex interpretatione D. Hieronym. constat Ieremiæ 48. vers. 6. *Fugite*, inquit, *saluate animas vestras, & eritis quasi myrica in deserto.* Est autem ערער ARAR vox obscura, quare verba hæc Ieremiæ variè explicantur: Nam Septuaginta interpretes hoc loco non myricam sed ὄνον ἄγριον, id est, Asinum syluestrem sunt interpretati: *Fugite*, inquiunt, *& saluate animas vestras, & eritis quasi Asinus agrestis in deserto.* Ieremiæ verò 17. vers. 6. tam Septuaginta, quàm Chaldæus Paraphrastes, *myricam*, interpretati sunt: Chaldæus *myricam*, & Septuaginta *syluestrem myricam*: sed dices, quare Ierem. 17. transtulerunt *myricam*, & cap. 48. *Asinum syluestrem*? ratio huius rei est, quia cap. 48. legimus in hebraico ערוער AROER, interposito ו, propterea Septuaginta, quia Asinus syluestris dicitur

HERBA SPINOSA.

ערוד Arod, vt habes Iob 39. verſ. 5. ob ſimilitudinem harum dictionum, & ſimilitudinem literarum ר, & ד, fortè legerunt ערוד ע Aroc d, putantes ſecũdum ע, redundare, ſicque tranſtulerunt *onagrum*, ſiue *Aſinum ſyluestrem in deſerto*; quia ergo aliter legerunt, quàm Hieronymus, aliter ſunt interpretati. Sed quid dicendum de Chaldęo Paraphraſte, cuius interpretatio longè diuerſa eſt tam à Hieronymi interpretatione, quàm ab expoſitione Septuaginta: Nam neque myricem, neque onagrum, ſed turrim Aroër reddit: *Fugite*, inquit, *liberate animas veſtras, & eſtote ſicut turris Aroër, & ſicut qui morantur in tentoriis in deſerto.* Notandum autem vocem *Aroër*, quæ hîc ponitur, reperiri etiam Iſai. 17. verſ. 2. *Derelictæ*, inquit, *ciuitates Aroër greg bus erunt, & requieſcent ibi, & non erit qui exterreat*, vbi pro Aroër habes ערוער Aroer. Itaque Chaldæus Paraphraſtes loco citato Ieremiæ 17. putauit hac dictione ciuitatem Aroër, ſiue munitionem eius, & turrim ſignificari, quò ſibi confugiendum erat, vt liberarentur. Sanè ערוער Aroer myricam ſignificat; vnde Hieronymi interpretatio videtur cæteris præſtare, etſi propter vocis obſcuritatem quidam hanc dictionem interpretari ſint *iuniperum*, alij *iuncum*. Nonnulli addunt ex Strabone hoc nomine etiam regionem arenoſam, & ſterilem vocari, quam Arabes ſcenitæ camelorum paſtores habitant, quæ frequentes acanthos, & myricas profert. Non tamen dubium eſt, ערער Arar myricam ſignificare fruticem humilem, & abiectum, cui comparantur qui fugiunt in deſertum, cuius etiam mentio fit Pſal. 101. verſ. 18. vbi pro homine afflicto ſumitur: *Reſpexit*, inquit, *in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum*: pro humilium habes ערער Arar, ad verbum myricæ, id eſt, hominis afflicti & abiecti, & Chaldæus Paraphraſtes: *reſpexit ad orationem deſolatorum*, quæ omnia per myricam metaphoricè intelliguntur.

VRTICA.

2 Vrtica notiſſimum eſt herbæ genus, ab vrendo, quòd eius folia tacta acerrimè vrant. Hinc eſt etiam vrtica genus piſcis, nomen inde habentis, quòd tactu vredinem excitet, quemadmodum eiuſdem nominis herba. Scribunt verò Phyſici vrticam in cibis coctam vtiliſſimam eſſe lieni, ventris duritiæ, articularibus, podagricis morbis, arteriæ, tuſſi, ventris diſtillationi, ſtomacho, pectus præterea purgare, vrinam eiicere, ſanguinem narium ſiſtere, calculos rumpere. Eſt autem duplex vrtica: altera vrens & mordens, foliis aſperis & acutis, & ſubrubeis haſtulis anguloſis; eſt etiam grauis odoris, & ſubamari ſaporis. Altera eſt foliis candidior & mollior, magíſque rotundis, quæ non ita tangentes exurit; flore conſtat interdum rubro, interdum candido: à Græcis dicitur ἀκαλήφη, & deducunt παρὰ τὸ μὴ ἔχειν καλὴν ἁφὴν, id eſt, ab eo, quòd non habeat bonum tactum. Significatur autem vrtica in hebraicis codicibus dictione hebraica קמוש Kimos, eius fit mentio Prouerb. 24. verſ. 31. *Et ecce*, inquit, *totum repleuerunt vrticæ, & operuerunt ſuper faciem eius ſpinæ, & maceria lapidum deſtructa erat*, vbi dictionem hebraicam קמשנים Kimonim vrticas interpretatur. Eius etiam mentio fit Iſai. 34. verſ. 13. *Et orientur*, inquit, *in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius*; huius autem metaphoræ ſenſum exprimunt Septuaginta interpretes, dum vertunt: *horridus fiet, & ſyluescet*

totus:

HERBA SPINOSA.

totus: hoc enim faciunt vrticæ vbi crescunt: quod idem facit Chaldæus Paraphrastes: *Et ecce*, inquit, *pullulauit tota sylua*. Quòd autem sequitur: *Et operuerunt superficiem eius spinæ*, pro spinis, est vox hebraica חרולים Charvlim, quam D. Hieronymus tam hîc, quàm Sophoniæ 2. vers. 9. *Spinas*, reddit, & Iob 30. vers. 7. *Sentes*. Porrò dictio hebraica סרפד Sarphad, cùm sit obscuræ significationis, quidam à סיר Sir spina deducentes, *spinetum*, siue *sentinetum*, interpretantur. Alij putant esse quoddam spinæ genus: Hinc Hieronymus Isai. 55. vers. 13. vrticam quæ spinosa est interpretatur: cùm ait: *Pro saliuncula ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus*. Non desunt qui dicant esse genus vilis germinis, seu humilis, & tenuis herbæ; vnde Septuaginta interpretes, *vilem stipitem*, reddunt, vt pro vili stipite crescat myrtus. Chaldęus verò Paraphrastes metaphoricè sensum exprimens, quia impius est velut vrtica spinosus, & vilis ac contemplatus coram Deo, *Pro impiis*, inquit, *consurgent iusti*.

R H A M N V S.

Rhamnus rubi genus est canticus, & fruticosus, ramos spargens, rectis aculeis, non vt cæteri aduncis, foliis maioribus. Sunt & alia Rhamni genera, de quibus Plinius lib. 24. cap. 14. Rhamnus autem vbi adoleuerit validis robustísque quaqua versum vallata aculeis, homini si manum incautus admoueat, infesta est, adhærent illi racematim petrolo numerosæ baccæ, colore croceo orbiculatæ magnitudine, vel myrti, vel iumperi sapore acidissimo, quas qui improuiso decerpere tentat, crebro infixo aculeo, ac mucronata cuspide manum vulnerat. Baccæ vbi dentibus linguáve atteruntur, vel præmentibus digitis contrectantur, croceo succo manus inficiunt: sunt enim flaccidæ & vliginosæ. Bellonius qui Palestinam, & Syriam peragrauit, existimat Christi seruatoris sertum, seu spineam coronam illius capiti implicatam ex Rhamno fuisse confectam, quod in iis regionibus nulla alterius generis spina se proferat. Dioscorides lib 1. cap. 20. ad veneficia valere prodit, quam ob id ἀλεξιλάρων, vocat Nicander, id est, aduersus lares, nocturnósque lemures, & strigas auxiliatricem hanc plantam vocant spinam albam, quam quidam ὀξυάκανθαν putant: vulgò *Cambrones*. Significat autem Rhamnũ vox hebraica אטד Atad, vt vult D. Hieronym. & interpretãtur Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes, quorum auctoritas maior est, quàm eorum qui putant esse carduum: Nam qui rem herbariam tractant Rhamnum vocari ab Aphris seu Pænis ac Arabibus *atadim*, iuxta Iosephum autem lib. 1. Antiquitatum Iudaicorum cap. 11. & scripturam Iudi. 9. vers. 14. & 15. natura præcipuam vim habet proferendi ignem, quod alij eo loco miraculo tribuunt, quo etiam loco tam Septuaginta, quàm Chaldæus אטד Atad interpretãtur *Rhamnũ*; Quare locum illum Gen. 50. vers. 10. *Veneruntque ad aream* אטד Atad, *quæsita est trans Iordanem*, vocem hebraicam interpretantur Rhamnum, *Venerunt ad aream Rhamni, seu Rhamnorum*. Sunt tamen qui ibi Atad viri nomen existiment, qui à sua area nobilitatus fuerit: sed probabilius videtur à Rhamnis quibus esset circumsepta, sic appellatam fuisse, atque hanc interpretationem confirmare videtur emphasis, quæ nominibus propriis maximè virorum ascribi non solet: præcedit enim ה, litera vocem אטד Atad, vbi tam Septuaginta, quàm Chaldæus vocem

hebraicam ATAD non interpretatam relinquunt. Fit etiam mentio huius herbæ spinosæ Psal. 57. vers. 10. *Prius*, inquit, *quàm intelligerent spinæ vestræ Rhamnum sicut viuentes, sic in ira absorbet eos:* sensus est prius quàm intelligant, id est, sentiant Rhamni naturam, hoc est, antequam crescant in Rhamnum, & sint sicut Rhamnus aculeis asperrimus, id est, citò admodum, quàm citissimè ira sua absorbet eos.

TRIBVLVS.

4 Tribulus herba est ex foliis ad portulacæ effigiem accedentibus, tenuioribus viticulis in terra stratis, spinis secundùm folia rigidis, & præduris nascitur. Est & alterum genus tribuli aquaticum, nonnisi in omnibus nascens, coma duntaxat aquis extante folio vlmi effigie, pediculo longo, caule cacuminibus crassiore, partibus in humore contentis. Tribulos item vocat Vegetius lib. 3. stimulos illos ferreos, formæ quadrangulæ, qui in bello aduersus equitatum spargi solent, in quodcunque latus incubuerint, infestum semper aculeum protendentes, Latini murices appellant. Tribulos autem vocat Vegetius, à seminis tribuli figura vtriquetra similitudine, in quamcunque partem voluantur semper murconem spiculúmque infestū protendunt. Tribulum autem herbam inter terræ pestes Plinius annumerat, cuius semen nigrum trianguli solidi formam refert. Tribuli flos albus est, fructus primò viridis, deinde rubeus, tandem niger euadit, quo serpentes, & bufones gaudent. Est autem tribulus campestris frugibus noxius, excrescit, & multiplicatur valde, vixque eradicari potest, si semel alicui insederit agro, quare semen suffocat, attingentium manus lædit suis aculeis, vestes etiam dilaniat ac decerpit, & etiam ouium lanam, si ad se proximè accedant. Significat autem tribulum vox hebraica דרדר DARDAR, vt interpretantur carduum significare, sola etymologia commoti, quia דרין DARIN lineam significat apud Hebræos doctores, & dicunt ideò carduum dici דרדר DARDAR, quasi sit factus דרין דרין DARIN DARIN lineis, id est, per multas lineas, seu lineatim, & seriatim. Alij ideò carduum significare volunt, quòd dicatur à דרור DEROR libertate, quia carduus liberè, & suapte sponte in agris absque cultura succrescit: sed non tanti habenda est hæc tam leuis horum coniectura, vt præponderet auctoritati Hieronymi, & Septuaginta interpretum, qui *tribulum*, exposuerunt Genes. 3. vers. 18. *Spinas*, inquit, *& tribulos germinabit tibi*. Sed & Apostolus Paulus Hebr. 6. vers. 8. tribulos transfert: agens enim de terra inquit, *Proferens autem spinas, & tribulos reproba est*. Significat quoque in sacris codicibus tribulum dictio hebraica ברקן BARKAN, iuxta interpretationem Hieronymi, & Septuaginta, Iudicum 8. vers. 7. vbi legimus: *Conteram carnes vestras cum spinis, tribulísque deserti*. Quam etiam dictionem vers. 16. *Tribulum*, quoque interpretantur, & meritò: reducitur enim hæc dictio ad ברק BARAK fulgur, coruscatio, quòd vt fulgur oculos, ita hoc genus spinarum corpus penetret ac lædat, sicque non erit inter quadrata hoc nomen reponendum.

SPINA.

5 Spina propriè est aculeus sentis vel rubi, quo pungitur, quæ dicitur etiam sentis, quòd à tangentibus quàm primùm sentiatur. Dicitur præterea sentis canis

canis frutex arbusculæ instar rubi, multò maiora folia ferens, & multò latiora myrtho firmis circa ramos spinis, flore candido, fructu oblongo nucleo oliuæ simili, qui per maturitatem fuluescit, & flosculos intus continet: κυνόσβατον alio nomine, id est, rubus canis. Vepres autem spinæ genus est nocentioribus aculeis, quibus tenaciter prætereuntium vestibus adhæret, vnde & nomen accepisse existimant, quòd vehementer prehendat. Lappa verò herbæ genus est, capitula habens leuiter hamata, ideóque vestibus adhærentia. Tres autem sub se complectitur species: nam quædam dicitur carinaria, quæ est exigua, carnibúsque adhæret: altera maior est, & φιλάνθρωπος appellatur, quòd vestibus hominum adhærens, ipsos amare videatur: tertia appellatur personata, & maxima est, nascitúrque inter riuos & flumina, græci eam ἀρκεῖον vocant. Dicitur verò vepres sine spina hebraico nomine שית Saiith, cuius fit mentio Isaiæ 17. vers. 4. *Quis*, inquit, *dabit me spinam & veprem in prælio, gradiar super eam, succendam eam pariter.* Vocatur quoque spina, siue vepres שמיר Samir, à verbo שמר Samar, quod est custodire, quòd suis aculeis seruet, & retineat rem quam contingit, vt est de sentibus in quodam apologo, cuius mentio fit Isaiæ 5. vers. 6. Significat porrò משוכה Mesuca sepem, quam faciunt vineæ è spinis extra maceriem lapideam, ob maiorem vineæ custodiam: nisi enim esset sepes spinea, perfacilè ingrederetur homo vineam, manibus impulsa maceria lapidea. Est enim hoc discrimen inter גדר Geder & משוכה Mesuca: nam cùm vtraque vox sepem significet, Geder significat lapideã, Mesuca verò spineam & vepribus constructam: sicque intelligendus est locus ille Micheæ 7. vers. 4. *Qui optimus in eis quasi Paliurus, & qui rectus quasi spinea de sepe.* Vnde Prouerb. 18. vers. 15. dicitur iter pigrorum, quasi sepes spinarum, & via iustorum absque offendiculo, & Oseæ 2. vers. 6. *Propter hoc, ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria.* Quare illud quod D. Hieronymus reddidit Nume. 33. vers. 55. *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus.* Pro claui in oculis habet in hebraico לשכים בע יניכם Lesichim be enecem, ad verbum sepes spinosæ in oculis vestris. Alij reddunt: *Erunt vobis quasi spina.* Septuaginta interpretes, *erunt vobis aculei*, alij, *erunt quasi cultri in oculis vestris*, nonnulli vertunt: *erunt sudes*, quidam verò: *erunt spinarum rami*, propriè videntur שכים Sicim esse pali præacuti, quibus sepes aliquando construuntur. Significatur quoque sepes per spinam Isaiæ 5. vers. 5. *Et nunc*, inquit, *ostendam vobis quid ego faciam: auferam sepem eius, & erit in direptionem*: est enim ibi pro sepe Mesuca, id est, sepes spinea.

RVBVS.

Rubus frutex est notissimus, passim in dumis proueniens, flagellis lentis, & nisi quod occurrat, quod aduncis spinis comprehendat humi sparsus, capitibúsque nonnunquam in terram defixis, & radicem denuò ex se agentibus, quę res agricolas primùm propagandarum vitium rationem videtur docuisse. Florem habet candidum, & fructum moris non absimilem. Rubus verò Idemus frutex est, superiori non dissimilis, tenerior tamen, & minoribus horrens spinis, quamquam & sine spinis inueniatur. Copiosissimè prouenit in 6

HERBA SPINOSA.

Idomonte, vnde & nomen habet. Rubus autem Caninus frutex est, arbusculæ instar, rubo longè maior, folia ferens multò latiora myrtho, firmis circa ramos spinis; flore candido, fructu oblongo, nucleo oliuæ simili, qui per maturitatem fuluescit & flosculos intus continet, lanæ quandam speciem præseferentes: dicitur verò græcè *κυνόσβατος*. Dicitur autem rubus propriè sumpta græcè *βάτος*, cuius fructus ante maturitatem est rubeus, vnde rubi nomen accepit; diffundit autem se in ramos lógos, graciles, rotundos, spinosos, & condensatos, subrubeos, & in se deflexos, folia breuia sunt, scissa aliquantulum, & acuta, quibusdam aculeis in extremitatibus prædita aliquantulum curuis, & aduncis. Totus itaque rubus est spinosus, & aculeatus à radice vsque ad summitatem; fructus autem eius primùm est viridis, deinde rubeus, ac tandem in nigrum euadit, estque dulcis si sit maturus, cuius succus rubeus inficit ad instar sanguinis. Dicitur autem rubus nomine hebraico סנה Sene, cuius mentio fit Deuter. 33. vers. 16. *Benedictio*, inquit, *eius qui apparuit in rubo, veniat super verticem Nazarei inter fratres suos*. Fit etiam eius mentio Exodi 3. vers. 2. *Rubus ardebat & non comburebatur.* Vocatur autem mons Sinai סיני Sinai, ab hoc nomine סנה Sene: Hinc & סין Sin desertum, vna ex mansionibus Israëlitarum in deserto. *Pelusium* vertit noster interpres Ezech. 30. Hinc & סינים Sinim australis populi Iudææ respectu Isaiæ 49.

C A R D V V S.

7 Carduus herba est vulgò nota, à qua Carduelis auis est appellata, à græcis dicta *σκόλυμος*. Plinius *Scolymon* vocat lib. 22. cap. 22. & alio nomine, *limonium*. frutex est nunquam cubitali altior, cristisque foliorum, & radice nigra, sed dulci. Dicitur & *Strobilus*, quòd echinum habeat, nuci pineæ similem. Vocatur & *Cinera*, græcè *κινάρα*, quòd cineribus, vt quibusdam placet, gaudeat. *Carduus* à Gaza vertitur. Est frutex spinosus, naturæ mordacis, & austeræ, est præditus variis aculeatis hastis, in summitate autem spinosa habet capita, quibus ipsum semen continetur, quod cùm extrinsecùs nigrum sit, est candidum in medulla. Confert aduersùs calculos qui renibus aut vesica continentur. Crescit in locis incultis, & frequenter à bestiis depascitur & conculcatur, quod notatur 4. Reg. 4. vers. 9. *Transierunt*, inquit, *bestiæ saltus: quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum.* Inter cardui verò genera alterum eorum tota æstate continuò floret, alteróque decidente flore, alter erumpit. Est & alterum quod frugibus maximè est noxium, spinosum, & semine abundans, quare vbi semel radicauerit, vix potest extirpari, nisi adsit maxima cultoris diligentia. Significatur autem carduus dictione hebraica חוח Choach 4. Reg. 14. vers. 9. iuxta D. Hieronymum: *Carduus*, inquit, *Libani misit ad Cedrum quæ est in Libano, dicens: da mihi filiam tuam filio meo vxorem*, vbi pro carduo, in hebraico posita est vox חוח Choach.

Caput V. DE SVBST. HERBACEA VARII GENERIS.

OCcurrunt in sacris literis herbę varij generis, quarum notitia plurimum confert ad intelligentiam multorum locorum sacræ scripturæ, de quibus hoc quinto capite tractatio suscipienda est.

IVNCVS

HERBÆ VARII GENERIS.

IVNCVS.

Iuncus à iungendo dictus, quoniam vsus eius ad iuncturas vtilis est. Iuncorum autem variæ sunt species, de quibus Plinius libr. 21. cap. 18. à græcis σχοῖνος, & βρύλλον. Iunci tria sunt genera præcipua: alterum dicitur σχοῖνος λεία iuncus leuis, qui enodis est, scyrpus dicitur à Donato, vel scyrpum à Festo: secundum vocatur ὀξυσχοῖνος, quem marinum vocat Plinius, qui fastigiatur in mucronem, cuius duæ sunt species, mas, & fœmina: mas qui ὀξὺς Theophrastio sterilis est: fœmina fert semen nigrum in capite, ob idque ab ipso μελαγκρανὶς dicta: tertium genus Carnosius & Crassius ὁλοσχοῖνος appellarunt, id est, quod mariscum dixit Plinius, vertítque Gaza, de quo Plinius: *Vtilissimus*, inquit, *est ad vtilia oloscanos, quia mollis & carnosus est*, vbi ex Maristo texitegetes dixit χοινὸς, id est, iuncus: etiam per antonomasiam, & excellentiam dicitur iuncus odoratus à Dioscoride libr. 1. cap. 16. de quo Vitruuius libr. 8. cap. 3. de hoc iunco, *Non tantùm*, inquit, *in Syria, in Arabia, in arundinibus & iuncis, herbisque omnibus sunt odores*: loquitur autem de hoc iunco odorato, qui à flore quem Cameli mira auiditate depascuntur σχοινάνθος nominatur ab Arctuario.

Scyrpus autem iuncus fragilis palustrísque est: ex his teguntur domus, & 2
tegetes fiunt, quibus velificant in Pado nautici, & in mari Aphrico piscatores. Est autem iuncus orbiculatus stilo enodi, liuore perpolito, nullisque geniculis, aut internodiis distincto, fungosa intus, candidáque medulla, quam in amenti, aut crassioris fili modum exemptam in multos vsus accommodat: ex hac enim ornamenta & supellectilem fictam, & commentitiam confingunt: ex scyrpo etiam storeas contexunt, stragula, nassas, fiscellas, quoniam viminosus est, flexilis, naturáque tam sequaci, vt quiduis ex hoc elaborari possit. Significat autem in sacris codicibus scyrpum, siue iuncum dictio hebraica גמא Gome, quòd aquis immergatur: nam גמא Gama est bibere, absorbere. Fit eius mentio Iob 8. vers. 2. & Isaiæ 18. vers. 2. tum etiam Isaiæ 35. vers. 7. Putant aliqui significare arborem admodum leuem: Hieronymus nunc *Scyrpum*, nunc *iuncum*, nunc *papyrum* transfert, & idem ferè sonat: nam papyrus à nostris dicitur iuncus, à nonnullis scyrpus. Ex papyro autem nauiculæ fiebant olim in Ægypto, teste Lucan. libr. 4. ex papyro enim olim limbosque, scaphas, cymbas, aliáque nauigia pice oblita construxisse Ægyptios, præter Plinium lib. 13. cap. 11. Esaias vates indicat, dum ait cap. 18. vers. 1. *Vt terra cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthyopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.* Porrò papyrus arbuscula est, præcipua in Ægypti paludibus nascens, habens radicem obliquam triangulis lateribus, duorum non amplius cubitorum longitudine, in gracilitatem fastigiata, arundini similis, & crassitudine qua manum complicatam impleat. Ex hoc frutice præparabantur chartæ acu diuisæ in perennes & latissimas phyliras, quæ eò meliores erant, quò mediæ papyro propinquiores. Erant autem diuersa huiusmodi chartarum genera: de quibus Plinius lib. 13. cap. 11. vbi primùm chartarum vsum Alexandri magni temporibus in Ægypto putat fuisse inuentum, quamuis alij etiam Numæ regis temporibus chartarum vsum fuisse contendant, ab huius quoque fruticis nomine

nomine etiam hodie, quæ ex contritis lineis fiunt, papyrum appellamus, eò quòd eundem nobis præstent vsum, quem olim Ægyptiis præstabat papyrus.

3 Præterea dictio hebraica סוף SVPH propriè iuncum siue iuncetum significat, nempe genus iunci crescentis in extremitate fluminis aut maris: hinc ים סוף IAM SVPH dictum est mare rubrum, quasi mare iunci, quòd eo iunci genere abundet. Herodotus lib. 2. Ægyptios tradit ex iunco sua nauigia facere. Quare illud Exodi 2. vers. 5. *quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulis suis*, vbi Hieronymus, בתוך הסוף BETOCH HA SVPH *in medio papyrione*, transfert, id est, in iunceto, Septuaginta reddiderunt: *videns arculam in palude*, quia locus ille fluuij erat plenus papyro, & iuncis ad instar paludis. Chaldæus verò Paraphrastes vertit, *vidit arcam in medio Carecti*, quia vox ista סוף SVPH etiam caricem significat; quare D. Hieronymus versu 3. *& exposuit*, inquit, *eam in carecto ripa fluminis*, vbi pro סוף SVPH, posuit *Carectum*, erat enim locus ille caricibus, iuncis, & papyro plenus. Est autem carex herba acuta & durissima, similis sparto, vliginosis & palustribus locis plurima nascens. Carectum autem dicitur locus ille, vbi abundant carices. Columela lib. 11. ca. 2. ait: caricem vbicunque nasci, Augusto mense rectè extirpari, melius tamen circa Idus Iulij ante Caniculæ exortum. Denique carex scyrpi modo fructificat, forma triangulari vtroque latere, secandi vi prædita, qua virenti fronde triclinia, ac cœna, edásque sacras æstiuis mensibus consternunt, quo æstus propulsent, ac suaui gratóque halitu reficiantur.

4 Est porrò illud etiam notandum, אגם AGAM propriè stagnum significare, & paludem. Hinc אגמון AGMON non solùm stagnum significat, sed hamum, & etiam iuncum, qui in stagno crescit, continens pro contento, vt quidam volunt: hinc fit, vt locus ille Ierem. 51. vers. 32. possit multiplicem habere sensum *Vada, inquit, praeoccupata sunt, & paludes incensa sunt igni, & viri bellatores conturbati sunt* quo loco iuxta D. Hieronymum אגמון AGMON paludē designat: alij vertunt, *& iuncos combusserunt igni.* Dicuntur autem combusti iunci, siue iunceta & carecta, ne eorum copia prohiberentur vrbes & regiones adire. Sunt qui ex lingua Arabica AGMON interpretantur munitionem, & vertunt: *munitiones igni sunt combusta.* Iure autem optimo Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphrastes cum D. Hieronymo, *stagna* interpretati sunt, quæ dicuntur esse combusta, quòd essent papyro & iuncis plena, & incensis iuncis ipsa stagna incensa esse dicuntur.

HEDERA.

5 Hedera ab hærendo nomen sortita est, quòd natura sit sequaci, omnibusque se affigat: cùm autem hoc arbustum Bacho Poëtarum præsidi sit consecratum, vt olea Mineruæ, ob id Poëtæ hedera coronari solent, quemadmodum lauro victores: sic superstitiosa gentilitas cùm Bachi orgia, hoc est, sacra liberi patris tertio quoque anno (vnde trieterica dicta) solenni ritu celebraret, ex hac virente fronde serta & coronas confecit, vnde in libr. Machabæorum libr. 2. cap. 6. Antiochus Iudæos coegisse legitur, vt detestatis patriis legibus, contemptisque diuinis institutis, gentilium more hedera redimiti orgia

celebr-

celebrarent, & qui id facere recusarent, morte plecterentur. Sunt qui hederam dictam putant, quòd parietes edat atque consumat, vel quòd edita petat, quæ cùm per se stare non possit, arboribus & muris adhæret. Putant porrò aliqui hederam quæ perpetuò frondet, vt Bacho fuerit consecrata, id inde ortum fuisse quòd ebrietati obsistat, ac discutiendis capitis doloribus ex temulentia contractis, sit accomoda, foliis etiam ac ramusculis foris capiti admotis, sic vt videri possit huius herbæ vmbra Ionæ vati non incommoda, vt quæ capitis grauedinem ex æstu, & lassitudine contractam discutiat. Mira autem describitur à Catone de re rustica vis & natura hederæ: si enim poculum ex ligno eius conficiatur, & vino impleatur, si id dilutum sit, atque aquæ mistum, continuò vinum effluit atque infernè per lignum diffunditur.

Ionæ autem cap. 4. vers. 6. vbi legimus: *Præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius*, dictionem hebraicã קִיקָיוֹן 6
KIKAION, *hederam* transfert D. Hieronymus, non quòd hederam putet, sed quia nomen huius arbusculi est latinis ignotum, ei hederæ nomen accõmodauit: in commentariis enim scribit, sermonem latinum hanc speciem non habere: dicit autem nasci creberrimè in Palestina, & lata habere folia in modum Pampini, mirúmque in modum si sementem ieceris, citò confortam consurgere in arborem, & intra paucos dies quam herbam videras, arbusculum conspici; vocatur à D. Hieronymo hedera, cùm potius arbustum esse doceat, cui vox latina nequaquam respondet. Quidam putant esse cucurbitam, Septuaginta κολοκύνθην id est, cucurbitam, transferunt. Idem Chaldæus Paraphrastes. Qui verò in hac sunt sententia, vocem hebraicam קִיקָיוֹן KIKAION ad נקק NAKAK reducere conantur: נָקִיק NIKIK enim est foramen, siue cauerna, indéque putant cucurbitam sic dictam, quòd concauum, siue vacuũ fructum ferat: sed fallit sæpe vocum allusio; quare probabilius est iuxta descriptionem Hieronymi, esse Ricinum herbam instar arboris grana ferentem, ricinis animalibus similia, quam Dioscorides arborosum fruticem esse dicit similem ficui, sed minorem, folia habentem similia Platano, sed maiora, leuiora & nigriora, ex qua exprimitur oleum ricinum, vulgus palmam Christi appellat apud Gallos, apud Hispanos verò, *Higuera del infierno.*

COLOCYNTHVS.

Colocynthus syluestris cucurbitæ genus est, mediocris pilæ magnitudine 7
fructum faciens. Medicis vsus eius est in expurganda pituita & bili, tum flaua tum atra, quos humores violenter & validè extundit, non sine virium detrimento, & reseratis venarum fibris, sanguinis eductione: quocirca coercetur illius ferocia mastiche, & aliis, quæ ventriculo robur conciliant. Fructus eius stirpis orbiculatus est, estque eximiæ, nec prorsus ferendæ amaritudinis, quod satis indicatur in Regum historia lib. 4 cap. 4. vers. 39. *Et egressus*, inquit, *vnus in agrum, vt colligeret herbas agrestes, inuenitque quasi vitem syluestrem, & collegit ex ea colocynthides agri*: propter amaritudinem enim postea conclamatum est: *mors in olla, mors in olla*. vbi dictionem hebraicam פַּקֻּעֹת PAKVOTH, *colocynthides* vertit D. Hieronymus: Septuaginta reddunt τολύπην ἀγρίαν, quam *colocynthidem* interpretatur Suidas. Itaque collegit cucurbitas agrestes, quæ minores

ſunt ſatiuis, rotundæ & ouales; vnde quod reddit Hieronymus 3. Reg. 6. verſ. 18. *Et cedro omnis domus intrinſecùs veſtiebatur, habens tornaturas & iuncturas ſuas fabrefactas, & cælaturas eminentes*: pro tornaturas fabrefactas, habes in hebraico מקלעת פקעים Miclaath pekaim, ad verbum, inſtar fundæ cucurbitarum ſculptura ſiue cælatura facta, vnde quidam vertunt *folliculos*, figura ſcilicet in morem colocynthæ, ſeu oui oblonga, quod idem exponens Chaldæus Paraphraſtes, ait: *ſculpſit viſionem ouorum, & faſciarum, & liliorum*, qua etiam ratione intelligendum eſt illud quod reddit Hieronymus 3. Reg. 7 verſ. 24. *& ſculptura ſuper labium circuibat illud, decem cubitis ambiens mare: Duo ordines ſculpturarum ſtriatarum erant fuſiles*, vbi pro ſculptura in principio verſus & ſculpturarum in fine, habes פקעים Pekaim, ad verbum, cucurbitæ agreſtes, ſiue colocynthides, id eſt, ſculptura figuræ cucurbitarum agreſtium ſub labio eius, &c. Et rurſus illæ ſculpturæ figuræ colocynthidis erant fuſiles: quem ſenſum magis apertum reddit Chaldæus Paraphraſtes, dicens: *Et figura ouorum ſubter labium eius, in circuitu ambiunt illud, decem cubiti ambiunt mare in circuitu duo ordines figuræ ouorum fuſilium erant in infuſione illius*; ex quo manifeſta nobis fit figura illius ſculpturæ: eam enim Hieronymus non exprimit. Intelligimus etiam quid ſibi voluerint Septuaginta interpretes, qui pro hoc: *firmamenta, & ordines firmamentorum fuſilium*, tranſtulerunt *ὑποϛηρίγματα*, iſtæ autem cælaturæ ſiue ſculpturæ cùm deſcribitur mare æneum 2. Paral 4. verſ. 3. dicuntur ſimilitudines boum דמוד בקרים Demod bekorim, fortè quòd cucurbitæ facie eſſent bubula bobus, non quidem corpore ſed facie ſimiles, id eſt, illæ ſculpturæ rotundæ corpore & mole ſimiles erant ouis, & cucurbitis, facie autem bobus, & ideò 2. Paralip. appellantur ſimiles boum, quæ eædem 3. Reg. 7. dicuntur ſimilitudines colocynthidarum, ſiue ouium, vt dixit Chaldæus Paraphraſtes.

CYMINVM.

8 Cyminum herbæ genus eſt cum ſemine eiuſdem nominis, quæ à græcis *κύμινον* appellatur, quod latini *υ* vertentes in v *cuminum* dicunt, folio fœniculo non diſſimili, radice ſubrotunda, ſemen ferens copioſum. Eſt & *κύμινον ἄγριον* ſatiuo multò efficacius, in collibus ferè prouenienſ: *κυμινοπρίϛης* cyminiſector, homo auarus & ſordidus dicitur, qui vel viliſſimis ex rebus lucrum quærit, minimáque parſimonia rem augere ſatagit, tractum eſt adagium à cymini ſeminis vilitate, ſimul & exilitate. Meminit & Ariſto. libr. Moralium, quare Chriſtus Dominus mentam, rutam, anetum, & cyminum parabolis adhibet in inſectanda Phariſæorum auaritia: quoniam enim olitores viſi ſunt aliquem quæſtum ex iis conſequi, Phariſæi decimarum exactionibus hæc grauare cœperunt, atque aliquid lucri ex iis corradere. Vocatur autem cyminum voce hebraica כמון Camon, cuius fit mentio Iſaiæ 28. verſ. 27.

GITH.

9 Gith herba eſt, quæ græcè Melanthon dicitur, vulgò *nigella*, paſſim in hortis obuia eſt, frutex cubitali altitudine aliquando maiore pro ſoli vbertate, foliis fœniculariis tenuiter diſſectis, flore cæruleo, quo euaneſcente, capitulum ſe exhibet in ſummitate, papaueraceum corniculare oblongum membranorum ſeptis, ac loculis diſtinctum, cui ſemina includuntur nigerrima, porri ſeminis

non

non abſimilia, ſed odoris fragrantiſſimi. Medici ad catharros diſcutiendos vtuntur, ad enecandos lumbricos ventri admodùm infeſtos, ad dentium dolores leniendos, ad menſtrua, vrináſque ciendas, ad abolendas lentigines, næuos, maculas, tum fœda vitia, quæ extremam cutem deformant. Vocatur autem vocabulo hebræo קצח KESACH. Eius quoque mentio fit Iſaiæ 28. verſ. 27. & etiam cymini: *Non enim*, inquit, *in ferris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit, ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo*: vbi Septuaginta pro ferris, *duritiam* exponunt: non enim cum duritia mundabitur gith. Chaldæus Paraphraſtes ferreum tribulum: *Non enim*, inquit, *in ferro tribulo teritur gith*, ſenſus eſt, populum Iſraëliticum, qui per gith & cyminum ſignificatur, ſi ad Deum conuertatur, & Dei mandata ſeruet, colligendum, & congregandum, ſicut gith & cyminum, & non amplius conterendum durè, & cum tribulo ferreo, id eſt, flagellis duriſſimis, ſed blandè tractandum virga, & baculo.

CROCVS.

10 Crocus herba eſt radice buboſa ac capicea, in capillamenti exilitatem ſpargit folia, iuncis multò tenuiora, è quibus floſculus emergit, tametſi is aliquando ante folia conſpiciatur cærulei coloris, in cuius medio velut crocea ſtamina ac filamenta ſe proferunt fragrantiſſimi odoris, adeóque intenſi vt cerebro vi ſoporoſa officiat. Cor verò crocus ita recreat, vt digito annulari ſiniſtræ manus affrictus, confeſtim ad cor penetret; tanta eſt illi cum corde ſocietas; vt vel foris, vel intus adhibitus, abſque mora per arterias illuc penetret & perferatur, quo fit vt corpori venuſtatem afferat, & colorem floridum conciliet, modò abſit immodicus eius vſus: nam immoderatus riſum perpetuum homini excitat, & vt tradunt medici, nimio gaudio hominem conficit, ſi trium drachmarum pondere exhibeatur. Vocatur autem crocus hebraica voce כרכם CARCOM: hanc enim dictionem Cantic. 4. verſ. 14. Hieronymus, & Septuaginta, & Chaldæus Paraphraſtes, *crocum* interpretantur. Arbitrantur quidam literam vltimam huius dictionis eſſe ס S, & non ם M, finale, ſed errare in eo deprehenduntur, quòd hebræorum doctores inde forment verbum כרכם CIRCEM, & participium מכרכם MECVRCAM croceus, vel croceo tinctus colore. Præterea dicuntur hodie כבעים כרכמים COBAIM CARMIM pili crocei, quibus hoc tempore dignoſcuntur Iudæi Venetiis.

ABSYNTHIVM.

11 Abſynthij tres ſunt ſpecies: Ponticum, vulgò Romanum, quod hortis colitur, non inſuaui odore: Marinum in oceani crepidine paſſim obuium, & vulgare inſigni amaritudine, expurgandis vermibus cùm primùm efficax, & præſentaneum, quod tamen in hortos tranſlatum miteſcit, adeò vt non ſolùm ſapor, ſed foliis etiam color immutetur: ex incanis enim & cinericiis virorem adſciſcunt, nec odorem prorſus ingratum aut faſtidioſum, à græcis dicitur ἀψίνθιον. Sunt qui putent ἀντιφραστικῶς dictum à græco ἄψισθαι, eò quòd ob inſignem amariciem à nullo animalium attingatur. Eſt herba facillima & vtiliſſima: dictio autem hebraica לענה LAANA & abſynthium ſignificat. & venenum, quam *abſynthium* interpretatur D. Hieronymus Ierem. 9. verſ. 15. *Idcirco*,

 inquit

inquit, *hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel: ecce ego cibabo populum istum a bsynthio*: sed alij vertunt, *potabo populum istum veneno*: magis tamen videtur huic loco quadrare interpretatio D. Hieronymi: nam Septuaginta pro absynthio reddunt *angustias*, & Chaldæus Paraphrastes, *Ecce ego adducam tribulationem super populum istum amaram quasi absynthium, & potum dabo eis calicem maledictionis pessime, quasi capita serpentum.* Habes autem dictionem hanc etiam Ierem 23. vers. 5. & Thren. 3. vers. 15. & 19. Item Deuter. 29. vers. 18. ad quem locum alludit Petrus Actor. 3. & epistola ad Hebræos 12. Vide etiam Prouerb. 5. vers. 4. & Amos 5. vers. 7. & cap. 6. vers. 12. & 13. quibus locis ex præcedentibus & sequentibus, contextúque sermonis facilè intelliges, vbi absynthium, & vbi venenum magis videatur significare.

CORIANDRVM.

11 Coriandrum herbæ genus est, etiam hodie nomen retinens cuius semen sacaro conuestitum, non extremum inter bellaria locum obtinet, de quo Plinius lib. 20. cap. 20.. Herba est ex se odorifera quandiu integra manet, sed manibus confricata fœtorem immittit, semen est candidum & minutum Huiusmodi semen vino dulci epotum teste Isidoro ad Venerem prouocat, & si immoderatè sumatur in amentiam furorémque adducit: in cibo sumptum stomachum calefacit, & constringit, atque somnium prouocat. Vocatur autem coriandrum hebraica voce גד Gad, cuius seminis fit mentio Exodi 16. vers. 11. *Et sabatizauit populus*, inquit, *die septimo, appellauitque nomen eius Man, quod erat quasi semen Coriandri album, gustúsque eius quasi simila cum melle*: vbi notandum non esse sensum Man fuisse album sicut semen coriandri, sed fuisse quidem album, & sicut semen coriandri, nempe instar seminis coriandri in rotunditate & paruitate: non enim ita est album semen coriandri, vt eius candori debuerit comparari, quod facilè constat ex alio loco Numer. 11. vers. 7. vbi color mannæ comparatur colori Bdellij, quod album est: *Erat*, inquit, *Man quasi semen coriandri coloris Bdellij*, vbi vt intelligeremus similitudinem ad coriandrum non sumi ex candore, adiecit *coloris Bdellij*. Itaque non erat coloris coriandri, sed coloris Bdellij: si enim coloris coriandri fuit, superfluum videbatur addere *coloris Bdellij*. Erat ergo rotundum & minutum sicut Coriandrũ, & candidum sicut Bdellium: est autem Bdellium lapis pretiosissimus, quem candidissimum esse ex loco citato Exodi. & Numer. 11. apparet diuersum à Bdellio arbore quam nigram esse constat.

HYSOPVS.

12 Hysopus herba notissima est hortensis, multis nationibus condimenti vice iuri innatat, quòd eximij sit odoris, ac sapore non ingrato, sic vt elixa quæque non minus salubria efficiat quàm sapida: nam pectus & pulmonem expurgat, capitísque pituitam extergit, quocirca in expugnanda pleuresi ac morbo quouis laterali singularem effectum obtinet: qua ratione visum est Deo, herbam hanc solemni sacrificio adhibere, cùm vel leprosi lustrandi esset, aut scelus aliquod peculiare expiandum, intincto hysopi fasciculo in sanguine passerculorum, vel vitulorum Leuit. 14. & Numer. 16. ideóque Dauid adulterij atque homicidij scelere contaminatus aspergi & expiari hysopo cupit psal

pir, Psal. 50. vt eius macula abstergatur: *Asperges me*, inquit, *hysopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor:* vbi hysopus significatur dictione hebraica אזוב Esob: putant aliqui hysopum esse origanum, *el oregano*. Hac herba in aspersione vtebantur, fasciculo ex ea facto, ad aspergendum, vel victimæ sanguinem, vel aquam lustralem, vt videre est Exod. 12. vers. 22. & Numer. 19. quo psaltes hoc loco allusus est, expiationem à peccatis petens per sanguinem Christi, qui victimarum sanguine significabatur. Porrò vt hysopi aspersio finis erat emundationis per Christum absolutissimè expiantur ipsa peccata, vnde Chaldæus Paraphrastes: *Infundes*, inquit, *super me sicut Sacerdos, qui profundit super immundum aquas aspersionis cum hysopo de cinere vaccæ, & mundus ero.*

BORITH.

Borith herba est quæ strutium appellatur, vulgo nota, qua ad eluendas lanas vtuntur fullones, de qua Plinius lib. 19. cap. 3. in fine: *At*, inquit, *quæ vocatur radicula lauandis demum lanis succum habet, mirum quantum conferens candori mollitiaque*, & paulò post. *Strutium Græci vocant, floret æstate*, &c. *Vulgus sepiasiorum saponariam vocat.* Itaque fullonum herba, siue struthion incredibilem vim obtinet in eluendis maculis atque imbuendis candore lanis: pollet enim vi absterforia, adeò vt etiam pituitam è capite eliciat, & sternutamentum moueat tanta violentia, vt partum emortuum excutiat. Vocatur autem hæc herba hebraica voce ברית Borith, deducitur eius nomen a ברר Barar, quod est mundare, tergere, & purificare: Hinc Ieremiæ 2. vers. 22. *Si laueris*, inquit, *te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith*, quod ita vertit Chaldæus Paraphrastes: *Quoniam si putatis mundari à peccatis vestris, sicut mundant nitro, & dealbant sapone; Ecce sicut nota macula, quæ non est munda, sic multiplicata sunt peccata tua coram me*, Septuaginta πόαν transferunt, id est, herbam. Est autem πόα, teste Hesychio, quæ sponte ex terra nascitur, herba specialiter nuncupata. 13

Caput VI. DE SVBSTANTIA ARBOREA.

FRVCTIFERA, HORTENSI.

Arboris appellatione continentur plantæ maiores, & dissolutu contumaces, quæ simplici caudice ramísque brachiorum more porrectis assurgunt, cuiusmodi sunt olea, vitis, quercus, & similes à Græcis δένδρον vocatur, עץ Es ab Hebræis. Tanta verò erat agrorum, arborum, & plantarum cura antiquis legibus, vt nec impignorari aratoria instrumenta obtentu æris alieni permiserint, quò minus à labore agri colendi cessarent rustici, aut terræ fœcunditas in detrimentum publicum torperet, aut ociaretur, quod statuit Cõstantius in leg. Executores, & Honoratus, & Theodosius August. in leg. Pignorum C. quæ res pig. Hodie autem nullum mortalium genus est infœlicioris sortis, aut deterioris conditionis ipsis agricolis: Ab antiqua illa iuris gratia exciderunt, post aurea Paradisi sæcula hæreditaria iure vocem illam minacissimam experti sunt: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Terræ verò cul- 1

tura quemadmodum omnium laborum honestissima videtur, ita etiam vt laboriosissima homini à Deo imperata est; Nec est quòd miremur si priuilegia agricolarum consenescere videamus, cùm agricolæ multum ab antiqua probitate degenerauerint: simplex enim, & syncera vita priscorum agricolarum id nominis obtinuit, vt sancta rusticitas diceretur, sic Hieronymus ad Paulinum; Quare in summa constitutionum summorum Pontificum motus proprius extat Pij V. de priuilegiis nobilis agriculturæ. Arboris autem varia reperitur significatio atque acceptio: dicuntur enim arbores cæduæ, sicut sylua cædua, quæ succisa rursus ex stirpibus, & radicibus renascatur: Arbor autem vento deiecta non iam arboris nomen, sed ligni magis obtinet. Arborum verò appellatione in duodecim tabulis, & in edictis prætoriis, & lege Aquilia vites, hederæ, arundines, & salicta continentur, stirpis quoque oleæ arbores esse magis est manifestum. Fructiferæ autem arbores notissimæ sunt significationis: sunt enim arbores non frugiferæ, & arbores pomiferæ. Arbor etiam pro malo nauis aliquando ponitur.

2 Drydæ siue Druidæ dicti sunt Gallorum Sacerdotes, qui de totius gentis controuersia constituebant. Hi nomen habuisse creduntur à δρῦς dictione, quæ olim quamcunque arborem, hodie verò peculiariter quercum significat, qui maximè in Lucis versabantur, de quibus multa Cæsar li.6. de bello Gallico. Notissimũ autem est priscos in eã venisse opinioné, vt putarent in arboribus quæ dryades dicebantur, inesse numen ingenitũ, quas proinde huiusmodi Sacerdotes colebant, & in vniuersum de cunctis gentibus idipsum testatur Plinius lib.16. cap. vltimo, vt appareat causa, propter quam sic Deus Hebræorum populo edixit: *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui*, ob idque sæpe idem Dominus conqueritur de Synagoga, quæ ad hanc arborum impietatem deflexerat, iis verbis: *Sub omni ligno frondoso tu prosternebaris meretrix.* Quid plura? oraculum Dodoneum, teste inter alios Strabone, è quercu reddebatur, ac fuit omnium vetustissimum. Illius responsis, & auctoritate factum refert Herodotus, vt abiecto, & obscurato vnius Dei, plurium Deorum cultus à Græcis hac de re interrogantibus acciperetur, & ad posteros transmitteretur: Atque ita Dæmon sicut ex arbore principium fuit omnibus mortalium malis, sic per eandem quotidie maiora inuehere aduersus eos haud cessauit, existimantes aliquid ei diuinitatis naturaliter innatum, vtque ob id illam colentes. Porrò etiam inter Indos adhuc aliquos esse populos aiunt, quibus eadem sit opinio & consuetudo, sicut à Slauinis idem factitatum suo tempore Procopius tradit.

3 Arbor autem adhæret terræ fixis radicibus, sicut & herba, neque hæc duo in ortu differunt: Nam si semen arboris in terram immittas, quasi herba prius pullulat & erumpit, & tandem consurgit in arborem, teste autem Aristotele de vegetabili in arboribus, & plantis vita est, id est, vegetabilis vis & facultas, per quam fit attractio humoris ad ipsius arboris, vel plantæ nutrimentum & conseruationem. Itaque in plantis vita est occulta, non ita perfecta ac manifesta, sicut in animalibus: hæc enim mouentur motu progressionis & sentiunt, quæ plantis non competunt, sicut experimento comprobamus, crescunt tamen,

tamen, & facultatem habent producendi ex se sibi similia, ad conseruandum propriam speciem: sed vt hæc facultas in actum redigatur, indigent extrinseca ope & varietate, nempe temporum anni: hyeme quidem, ad aggregandum humorem ad semen idoneum; vere autem temperato, ad emissionem eius; terra etiam apta, & solis calore accommodato, vt ipsum semen possint emittere; vnde Aristoteles lib. de Plantis, in generatione plantarum terræ matris officium tribuit, patris verò soli. Neque destitutæ sunt plantæ, & arbores suis adminiculis, quibus conseruari possint, & incolumes permanere: quædā enim certo tempore gūmi, & resinam emittunt: sic enim superabundans humor non digestus depellitur ad exteriora, vbi à frigido aëre circunstante condensatur. Suis etiam nodis præditæ sunt, quibus partes quæ per generationem succedunt, adinuicem colligentur, & etiam venis, siue rimulis, in quibus humiditas custodiatur, à terra ad partes singulas deriuata. Medulla etiam constant quasi quodam ventriculo, in quo humoris fiat decoctio antequam in substantiam ramorum, foliorum, atque fructuum transferatur. Cortice etiam vestitur, ad defensionem ligni, ad instar cutis animalis corporis: est enim lignū, siue truncus pars corporis solidior, quæ à radice incipiens, ad summitatem vsque ipsius arboris se extendit. Constant quoque arbores ramis quibus dilatantur, & fiunt ampliores foliis ad protegendum fructus ab iniuriis externis. Præditæ etiam sunt fructu, vt propriam speciem possint propagare, atque etiam radice quasi ore, quo attrahatur humor ad nutritionem totius corporis.

MALVM PVNICVM.

Malum punicum arbor est ferens malogranata, siue mala punica: idem autem est Pœnus quod Chartaginensis à nomine Phœnix detracta aspiratione: sumpserunt enim Chartaginenses originem à Tyriis Phœnicis populis, qui duce Elisa (quæ Dido dicitur) Pigmalionis seuitiam fugientes, in Aphricam apulerunt. Hinc Pœni quasi Prœni, quia à Phœnicibus orti, inde punicus, vnde & mala punica, mala granata, quæ hoc cognomen sibi circa Chartaginem vendicarunt, vbi & multa, & insignia nasci perhibentur. Granata autem dicuntur à granis quibus sunt referta: est autem arbor dura & nodosa, in varios ramos extensa, magis in latum quàm in altum se diffundens; læditur nimio frigore, vnde pruina vigente facilè eius flores pereunt. Duo autem sunt malogranatorum genera: alia enim ferunt poma dulcia, calida, & humida: alia acetosa, quæ frigida sunt & sicca, & diutius conseruantur. Ad vsum autem medicinæ maxime huius arboris fructus confert, inest enim toti arbori, sed potissimum fructui facultas constringendi, confortandi, & consolidandi, desiccandi etiam humores fluidos, atque fluxum sanguinis intercipiendi, tum etiam, & compescēdi vomitum cholericum. Fructus autem quamuis exterius sit croceus ac insipidus inspecto cortice, interius tamen est rubeus, humidus mollis, iucundus, & suauis, & miro ac incredibili artificio granorum cellulis distinctus. Vocatur autem malum punicum hebraica voce רמון RIMON, quæ quidem dictio tam de fructu, quàm de ipsa arbore dicitur, & tam de naturali, quàm de artificiali in sacris literis. Quidam etymon afferunt, quòd granis scateat

teat reducentes ad רמה RAMA proiicere. Alij dictionem putant esse peregrinam: eius fit mentio Canticorum 8. vers. 2. *Apprehendam te*, inquit, *& ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino, & mustum malogranatorum meorum*, מ עסים רמון ME ASIM RIMON, ad verbum, *De musto malogranati mei*, vbi arborem malogranatum videtur significare.

AMYGDALVS.

6 Amygdalus arbor caudice procero assurgit multis ramis quaquauersùm, foliis salici proximis, aut ligustro, flosculo candido foliis distincto: est arbor permaturè florens, cortex Amygdalini fructus nihil habet quod edi possit, sed tantùm nucem ambit mẽbranosum tegmẽ puluini forma: intus verò exhibet nucleum, nunc amarũ, nunc dulcem. Amarus ratione amaritudinis, quòd incidẽdi extenuandíque vi polleat, viscerum internorum obstructiones emolitur, hoc est, hepar, lienem, renes à crassis humoribus expurgat, vrinam prouocat, calculum atterit, næuos, lentigines, maculas in facie curéque extima eluit abstergendi efficacia. Dulcia verò Amygdala (quo commeatu Iacob filios instruxit Genes. 43. cùm famis tempore illos in Ægyptum amandaret) corpus alunt ac saginant, pectus expurgant, tabidis conferunt, somnum placidum conciliant, delatis ad cerebrum suauibus ac poriferis vaporibus. Significat autem Amygdalum voce hebraica שקד SAKED, deduciturque à שקד SAKAD vigilare, siue festinare, quòd Amygdalus reliquarum arborum prima florem producat; quare D Hieronymus Ieremiæ 1. vers. 11. מקל שקד MAKED SAKED, id est, virgam Amygdali, virgam vigilantem reddit: *Quid tu*, inquit, *vides, Ieremia? & dixi: virgam vigilantem ego video*: Hæc enim arbor est quæ magis vigilare videtur, protrudens prius florem; Septuaginta, *baculum nucum ego video*, transtulerunt, quod etiam de virga Amygdalina intelligi etiam potest: nam fructus Amygdali nuces etiam dicuntur generali vocabulo; Chaldæus verò Paraphrastes pro virga Amygdalina, *Regem festinantem ad malefaciendum*, exponit, per virgam regem significari docens, & per Amydalum eius festinationem. Quoniam verò flos Amygdali albus est, vt canicies significetur quæ alba est, vt flos Amygdali, propterea noster interpres verba illa hebraica Ecclesi. 12. vers. 5. ו ינאץ ה שקד VE INAS HA SAKED, transtulit noster interpres: *& florebit Amygdalus*, id est, senescet homo, & canicie candidus, vt flos Amygdali apparebit.

MORVS.

7 Morus arbor est dicta à mora, id est, tarditate, vt quidam putant: Nam postrema omnium arborum morus floret, propter quòd prudentissima arbor dicitur, quia lædi se à frigore non finit, neque planè nisi frigore peracto germen emittit: sed cùm cœpit in tantum vniuersa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat etiam cum strepitu. Sunt qui à græco id nominis deriuent: μαυρὸν enim nigrum dicitur, quòd niger sit fructus. Est arbor caudice, vel trunco valido, cortice vbi adoleuit scabro, nec vllo leuore perpolito, ligno intus colore buxeo & subflauo, foliis in expansæ manus modum dissectis, ficui non absimilis, fructu oblongo, ouali, granoso, primùm candido, cùm pubescit rubro,

rubro, maturitate nigricante. Inficit autem morus manus sanguinolento colore, vbi maturuit, eluit extergítque maculas ac næuos immaturum, hoc est, album, ac nondum rubicundo colore perfusum, sic vt nihil necesse sit aquam, aut aliquid aliud extergendis manibus adhiberi, sed succum tantùm morum, quæ adhuc virescunt. Significat autem dictio hebraica בכא BACA morum arborem; Quare illud Psal. 83. vers. 7. *In valle lacrymarum, in loco quem posuit, etenim benedictionem dabit legislator*, quod hebraicè legimus ב עמק ה בכא BE EMEK HA BACA: aliqui exponunt *in valle mori arboris*. Hieronymus verò cum Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes: *in valle lacrymarum, siue fletus*, transtulerunt: est enim בכה BACA flere, vt significet his verbis scriptura vallem irriguam, in qua stillat aqua, vt lacryma ab oculis.

PYRVS.

Pyrus arbor ita dicta est, quòd pyrum eius fructus ad similitudinem pyra- 7
midis è lato tendat in acutum, flammæ similitudinem reddens: autumnalia autem pyra acidulo sapore iucunda Tiberina appellantur, quod maximè Tiberio principi placuêre. Sunt & alia cucurbitina pyra appellata, teste Plinio lib. 15. ob cucurbitæ similitudinem. De pyris multa vide apud Plinium lib. 15. cap. 15. est autem pyri fructus cæteris fructibus ponderosior: Itaque suo pondere poma, & alios fructus longè excedit. Sunt autem pyra frigida & sicca, & magis conferunt si post cibum sumantur, quàm ante: post cibum enim laxant, & comprimendo cibos depellunt ad locum decoctionis, & neruos orificij stomachi confortant, quæ si coquantur simul cum fungis noxiis, omnem ab eis pestem auferunt, potissimum si fuerint syluestria, vnde puluis, siue cinis pyri syluestri potione susceptus confert contra fungorum læsionem. Huius arboris mentio fit 2. Regum 5. vers. 23. vbi à Deo responsum est Dauidi: *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos, ex aduerso pyrorum*, vbi pyrus iuxta D. Hieronymum significatur voce hebraica כפא CEPHA, quam alij morum arborem significare putant.

FICVS.

Ficus, & fructum significat & arborem, quæ hunc fructum profert. Signi- 8
ficat etiam vlceris genus in locis pilosis nascens, à similitudine fructus fici sic appellatum. Fructus à Græcis dicitur σῦκον arbor verò συκῆ, quam longas habere radices tradit lib. 6. *Quidam* inquit, *breuitate radicum senescere celerius arbores putant quod coarguunt fici, quarum radices longissimæ sunt, & senectus ocyssima*. Fici autem arboris fructus duplicis est differentiæ: Nam caricæ ficus sunt tempestiuæ, quæ ab arbore eximuntur antequam prorsus siccescant, deinde exsiccatæ in fiscellas ab Hispanis reconduntur: grossi verò sunt primitiuæ ficus, succosæ, præcoces, & intempestiuæ, quæ non maturescunt, vel serius maturitatem assequuntur, vnde serotinæ dictæ: cùm autem ficus flore destituta sit, cæteris florescentibus arboribus ista grossos producit. Vox autem hebraica תאנה TEENA, & arborem, & fructum significat. Obseruant autem quidam in singulari semper de arbore dici, in plurali æquè de vtroque: in plurali quidem terminatione masculina, sed significatu fœmineo: pleráque sunt eiusmodi in hac lingua. Cæterùm omnes tam Septuaginta, quàm Chaldæus Pa-

raphrastes hanc dictionem, *ficum*, exponunt, Genesis autem 3. vers. 7. pro arbore sumitur: *Cúmque*, inquit, *cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Significat autem פג Pag ficum immaturam, aut non maturam quantum est opus, Cantic. 2. vers. 13. *Ficus*, inquit, *protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem*; dictionem hebraicam חנטה Chaneta vertit Hieronymus dictione latina, *protulit*, ad verbum est, dulcescere fecit, aut maturauit grossos suos, aut ficus suas immaturas: id enim significat חנט Chanat protrudere fructus, & eos maturos proferre: est autem פג Pag generale nomen fructuum non satis maturorum: Hinc fieri potest, vt בית פגי Beth page locus Hierosolymæ vicinus dictus sit quasi locus grossorum. Ficus autem nomen Latinum hinc aliqui deflexum putant, quasi פיג Pig, alij ad פנק Panak delicatè nutrire reuocant, à delitiis, & teneritudine. Hebræi doctores hac voce pro non suo tempore facta vtuntur.

SYCOMORVS.

9 Sycomorus nomen à ficu, & moro accipit: συκὴ ficum significat, μορέα morum arbor est amplissima, ficus similitudine, foliis moro proximis, quæ fructus edit ignaui gustus, insipidos, & immaturos, quos non ramis vt ficus sed caudice gerit, caprificis similes, & qui non maturescunt, dulciores tamen præmaturis ficubus, quas grossulos vocant: nulla intus granorum congeries. Præbuit hæc arbor Zachæo, qui Christi videndi erat auidus suggestum Lucæ 19. Hanc nonnulli ficum Ægyptiam vocāt: Theophrastus *Ægyptiam morum*, Celsus inuersa compositione *Morosicon* appellauit, Dioscorides, & Galenus *Sycomorum* appellant. Magna lactis copia abūdat: fructum fert ter quatérque quotannis: fructus autem nisi ferro vnguibúsque scalpatur, non maturescit. Nascitur præcipuè in Rhodo, & Caria, aliísve locis, frumento non admodum feracibus. Prouenit in Ægypto, maximè in Nili aggeribus, quos radicibus suis colligat, & aduersus Nili inundationes munit; vnde teste Vlpiano, grauiter in eos solet animaduerti, qui in Nili ripis Sycomorum exciderent. Appellatur autem Sycomorum hebraica voce שקמה Sikma, estque nomen arboris & fructus. Quidam existimant שקם Sakam idem esse, quod קם Kam surrexit, sicut שרץ Saras, producere cum multitudine idem esse, quod רץ Ras, vt Iudicum 5. vers. 7. שקמתי Sakamti, pro קמתי Kamti, surrexi ego Debora, & ita hanc arborem nomen habere putant à proceritate qua in altum assurgit, & putant carere singulari ob earum arborum copiam: Sycomini aliàs dicuntur huiusmodi arbores. Est autem hæc species ficus, quæ Sycomorus dicitur, non quasi ficus stulta, vt quidam comminiscuntur, id est, agrestis: Nam græcè συκόμορος dicitur, non μώρος per ω, quòd ex ficu, & moro teste Plinio sit composita: μώρος autem est stultus, stolidus, non μόρος. Quidam discrimen esse volunt inter masculum, & fœminam, vt שקמים Sikemim eam arborem denotet, quam Lucas cap. 19. συκομόρον vocat. Genus arboris, teste D. Hieronymo, Palestinæ est peculiare, ficus afferens agrestes, quòd nisi vellicetur, amarissimas cariculas facit. Datur autem familiæ in cibum infuso oleo. Gaudet verò hæc arbor campestribus locis, de qua Amos 7. vers. 14. legimus: *Respondítque Amos, & dixit ad Amasiam: non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ, sed*

ARBOR HORTENSIS.

sed armentarius ego sum, vellicans Sycomoros, id est, fructum Sycomori scalpens, vt possit comedi, & maturescat. At שקמות Sikemot vocem pluralem fœmineam significare ficum Ægyptiacam longè præstantissimam, cuius ideò psaltes meminerit Psal. 77. vers. 47. cùm legimus iuxta Septuaginta: *Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina*: dictionem enim hebraicam שקמות Sekamoth verterunt, *morum*.

N v x.

Nux est arbor procera & ramosa, foliis non sine grauitate quadam odoratis, latis & oblongis, fructu multis inuolucris ac tegumentis munito, calloso foris atque herbaceo cortice, vt Plinius eleganter describit. Sunt autem huic nuci bifidæ putamini carinæ: nucleis autem quadripartita distinctio lignea. Nux autem hæc basilica vocatur, hoc est, regalis, quòd à regibus à Perside in Europam translata sit, communi nomine iuglans, quasi Iouis glandem dixeris, quòd eam primus hominibus Iupiter commonstrauerit. Eduntur hæ nuces salubrius minoríque incommodo recentes, & succulentæ quàm aridæ, capiti grauedinem inferunt; vnde Græcis nux κάρυον dicitur, quòd capiti noxam inferat: καρὰ enim caput significat: est autem foris, cùm arida est, ligneo duróque cortice, at intus suauē sapidúmque nucleum continet. Est itaque iuglans quæ non propriè, sed per antonomasiam nux appellatur, & inter nuces primum locum obtinet: Est enim nux nomen generale omnibus quæ operimento duro teguntur; vnde glans fructus quercus, & castanea à Castano Magnesiæ vrbe, vt putatur dicta: Auellana quoque coryli arboris, quæ alio nomine dicitur nux pontica; quòd in Asiam Græciámque primò è Ponto venerit, & prænæstina dicitur, quòd Prænestini his abundent, siue vt Macrobio placet, quòd Prænestini ab Annibale obsidione cincti hoc fructu famem tolerauerint; quæ primùm dictæ sunt Abellinæ ab Abellino Campaniæ oppido, quod à Vergilio appellatur Abella à Silio Auella; huiusmodi omnes fructus nucis vocabulo appellantur, quod quidem nomen per excellentiam iuglans sibi vendicauit, & appropriauit. Cloatius autem, referente Macrobio, diu glandem primò vocatam scribit, quasi Διὸς βάλανον, id est, Iouis glandem: postea detractione primæ literæ, iuglandem. Propriè autem in hebraicis codicibus vocatur tam nucis, siue iuglandis arbor, quàm fructus אגוז Egoz, quæ dictio solùm legitur in Canticis Canticor. cap. 6. vers. 10. *Descendi*, inquit, *in hortum nucum, vt viderem poma conuallium.* Sumi autem nucem pro aliis arboribus, quarum fructus tegitur duro cortice, esséque nomen Generale, testatur D. Hieronymus Exodi 37. vers. 19. vbi amygdalam *nucem* vocat, cuius verba sunt: *Tres cyphi in nucis modum per calamos singulos*, quod in hebraico est משקדים Mesvkadim, ad verbum, instar amygdalarum, siue cyphi amygdalati: Nam שקד Saked, propriè amygdalam significat. Vsus itaque est Hieronymus nomine generico ad amygdalam significandum, & transtulit: *in modum nucis*, scilicet amygdalinæ. 10

P a l m a.

Palma arbor est trunco valido ac procero, folio arundinaceo, gladiolo affini, fructus fert sapore dulci: Græci dactylos vocant, digiti forma, Latini pal- 11

ARBOR HORTENSIS.

mulas, quibus medici vires instaurant exhaustis & extenuatis: humorem enim nutricium, quem radicalem vulgò vocant, fouent, ac corpori arido alimentum conferunt. Cæterùm cùm hæc arbor oneri renitatur, nec prementibus vrgentibúsque cedat, hoc insigne in certaminibus discerni solet victoribus, quòd inuictum animi robur palmæ natura referat, ac sit rei fortiter atque animosæ gestæ trophæum ac Symbolum. A palmæ autem, id est, volæ manus similitudine arbor ista nobilis quæ dactylos profert, quam Græci φοίνικα appellant, à nostris quoque palma dicitur, quòd comam in cacumine habeat circum extensam, & ramos in digitorum modum prætensos; vnde & fructum eius dactylos, id est, digitos vocamus, quòd digitorùm manus similitudinem referant. Hæc arbor in Italia sterilis est, maritimis Hispaniæ fructum fert, sed immitem, dulcem in Aphrica, sed statim euanescentem. Contra autem in Oriente ex his vina fiunt, alicubi etiam panis, & pluribus quadrupedibus cibus.

12 Est autem palma arbor pulcherrima viroris perpetui diuturnis vestita frôdibus, sine vlla successione, conseruans folia tempore hyemis, & æstatis, & quia durat multis annis, ideò ad similitudinem Phœnicis auis, quæ multo tempore viuit, à Græcis φοῖνιξ est vocata. Eius radix est aspera & rotunda, in terræ profunditate fixa, truncus eius est solidus, compactus & firmissimus, putredinis expers, cortex eius durus & rugosus, & quodammodo pungens, & maximè in ea parte trunci, quæ est iuxta terram; vnde difficilis est ascensus ad eius fructum. Superior eius pars aspectu iucunda est, ob ramorum pulchritudinem & comam. Dicitur autem palma voce hebraica תמר Thamar, vt quibusdam placet ab amaritudine, id est, à מרר Marar, quia summa caudicis parte vbi toto folia iunguntur & rami, mollis est & amputata, non solùm editur, sed in delitiis habetur, sapore tamen insipido & subamaro. Vel à renitentia & rebellione, quòd in diuersum nitatur, nec cedat oneri; de hac Cantic. 7. vers. 8. *Dixi ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.* A palmis verò Hiericho dicta est vrbs palmarum, vt habes Deuter. 34. vers. 3. Est autem תמר Thamar loci nomen, Ezech. 47. vers. 19.

Cap. VII. DE SVBST. ARBOREA TORCVLARI INDIGENTE.

SVnt quædam arbores fructiferæ, quæ torculari summopere indigent, vt fructus earum exprimantur, suisque possessoribus vtilitatem afferant, & vitæ hominum maximum præbeant subsidium, de quibus hoc ca. 7. agendum erit.

OLEA.

1 Olea arbor est folio salicis aut ligustri, supernè viridi, auersa imáque parte, qua terram spectat, albescente, vt alba populus, flosculo minuto, sed folioso, colore luteo, non sine grauitate odorato. Fructifera verò est fœcundáque numerosis baccis, oblonga forma atque ouali, quæ vbi maturescunt, atque nigrescere incipiunt, oleoso pinguíque succo turgescunt, ex quibus oleũ exprimitur, articulis firmandis, fouendísque membris, tum mitigandis dolo-

ribus

ribus commodum: agilitatem enim vigorémque iis præſtat foris adhibitum, potius quàm in corpus admiſſum. Eo ſiquidem corpora perfuſa, non ſolùm niteſcunt, ſed robur etiam concipiunt, atque ad obeundos labores reddunt habiliora. Olea verò arbor ſymbolum eſt pacis: olim enim ſine oliuarum ramis non mittebantur legati ad pacem obtinendam, aut aliis offerendam; in ſignum etiam reconciliationis & fœderis Dei cum Noë, columba cum oleæ ramuſculo ad arcam reuertitur, & teſte Plinio libr. 15. victores Athenis olea coronabantur. Eſt itaque olea arbor coma, virore, & ramorum copia pulchra, virorem in æſtate & hyeme retinens: floribus prædita eſt minutis & multiplicibus, ſuauiter redolentibus, duro cortice, radice amara, fructu pingui, ſapido, atque dulci: eius lignum eſt ſolidum & firmum. Teſte autem Plinio libr. 17. cap. 2. oleum in torcularibus extorquendum melius eliquatur, ſi oleæ baccæ prius cum molari lapide conſtrictæ feruentiſſima aqua perfuſæ fuerint & reſperſæ: nam per talem aquam calidam pinguedo à nucleis, & à murca ſeparatur, quæ ſupernatans, ab ipſa aqua artificio & induſtria ſemouetur, & quātò oleum citius à torculari fuerit eductum, laudabilius iudicatur, quia pinguius eſt & ſuauius, quòd minus cum ſubſtantia admiſceatur terreſtri. Naturæ autem olei eſt, vt cibos condiat, fomentum lumini adminiſtret, corpora feſſa recreet & confortet, neruos contractos & induratos emolliat atque relaxet; oleo etiam ſi mundum ſit & purum, ferrum politur, ſeruatur ne rubiginem contrahat: ſed ipſum deſtruit ac corrumpit, ſi ſit immundum, vel fæce, & aqua aliquo modo commixtum.

Dictio hebraica זית Zaith oleam & oliuam ſignificat: ſumitur enim pro arbore & fructu in ſacris literis. Deuteronom. autem 8. verſ. 8. pro olea ſumitur, vbi legimus: *terram frumenti, & olei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & olueta naſcuntur: terram olei & mellis*: pro terram olei habes in hebraico זית שמן Zeth semen, ad verbum, *terram oleæ olei.* Ideò autem terram oleæ olei appellat, quia erat referta oleis, quæ oleum in abundantia ferebant, ad diſtinctionem olearum, quæ ſteriles ſunt: olea enim olei ea dicitur quæ fœcunda eſt, & olei ferax; vnde Septuaginta transferunt, *terram oliuæ olei*, & Chaldęus Paraphraſtes: *terram, cuius oliuæ producunt oleum, & ipſa fluit melle.* Hanc autem Hieronymus, *terram olei*, appellat. Quarto autem Reg. 23. verſ. 13. mons oliuarum ſiue oliuetus dicitur mons offenſionis: *Excelſa*, inquit, *quoque erant in Ieruſalem, ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificauerat Salomon Rex Iſrael Aſtaroth idolo Sidoniorū*, vbi pro montis offenſionis, in hebraico habes: למשחית להר ה Le harha maschith, ad verbum, *montis corruptionis, aut perditionis*, id eſt, montis Oliueti, ſic appellari in vituperium, ob ædificium quod illic ædificauerunt, ad colendum idola. Teſtatur autem Chaldæus Paraphraſtes eſſe hunc montem Oliuarum, dum ita hebraica transfert: *Excelſa quoque erant*, &c. *ab auſtro montis Oliuarum quæ ædificauerat*, &c. nam mons Oliuarum huiuſmodi nomen ſortitus eſt, vt Maschith diceretur, id eſt, corruptionis ob dictam cauſam; quare Septuaginta vocem ipſam hebraicam retinentes, tranſtulerunt μάσχιθ, quia hoc nomine vocabatur, vbi notanda eſt elegans paronomaſia: Mons enim Oliuarum, qui mons vnctionis propter oleas dici po-

tuit,id est, ה משחה Ha mischa, hoc loco vocatur משחית Maschith, id est perditionis, siue corruptionis: est enim שחת Sachath perdere, corrumpere,& Maschith laqueus homines perdens, & genus retis, à perdendo quasi perditor: talis erat tunc huiusmodi mons propter idolum Astaroth ibi positum. Non defuerunt qui interpretarentur montem Maschith,mōtem Caluariæ, sic vocatum, quòd in eo perderentur homines facinorosi.

3 Porrò in sacris codicibus significat quoque oleum dictio hebraica יצהר Ishar,dicitúrque sic à puritate & limpiditate, quam lux meridiana designat nam צהרים Sahorim meridiem significat, siue lucem meridianam. Designat itaque dictio ista Ishar oleum recens mox vt calcatum est, à claritate, puritate,& limpiditate:nam generale nomen olei est שמן Semen,etiam quod ex oleis non fit: est enim in ratione olei Ishar id quod mustum, hoc est, תירוש Tiros in ratione vini, vnde & passim hæc duo iungi videas, vt 4. Reg.18.vers.32.& Deuter.28.vers.51.& Zachar.3. vers. 14. de Zorobabele filio Salatiel, & de Iesu filio Iosedich dicitur: *hi sunt duo filij olei* שהר Ishar, qui sacro vnctionis oleo vncti fuerunt:ille ad regnum,hic verò ad sacerdotiū. Hinc fit vt locus Iob 24.vers. 11. duplicem possit habere sensum: primus est, quem reddit D. Hieronymus in nostra vulgata: *Inter aceruos eorum meridiati sunt,qui calcatis torcularibus sitiunt*,vbi pro meridiati sunt, in hebraico est יצהרו Isharv, vbi D. Hieronymus format verbum Israhv à meridie, nempe שהרים Sahoraiim,nempe צהר Sahar meridiari, quod latinis propriè est cibum, aut somnium meridianum capere. Alter verò sensus est, quem Chaldæus Paraphrastes deprompsit:*Inter septa*,inquit,*sua exprimunt, oleum torcularia calcauerunt,& domini eorum sitierunt*, quia שור Sor, & aceruum, & murum siue septam significat, שהר Ishar verò oleum.

Vinea.

4 Vinea est multitudo vitium simul consitarum: excolenda diligenter est,vt fructum ferat optimum, & ab omnibus superfluis expurganda, & ne à bestiis lædatur, maceriis & sepibus circundari debet, in quo etiam custos præponitur,ne fructus diripiatur,quæ cùm hyeme valde palleat, in vere & æstate viret & floret, & in autumno fructum exhibet. Florentes autem vineæ veneno aduersantur: ideò serpentes, & alia pestifera animantia eo tempore fugiunt, cùm non possint eius fragrantiam sustinere, virore & amænitate vinea visum delectat, fragrantia afficit olfactum, suauitate saporis gustum reficit, leuitate foliorum tactum demulcet. Gaudet verò vinea sereno & puro aëre, oditque tempus nubilosum, eget terra calida & sicca, & mediocriter pingui,& dulci: si enim pinguior sit quàm oportet, vel admodum humida, luxuriat in ramos & in folia,& orbatur fructu:si autem terra fuerit arenosa & tenuis, citò deficiens arescit,quòd destituatur sufficienti fundamento & nutrimento. Idem ei accidit si terra sit amara & salsuginosa: facilè enim radix læditur humore illo noxio,eius substantiam subintrante; quare montes eminentes, & Solis calori expositi laudantur, & magis eliguntur ad vinearum situm & profectum:temperamento enim terræ, & Solis calore fiunt fructus dulces & suaues.

Hebræi autem vineam כרם Cerem appellant: vinea autem dicitur locus ille

ARBOR TORCVLARIS.

ille qui multas habet vites: neque enim vinea dici potest vitis vnica, aut locus vbi vna aut duæ vites sunt consitæ. Atque hoc est quod Noë dicitur vineam plantasse: nam ante illum erant quidem, qui vites plantarent, sed seiunctas à se inuicem more cæterarum arborum, ad vescendum earum fructu, non ad faciendum vinum: at primus Noë per seriem cœpit vites plantare, quod propriè CEREM, id est, vinea dicitur, vim exprimendi causa. Hinc fit vt aliquando CEREM non solùm pro multis vitibus per ordinem consitis, sed pro multis arboribus ordine quodam plantatis ad modum vitium: sic enim nonnulli exponunt locum illum Cantic. 1. vers. 14. *In vineis Engaddi*, בכרמי BECARMÆ, vt non de multis vitibus simul consitis, quas vineas propriè nominamus loquatur, sed de pluribus arbusculis seriatim consitis; vnde locum illum Iudic. 15. vers. 5. *in tantum vt vineas quoque, & olueta flamma consumeret*, aliqui sic ex hebraico vertunt, vt putent ibi dictionem hebraicam CEREM vineam oliuarum, id est, locum multarum oleatum ordine consitarum, vtrumque enim sensum significari verba hebraica patiuntur: hebraicè enim legimus ועד כרם זית VE AD CEREM ZAITH, ad verbum *& vsque ad vineam oleam*, sed iuxta D. Hieronymum, & nostram vulgatam, VAV præcedens habet vim duarum, ac si dicat: *& vsque ad vineam & oleam*, sicque vinea locum vitium designat. Alij sine repetitione VAV, legunt sicut est ad verbum, vsque ad vineam oleam, & intelligunt vineam, id est, locum multis consitum oleis ad instar vinearum.

Denique illud quoque notandum est, dictionem hebraicam בצר BASAR duas sortiri significationes: significat enim munire & etiam vindemiare: iuxta primum sensum transtulit D. Hieronymus Zachar. 11. vers. 2. *Vlula abies, quia cecidit Cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: vlulate quercus Basan, quia succisus est saltus munitionis*. Hunc etiam sensum sequutus est Chaldæus Paraphrastes, *quia enim*, inquit, *vastata est regio fortitudinis vestra*, quasi dicat, munitionis vestræ: iuxta significationem secundam vertunt alij: *quoniam succensus est saltus vindemiæ*, vt dicatur metaphoricè de Magnatibus Israël, quos syluæ comparat, eò quòd syluæ arbores magnæ sint & amplæ, & adiecit *vindemiæ*, quia diripienda erant eorum bona, & vindemianda: erant enim opibus & diuitiis referti sicut vinea vuis: quem sensum videntur sequi Septuaginta interpretes dum aiunt: *Quia succensus est locus consitus*, nempe arboribus varij generis fructibus cumulatis, sicut & Optimates diuitiis, & rerum temporalium copia. Quia verò vineæ propinquæ solent esse vrbi, hinc fit, vt Iob 24. vers. 18. via vinearum, viam habitabilem significet: *Maledicta*, inquit, *sit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum*: sensus est, maledicta pars impij, nec ambulet per viam habitabilem, quasi dicat: ambulet in desertis locis longè à semitis vinearum. Quidam in dictione hebraica כרמים CERAMIM putant כ CAPH esse literam seruilem, & exponunt CERAMIM sicut excelsi, vt sit sensus: *Nec ambulant sicut excelsi*, רם RAM excelsum significat & eleuatum. 5

VITIS.

Vitis à vino ferendo dicta est, vt placet Varroni lib. 4. de lingua latina, siue quòd inuitet ad spem perficiendarum vuarum, vt auctor est idem Varro libr. 6

1. de

ARBOR TORCVLARIS.

1. de re rustica cap. 13. aut ideò vitis dicitur, quòd vim habeat citius radicandi, vel etiam quòd vim habeant vites, vt inuicem se innectant, vicinisque arboribus vinciantur & religentur: est enim earum natura flexibilis, & quasi brachiis quibusdam quidquid comprehendunt, tenent, & constringunt. Tempore congruo præscindendæ sunt, vt dicit Plinius lib. 17. cap. 22. quæ, si vt expedit præscindantur, vires recipiunt, & materiam adsciscunt, ex qua flores & fructus in posterum prodeant, alioqui infœcundæ & steriles redduntur. Cauendum autem ne vites noxio rore vel imbre quando flores emittunt perfundantur, néve nouella germina pruina aut frigore comburantur & etiam ne radices ab imperitis cultoribus aut terræ fossoribus vulnere aliquo iniuriosè lædantur. Apud priscos autem vites inter magnas arbores numerantur teste Plinio: aliquibus enim in locis sunt vites ita proceræ, vt ex earum truncis statuæ fiant & columnæ, vt constat ex simulachro Iouis in vrbe Populania. Super tectum etiam templi Ephesinæ Dianæ vna vite antiquitùs scandebatur, columnæ quoque ex huiusmodi vitibus factæ diutissimè permanent incorruptæ. Folia vitis sunt lata, interiùs plana viridia, & mollia: exteriùs autem valliculata, & villosa in extremitate lateribus intercisa & acuta, admodum adumbrantia, quorum vmbra æstuantibus, & quiescere cupientibus est iucunda. Teste etiam Plinio lib. 24. cap. 1. vitis folia dolores capitis amputant, inflammationes sedant, dissentericos valde iuuant, si eorum succum bibant. Dictio autem generalis in sacris literis hebraicè vitem significans est גפן GIPHEN, quæ verò optima & electa est, dicitur שרק SORECH cuius fit mentio Isaiæ 5. vers. 2. *Plantauit*, inquit, *vineam electam, & ædificauit turrim in medio eius*, ad verbum plantauit vitem electam, id est, vineam ex vitibus שרק SORECH electissimis & optimis: sic etiam Ierem. 2. vers. 21. *Ego plantaui vineam electam.* Quidam recentiorum שרק SOREK *surculum* transferunt, vt respondeat latinæ voci, sed id faciunt sine auctoritate. Est & שרק SOREK vallis nomen in Palestina Iudic. 16 vers. 4. vbi Samson amauit Dalilam, desumptum à vineis laudatissimis quas habuit.

Caput VIII. DE SVBST. ARBOREA RESINAM SVDANTE.

QVoniam variæ sunt arbores in sacris literis, quæ resinam sudare solent, de his quoque sermo noster sacer in hoc 8. capite, ad studiosorum sacræ scripturæ vtilitatem instituendus est.

PINVS.

1 Pinus arbor est picei generis, nuces ferens omnium maximas, quas latini pineas græci κῶνος vocant: fructus, siue nuces passim obuia sunt, & nucleus in alimenti ac medicamenti vsum omni nationi venit. Itaque pinus arbor est procera, & recta, leuis, porosa, est etiam fortissima, quòd nodosa sit: ex ea ad naues mali fiunt præstantissimi, & ligna ad ædificia accomodatissima, quæ facilè incenduntur & inflammantur ob pinguedinem & resinam quam desudant: eius cortex durus est extrinsecùs, & rugosus interiùs, humorem pinguẽ, & viscosum retinens, qui in æstate calore Solis attractus, exteriùs conuertitur in

tur in reſinam, primò ſubalbidam, ſed quæ poſtea per Solis decoctionem fit nigra. Eſt autem arbor odorifera, prædita foliis multis, ſed gracilibus & acutis: viridis eſt tam hieme quàm æſtate, & cùm pinguedine abundat, maximè in locis creſcit montuoſis admodum aridis & petroſis; vt autem diu duret, ſolet cortice ſpoliari, & nudari: nam intra corticem gignuntur vermes, prodeunte foras reſina propter ſiccitatem quæ ſuccedit, qui lignum corrodunt. Pinea verò fructus eſt pini, qui iuxta ſtipitem rotundus eſt, in pyramidem tendens, oblongus & acutus, eſtque nux magna multa continens intra ſe grana, in teſtis duriſſimis incluſa, & ordine quodam ſibi inuicem connexa, & ne ſe inuicem contingant teſtarum ſuarum folliculis, quaſi quibuſdam parietibus, miro naturæ artificio diſtincta; ſunt autem hæc grana ſic diſpoſita, vt maiora maiorem & latiorem partem nucis occupent, & minora minorem teneant ordinatiſſimè.

Vocatur autem pinus voce hebraica ארן Oren: id enim ſignificare hanc 2
dictionem teſtatur D. Hieronymus Iſaiæ 44. verſ. 14. dum ſic transfert verba hebraica: *Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ ſteterunt inter ligna ſaltus: plantauit pinum quam pluuia nutriuit.* Eandem ſignificationem huic dictioni tribuũt cum Hieronymo Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphraſtes, quorum auctoritas maior eſt, quàm eorum, qui cedrum, aut abietem interpretantur. Aliqui putant ארן Oren eſſe arborem quam latini Ornum vocant, vt nomen hebraicum latino reſpondeat. Eſt autem ornus arbor procera, caudice tereti, leui cortice, quam Columela lib. de arboribus cap. 16. ſylueſtrem fraxinum eſſe dicit, vulgò *Freſno o roble.* Viſum quibuſdam eſt, pinum quoque ſignificatum eſſe Iſaiæ 41. verſ. 19. verbis hebraicis עץ ה שמן Es ha semen, quaſi per circumloquium lignum pinguedinis ſignificet pinum, quòd reſinam multam, & pinguedinem emittat: quia שמן Semen non ſolùm oleum, ſed pinguedinem ſignificat. Eſſe autem arborem pinguedinis diuerſam ab olea probant ex 2. Eſdræ 7. verſ. 15. vbi זית Zaith oliua, עצשמן Essemen quæ ibi vertitur lignum pulcherrimum, & ad verbum ſignificat lignum pinguedinis, tanquàm diuerſæ arbores memorentur: ſic enim habet noſter interpres: *Offerte frondes oliuæ, & frondes ligni pulcherrimi, & frondes myrthi*, vbi pro ligno pulcherrimo eſt עץ שמן Es semen lignum pinguedinis. Pinus autem arbor pulcherrima eſſe videtur: ſanè ſecundùm hanc rationem lignum pinguedinis, etiam Therebinthum, & quamcunque aliam arborem reſina ſudantem poteſt ſignificare; quare potius dicendum eſt loco citato apud Iſaiam oleam ſignificare cùm Semen oleum & pinguedinem deſignet, quare ibi *oleam* trãſtulit D. Hieronymus: *Dabo*, inquit, *in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrthum, & lignum olei*: eſt enim olea lignum olei & pinguedinis. Quem ſenſum non ſolùm ſunt ſecuti Septuaginta, ſed etiam Chaldæus Paraphraſtes.

ABIES.

Abies arbor eſt altiſſima rectiſſimáque, cuius pars inferior enodis Sapinus 3
vocatur, ſuperior verò nodoſa duriórque Suſterna, vt Plinius ſcribit libr. 16. cap. 33. Eſt hæc arbor expers terreni humoris, & ideò leuis, & miræ rectitudinis, vnde variis ſtructuris ædificiorum eſt valde accomoda ta, nauium etiam

Ii conſtru

ARBOR RESINOSA.

constructioni D.Hierónymus,& Chaldæus Paraphrastes Isaiæ 41.verſ.19. dictionem hebraicam ברוש Beros, *abietem*, interpretati sunt. Esse autem Beros abietem,inde colligi posse videtur,quòd ex hac arbore tela,& instrumẽta musica fiebant, ad quæ materiam idoneam exhibent abietes; vnde 2.Reg. 6.verſ.5.habes: *Dauid autem & omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & cytharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis*: nam pro lignis fabrefactis עצי ברוש Ese beros, quod vertit Chaldæus Paraphrastes ברצין Berasin *abiegnis*, verisimile etiam est D. Hieronymum ideò abietes vocasse ligna fabrefacta, quòd sint ligna idonea ad huiusmodi instrumentorum fabricam, vnde transtulit locum citatum Isaiæ, *Et ponam in desertum abietem, vlmum, & buxum simul.*

TEBERINTHVS.

4 Theberinthus arbor est circa Idam,Macedoniamque, breuis,fructuosa,& contorta, à græcis τερμίνθος dicta:in Syria verò magna & copiosa, lauri penè folio, oleæ flore, sed puniceo, baccis primùm herbaceis, mox rubris, & cùm maturuerint nigrescentibus, magnitudine fabæ resinosis & sulphurosis, radice valida in profundum acta. Duo Terebinthi sunt genera sexu distincta, ex quibus mas sterilis teste Theophrasto, ex hac arbore distillat laudatissimum resinæ genus,quam terebinthum latini vocant. In arborum differentia est terebinthina odoratissima atque leuissima, Nationum Cypria atque Syriaca, vtraque mellis attici colore,sed Cypria carnosior,ficciorque. Est autem terebinthina adeò pellucida, vt fundum poculi in quo asseruatur conspici queat. Medetur hæc vulneribus,ac dolores mitigat, intus verò humorum collectionem discutit.ac calculos atterit, meatúsque vrinarios peruios præstat. Fit autem terebinthi mentio Gen.43.verſ,11.*Sumite*, inquit, *de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ & mellis, & storactis, & stactis, & terebinthi, & amigdalarum*: vbi dictionem hebraicam בטנים Batenim tam Hierónymus,quàm Septuaginta, & Chaldæus transferunt, *terebinthi*, vbi terebinthus fructum videtur significare, nempe resinam,quæ vulgò trementina vocatur, & ad medicinæ vsum vtilissima est. Sunt qui hoc loco vocem hebraicam pineas interpretantur fructum pini arboris, qui vulgò pinnones dicuntur. Non desunt qui dactylos exponant, quòd vteri similitudinem habeant, in quo fructus continetur:nam בטן Beten est venter, hinc בטנים Batenim sunt etiam qui fructum significare putent, qui Arabicè dicitur פסתאקי Pastake, vulgò *Pistaches*, alij corylos, siue auellanas significare arbitrantur: putant enim cum amygdalis fuisse nuces auellanas:nam & Germani Botin auellanas appellant, quæ vox ab hebraica non abludit:sicque aiũt habere Targum Hierosolymitanum. Sane dictio ista obscura est, vnde variè interpretatur:sed cum maior sit auctoritas Chaldæi Paraphrastis, Ionathæ, & Septuaginta interpretum,atque Hieronymi, non est dubitandum magis idoneum esse sensum,quo terebinthi fructus,siue terebinthina significatur.

Caput

Caput IX. DE SVBST. ARBOREA SYLVESTRI.

SVnt & aliæ arbores in ſacris literis, quæ in montibus & ſyluis vt plurimum produci ſolent quarum etiam cognitio vtilis quoque erit his qui paſſim volumina ſacra euoluunt, de quibus hoc nono capite agemus.

CEDRVS.

Cedrus arbor eſt perpetuò virens, Iunipero non abſimilis, radicibus raris per ſumma terræ diſperſis, folio duro, acuto, mucrone capillato & ſpinoſo, ligno contorto, nodoſo, medulla rubente odorata, baccis myrthi flauis odoratis, & eſculentis, nouo fructu per Autumnum pendente. Laudatiſſima in Creta naſcitur, item in Aphrica, & in Syriæ montibus, Cedro æterna materies, cariem non ſentiens, vnde claſſibus, & domorum tectis ædificandis imprimis eſt idonea. Hinc prouerbialiter digna cedro dicuntur, quæ promerentur immortalitatem, & eiuſmodi iudicantur, vt poſteritati conſecrari debeãt. Plinius duo cedri facit genera lib. 13. cap. 5. maioris & minoris diſcrimine: minorem rurſus in duas ſecans ſpecies, quas Lyciam appellat & Phœniciam, vtramque Iuniperi ſimilitudine, ſed foliis differentem: nam quæ acutum ſpinoſum, & durum habet folium, oxicedrus nominatur: altera odore præſtat. Maioris item cedri duo facit genera: nam quæ floret fructum non fert, fructifera non floret, ſed in ea antecedentem nouus occupat cedrus. In Cypro maxima naſci traditur, centum triginta pedum longitudine, craſſitudine autem ad quintum hominum complexum. 1

Gummi ſiue lacryma cedri ad conſeruationem librorum ſummè cenſetur neceſſaria: libri enim hac lacryma liniti, nec à tineis corroduntur, nec tempore ſeneſcunt. Habet autem vim vrendi & ſiccandi, quare teſte Dioſcoride, caliginem oculorum detergit, vermes aurium occidit, contra dolores dentium ſubuenit, vulnera pulmonis curat, molles carnes à putredine ſeruat, & cadauera à tabe præſeruat: poſita in ligno cedrino, ſi fuerit ea linitum, profert fructus ſuaues. Sunt autem poma cedrina magna, oblonga, criniti, ſiue glauci coloris, eximij odoris, & ſaporis gratiſſimi. Significat autem in ſacris literis cedrum dictio hebraica ארז EREZ. Volunt aliqui hanc vocem deduci à רזה RAZA, quod eſt attenuare, marceſcere, à gracilitate & proceritate; vnde D. Hieronymus Iſaiæ 41. verſ. 19. vbi legimus: *Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrthum*, dictionem ארז EREZ *cedrum*, exponit: שטה SITA verò *ſpinam* interpretatur D. Hieronymus, Septuaginta *buxum*, Chaldæus verò Paraphraſtes, *ſetim*, Theodotiõ verò cum D. Hieronymo, *ſpinam*, vertit, id eſt arborem in Eremo naſcentem ſpinæ albæ ſimilem, vt idem teſtatur Hieronymus, cuius lignum eſt imputribile, & omnium lignorum leuiſſimum, robore, ſoliditate, nitore, & pulchritudine cætera facilè ſuperans; vnde & arca fœderis, & Tabernaculum, & omnia eius vaſa ex hoc ligno fuerunt facta magna ex parte, quæ ſcilicet fuere lignea. Noſter interpres Exodi 25. verſ. 4. *ſetim* eam vocat, ſicut & Chaldæus Paraphraſtes. Quidam volunt ſetim eſſe quandam Cedri ſpeciem optimam & electam, nõn dubium eſt eſſe genus ligni leuiſſimi, & putribilis. 2

ARBOR SYLVESTRIS.

3 Est autem notanda dictio illa hebraica ארזה Arza quæ habetur Sophoniæ 2.vers. 14. vbi legimus: *Quoniam vox cantantis in fenestra coruus in superliminari quoniam attenuabo robur eius*, quæ quia obscura est & ambigua, duplicem patitur sensum. Noster interpres pro ea posuit *attenuabo*, deducens eam à רזה Raza, quod est attenuare, macrescere. Alij ארזה Arza cedrum interpretantur, vt sit sensus: *quoniam cedri robur eius*. Hunc sensum secuti sunt Septuaginta interpretes, qui transferunt: *& cedrus coronatio eius, siue altitudo eius*, Chaldæus Paraphrastes exponit: *tabulatum destruxerunt*, nempe tabulatum ex cedro factum. Alij: *Cedrum nudauerunt, siue domum tectam cedro, aut contignationem domorum è cedro factam* quasi cedratum dicas: significat enim עור Or nudare, & ארש Eres cedrum: sed Hieronymus cùm transfert *attenuabo*, א facit literam seruilem.

4 Porrò Libanus mons adeò fuit Cedrorum ferax, vt Septuaginta interpretes verba hebraica, quæ ad verbum indigenam virentem significant, *cedrum Libani* transtulerint psal. 36. vers. 35. cùm legimus: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani*, significat enim אזרח Esrach indigenam à זרח Razach oriri, quasi inde genitus & ortus: opponitur enim aduenæ, qui hebraicè dicitur גר Ger, quare Hieronymus *indigenam* transfert: *Vidi*, inquit, *impium superexaltatum, & eleuatum sicut indigenam virentem*, vbi Hieronymus per indigenam virentem, cedrum Libani intelligit: sunt enim cedri indigenæ virentes, id est, arbores, quæ ortæ sunt & virent in Libano: Hinc Chaldæus Paraphrastes transtulit: *Sicut indigenam frondescentem*: nam dictio hebraica רענן Raanan rem viridem & frondescentem significat, qualis erat Libanus. Porrò Chaldæus Paraphrastes Gen. 6. vers. 14. arcam putauit factam de lignis cedri: sic enim vocem hebraicam גפר Gopher interpretatur: *Fac*, inquit, *tibi arcam de lignis leuigatis*, in hebraico de lignis גפר Gopher: Est autem lignum Gopher leue & idoneum vt super aquas aptè feratur. Alij verò sicut noster interpres lignum putant esse leuigatum, planum scilicet, & politum, nec cuius generis sit exprimunt. Sunt etiam qui putent esse pinum non abludente nomine germanico. Dicitur enim ab illis pinus Kufer, siue Kypher, quæ vox affinis est nomini hebraico גפר Gopher: Septuaginta; *è lignis*, τετραγώνων, id est, *quadratis*, transtulerunt. Hieronymus in hebraicis quæstionibus: *pro quadratis in hebræo*, inquit, *habetur bituminatis*: est enim כפר Copher bitumen: legit enim D. Hieronymus eo loco Copher pro Gopher. Dicendum itaque est גפר Gopher arborem fuisse, cuius ligna ob leuitatem ad faciendas naues apta sunt, nonnulli, *piceam*, sunt interpretati.

VLMVS.

5 Vlmus arbor est propter raritatem foliorum, maritandis vitibus maximè idonea, in locis humidis magis proficit, quàm in asperis, & montuosis, radices in terram diffundit, & ad nutrimentum ramorum, & frondium humorem sugit de profundis terræ visceribus; emittit ramos varios, multiplices, & nodosos, foliorum densitate vmbram emittens gratam, feruescente solis calore flores profert subalbidos & odoriferos, quos frequentāt apes, ex eis dulcedinem mellis sibi comparantes. Est arbor sterilis: grana enim quæ profert sunt inutilia.

inutilia. Constat cortice duro & rugoso, lignum tamen molle interius est & leuissimum, ad scalpendum admodum idoneum & aptum. Significat autem vlmum vox hebraica תדהר Tidhar, vox est obscura Isai.41. vers.19. *vlmum*, vertit D.Hieronymus: *Ponam*, inquit, *in deserto abietem vlmum & buxum simul:* Chaldæus Paraphrastes, *vlmum*, quoque interpretatur: דהר Dahar est calcare terram vehementi deambulatione, secundùm alios est fremere, & a fremitu quem edit, dictam putant arborem תדהר Thidhar, & ideò speciem quandam cedri interpretantur. Hinc etiam D.Hieronymus, *vlmum*, ob fremitum, & strepitum hanc dictionem transtulit. Alij sic dictam à resina volunt, quæ splendida est, & lucet quasi תזהר Tizhar: est enim זהר Zahar splendere, permutatione ד, in ז, quare interpretantur nonnulli *pinum, aut piceam*: alij verò, *fagum*.

ILEX.

Ilex arbor est glandifera, magnitudine roboris, folio aculeato, leui cortice, cuius duas ponit species Plinius lib.16. cap.6. *Genero de enzina*, *ò coxcoja*, inter arbores glandiferas hæc præstantior censetur: eius enim fructu ad cibum homines vsi sunt, antequàm frumenti esset vsus; eius truncus sub aquis depressus in profundum quasi in lapidis soliditatem conuertitur, & quantò largioribus sæculis in huiusmodi locis humidis defigitur, tantò magis induratur; Quare huiusmodi ligna Deorum templis, & regiis ædificiorum structuris erant idonea, ideóque propter indissolubilem huius ligni naturam, ex eo Deorum simulachra sæpe sculpebantur, teste Plinio. Sunt & aliæ arbóres glandiferæ, vt Robur, siue Robor, quæ species est arboris glandiferæ durissimæ, vnde per translationem sumitur pro animi fortitudine. Demùm omnium rerum firmitatem duritiámque robur dicimus. Similiter, & Fagus glandes prófert, & dicta ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, id est, comedendo, quòd ante inuentas, fruges (vt fabulantur Poëtæ) homines eius glandibus solerent victitare. Suber etiam arbor est glandifera, corticem habens præcrassum, cui inniti solent, qui natare discunt: vulgò *el Alcornoque*, de qua Plinius lib.16. cap.8. Isai.44.vers.14. Tam D.Hieronymus, quàm Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes dictionem hebraicam תרזה Thizra *Ilicem* interpretati sunt. Sunt qui hanc dictionem reuocent ad רזה Raza attenuare, putantes esse cedrum, à tenuitate, quòd licet procera sit, tamen gracilis, non frondosa, nec resina pinguis. 6

QVERCVS.

Quercus arbor est lignum habens durissimum, glandémque ferens præstantissimam, quæ ante inuentas fruges populis plerisque victum dicitur suppeditasse, teste Festo. Quercus est genus arboris graue ac durum, tum etiam in ingentem euadat amplitudinem. Est arbor diu durans, parum aut nihil medullæ habens, forti radice & tortuosa, multum se in terram diffundens, teste Isidoro. Porrò quercus à quærendo dicitur, quòd in eo solerent dij gentium responsa dare, vel ideò quia in ea antiqui solerent glandes quærere ad edendum. Crescunt autem glandes inter folia, nullo præcedente flore: sunt autem rotundæ exterius & longæ, aliquantulum sublucidæ instar vnguis, frigidæ & siccæ, ac ideò difficilis digestionis. Significatur autem quercus dictione hebraica אלון 7

ARBOR SYLVESTRIS.

ALON, quam dictionem Isaiæ 2. vers.13. *quercum*, vertunt, tam Hieronymus, quàm Septuaginta interpretes; & Chaldæus Paraphrastes verò *Principes Prouinciarum*, vertit: Nam hos per quercus scriptura significat. Hanc eandem hebraicam vocem, *quercum*, transfert D. Hieronymus Osææ 4. vers.13. Ezech.27. vers. 6. Amos etiam 2. vers. 9. Non desunt qui, *castaneam*, interpretentur, alij *pinum*: Chaldæus Paraphrastes בלוט BELOT interpretatur, sed hæc vox quercum etiam significat: Arabicè quidem שק אלוט SAC BELOT castaneam designat, quæ etiam inter quercus numeratur. Itaque volunt אלון ALON vtramque arborem complecti, & quercum, & castaneam. Quia verò castanea videtur esse quasi rex quercuum, ideò κατ᾽ ἐξοχὴν, siue per excellentiam dicunt אלון ALON designare quercum, castaneam; vnde אלונים ALVNIM, quod *conuallem* reddit Hieronymus, Genes.18. interpretantur, *planities quercubus, siue castaneis consitas, siue quercetum.*

BVXVS.

8 Buxus est arbor exigua, semper virens & tonsilis; producit ex se viscum & semen, seu granum, quod cartegon dicunt, omnibus animalibus inuisum; lignum habet adeò durum, vt cariem non sentiat, & tam ponderosum, vt in aqua subsidat. Ex buxo fiunt tibiæ multiforabiles, & pectines ad capillos explicandos, & pyxides ad vsus plurimos, manubria, trochi. Non desunt qui huiusmodi arboris scabem ramenta lima attrita morbidis corporibus exhibeant, & luem veneream, siue morbum Gallicum iis expugnare, eáque pari effectu censeant cum ebeno seu guaiaco, aut ligno indico. Huius fit mentio Isaiæ 41. vers.19. *Ponam*, inquit, *in deserto abietem, vlmum, & buxum simul*, vbi dictionem תאשור TIASVR, *buxum*, reddit. D. Hieronymus, & etiam Chaldæus Paraphrastes. Sunt qui putent sic dictam buxum à proceritate, & erecta statura, & ideò cedrum interpretantur: est enim אשר ISSER dirigere rectificare.

HEBENVS.

9 Hebenus arbor est cuius lignum nigerrimi est coloris, adeò ponderosum, vt etiam in tenuissimas laminas dissectum in aqua demergatur, nec fluitet. Creditur tenuis esse substantiæ, & abstergentis virtutis, vnde oculorum caliginem discutere creditur, & aliis oculorum medicamentis miscetur. Hæc arbor nascitur in India, & cæsa durescit in lapidem, constátque odore iucundo. Est & alia species quæ dicitur Ætyopica, cuius lignum expolitum elegantem exhibet nitorem, adeò lapidosa duritie, vt contrectatum non satis discerni possit an in lignum, aut saxum, an etiam in durissimum cornu referri debeat. Arboris verò hebeni fit mentio Ezech.27. vers.15. *Filij*, inquit, *Dedan negociatores tui: insula multæ, negociatio manus tuæ, dentes eburneos, & hebeninos mutauerunt in pretio tuo*, hebraica dictio הבנים HOBNIM, id est, hebeninos, quadrat cum Latina hebeno. Pagninus & alij, *pauones*, interpretantur, quem sensum sequutus est Chaldæus Paraphrastes: Nam sicut ex osse, & dentibus Elephantis fiebant opera artificiosa, sic ex ossibus pauonum: sanè lignum significari hebenum, vt vertit D. Hieronymus, inde est verisimile, quòd lapidis duritiem, & speciem retinet: Nam אבן EBEN lapis dicitur.

ARBOR SYLVESTRIS.

IVNIPERVS.

Iuniperus arbuſcula eſt, quæ in locis arenoſis frequens naſcitur, pro foliis ſpinas habens, perpetuò virentes: materiam habet cariei non obnoxiam. Dicta eſt iuniperus à πῦρ igne, eo quòd ad modum pyramidis ab amplo in anguſtum finitur, vel quia conceptum diutius ignem conſeruet: ſi enim prunæ eius cinere fuerint opertæ, per annum integrum non extinguuntur. Fructus eius ſunt parua grana rotunda, quæ cùm primò ſint viridia, deinde fiunt quaſi purpurea, vel quaſi ſubrubea quando ad maturitatem peruenerunt, Plinio teſte, in locis creſcit ſaxoſis & deſertis: eius vmbram fugiunt ſerpentes, & ideò fructus creditur contra venena conferre. Huius arboris fit mentio 3. Reg. 19. verſ. 5. *Proiecit*, inquit, *ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi*, vbi dictionem hebraicam רתם ROTEM D. Hieronymus, *iuniperum*, interpretatur. Septuaginta non explicant ſub qua arbore dormierit, ſed in genere reddunt: *& obdormiuit ſub planta*. Chaldæus Paraphraſtes, *geneſtam*, interpretatur: *obdormiuit*, inquit, *ſub geneſta vna*, cuius ſententiæ videtur patrocinari, quòd geneſta dicitur hiſpanicè *retama*, fortè voce deriuata ab hebraica dictione רתם ROTEM, dum Iudæi inhabitarent Hiſpaniam, qui Chaldæum Paraphraſtem ſecuti, putauerunt ROTEM ſignificare geneſtam, ſiue retamam: ſed ſtandum eſt potius Hieronymi interpretationi, qui Pſal. 119. verſ. 3. & 4. quod Septuaginta vertunt: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam doloſam, ſagitta potentis acuta cum carbonibus deſolatoriis*, Hieronymus transfert: *cum carbonibus iuniperorum*, in hebraico רתמים RETAMIM.

10

POPVLVS.

Populus arbor eſt caudice procero & erecto, cortice leui, foliis dum tenera eſt circinatæ rotunditatis, quæ in ſenectute anguloſa euadunt ſine flore. Duo eius ſunt genera: alba quam Græci λευκὴν dicunt, folio numeroſiore & tremulo, vuáſque ferens, quas *brija* dicunt, vnguentis expetitas: Et nigra Græcis αἴγειρος dicta, leuior quidem & procerior, ſed fronde rariore. Vtraque locis aquoſis gaudet & paluſtribus, vulgò *Alamo*. Huius fit mentio Gen. 30. verſ. 37. *Tollens*, inquit, *Iacob virgas populeas virides*, vbi tam Hieronymus, quam Chaldæus Paraphraſtes dictionem hebraicam לבני LIBNE, *populeas*, interpretantur: eſt autem לבנה LIBNE populus arbor ſic appellata, quòd detracto cortice admodum ſit alba: Hinc illud Virgilianum, 11

Hic candida populus antro imminet:

eſt enim הלבין HILBIN albeſcere, album fieri. Septuaginta interpretes *ῥαβδοὺς ϛυρακίνας*, *virgas ſtyracinas*, interpretati ſunt, *Tollens Iacob virgam ſtyracinam viridem:* eſt autem ſtyrax arbor coroneæ malo ſimilis, fructu maiore, quàm auellana, ſpecie candidi pruni, ex qua manat liquor eiuſdem nominis, coloris flaui, ſordidus, reſinoſus, albicantibus fragmentis odoris perſeuerantis, teſte Plinio libro 12. cap. 17. Hæc arbor in Syria abundat ob candorem, itaque Septuaginta, *ſtyracem*, interpretati ſunt, quemadmodum Hieronymus, *populum*.

PLATANVS.

Platanus arbor eſt externa atque aduentitia, vmbrarum gratia ex Aſia in 12
Euro

ARBOR SYLVESTRIS.

Europam aducta, ἀπὸ τοῦ πλάτους, hoc est, à latitudine nomen sortita, de qua Plinius lib. 12. cap. 1. *Quis non iure miretur arborem vmbræ gratia, tantùm ex alieno petitam orbe? Platanus hæc est per mare Ionium in Diomedis insulam eiusdem tumuli gratia, primum inuecta. Inde in Siciliam transgressa, atque inter primas donata Italiæ, & iam ad Morinos vsque prouecta, ad tributarium etiam pertinens solum, vt gentes vectigal, & pro vmbra pendant.* hæc ille. Diffundit autem hæc arbor latissimè ramos, cortice crasso folio vitis, aut Racemi, hoc est, eius stirpis quæ vulgò palma Christi dicitur, ob folia in expansæ manus effigiem articulata, Catapotiæ maioris etiam nomine cognita. Verùm Platano quam huic folia paulò minora sunt, longo pediculo quo folium, aut fructus dependet, rubicundo flosculo paruo ac pallido baccis rotundis, atque orbicularis, scabris ac lanuginosis. Est præterea Platanus ea vi imbuta, vt venenata quæque arceat, ac serpentes longè abigat, adeò vt vespertilionibus hæc arbor aduersetur, nec facilè sub ea nidulentur, eiúsque vmbram non sustineant. Huius arboris mentio fit apud Ezechielem cap. 31. vers. 8. *Cedri*, inquit, *non fuerunt altiores illo in Paradiso Dei, abietes non adæquauerunt summitatem eius, & Platani non fuerunt æqua frondibus illius*, vbi dictionem hebraicam ערמון ARMON, D. Hieronymus transfert *Platanum*: idem facit Genes. 30. vers. 37. Alij, *castaneam*, transferunt, & sic dictam putant à densa, & cumulata figura, sed pręstat esse Platanum quæ frondosa est, cui rei consonant Ezechielis verba.

Cap. X. DE SVBST. PARTIALI PLANTARVM.

HActenus de herbis, arbustis, & arboribus, earúmque integra substantia actum est. Quia verò huiusmodi plantæ variis constant partibus, quarum etiam fit mentio in sacris literis, de his etiam pauca dicemus.

RADIX.

1 Radix est ima pars plantæ, qua attrahit alimentum, ῥίζα à Græcis dicta: quidam putauerunt à radio dici, quòd quasi quibusdã radiis fixa terræ in profundum demergatur: Alij à radendo, quòd repullulet si eradatur. Est itaque radix principium herbarum atque arborum, mollis tamen, porosa, & tortuosa: est quidem mollis, vt facilius possit humiditatem attractam sibi conglutinare: porosa verò, vt commodè, & copiosè possit humorem transmittere ad foliorum, florum, fructuúmque alimentum: flexuosa verò est, vt fortiùs adhæreat, & figatur terræ. Sunt autem salubriores radices quæ producuntur in terra temperatè sicca si nutriantur aqua cœlestis pluuiæ: Nam si in loco molli, & palustri fiant, ex putridæ aquæ participatione insalubres sunt & noxiæ. Hoc autem omni radici est commune, vt lateat sub terra, suam tamen vim, & efficaciam in fronde, flore, & fructu manifestat. Mollis autem cùm sit radix suapte natura, vi tamen, & innati caloris subtilitate durissima saxa penetrat, & in eorum partes intimas se diffundit, tempore verò hyemis calorem fugientem aëris. Frigiditatem in se recipiit, quo iuuatur ad totius plantæ incolumitatem & defensioné, quo etiam tempore ramorum humorem ad se trahit & seruat, vt tempore verno possit copiosè, & abundè frondes, & flores, fructúsque parturire:

turire: Hinc fit, vt herbæ quæ hyeme aridæ sunt, & videntur iam interiisse, in vere humore è radice euaporante reuiuiscere videantur. Radicis verò præstantia, aut peruersitas ad ramos deriuatur, & apparet frequenter in flore, & fructu vitium, quod in radice latet. Sæpe etiam contingit, vt eius amaritudo humoris qui est in radice beneficio aëris, & caloris cœlestis depuretur ac dirigatur, qui ad ramos transmissus, fit dulcis; quare frequenter contingit, vt radix amara fructum depromat dulcem, vt constat in radice vitis, & oliuæ.

Vocatur autem radix voce hebraica שרש Sores, & propriè est arboris, vel herbæ, sed metaphoricè ad fundamenta, & res alias imas, vt & in aliis linguis transfertur. Quidam ad שרר Sarar hanc dictionem reducunt; vnde שר Sor, id est. vmbilicus, quasi radix sit, nodus seu vmbilicus arboris. Sumitur autem metaphoricè Deuteron. 28. vers. 18. *Et sit,* inquit, *inter vos radix germinans fel, & amaritudinem,* vbi שרש Sores, *radicem,* vertit Hieronymus. Itaque sensus est, & sit inter vos radix, id est, vir germinans fel, vnde Chaldæus Paraphrastes: *Ne forte*, inquit, *sit in vobis cogitans peccata*, *aut superbiam:* sic Iob 5. vers. 3. *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim,* vbi dicitur משריש Masris radicans, ad verbum, *vidi stultum radicantem,* id est, ponentem radicem, & roborantem se in opere prauo. Sic quoque stirps metaphoricè sumitur Leuitici 25. vers. 47. *Si inualuerit*, inquit, *apud vos manus aduenæ atque peregrini, atque attenuatus frater tuus vendiderit se ei, aut cuiquam de stirpe eius*, in hebraico est ad verbum, *radici familiæ eius*, id est, primogenito familiæ illius peregrini. Significat עקר Eker radicem: est autem hæc dictio magis Chaldaica quàm hebraica, quam habes Daniel. 4. vers. 12. *Verumtamen*, inquit, *germen radicum eius in terra sinite*, vbi hanc vocem D. Hieronymus, *germen*, interpretatur. Quidam quia עקר Akar significat euellere, eradicare, putant Leuitic. 25. עקר Eker eradicatum significare, vt sit sensus si vendiderit se ei eradicatus omninò, vt idolo seruiat, id est, vt ab omnibus negotiis eradicatus, & absolutus seruus eius factus possit suo idolo inseruire, ad cædenda ligna, & hauriendam aquam.

Est porrò & illud notandum גזע Geza propriè significare truncum, cuius radix in terra manet coniunctus radici, ea sub terra manente, excisis, siue trũcatis ramis, ex quo virgæ nasci solent: Hinc fit, vt hæc dictio vtrumque significet, & truncum & radicem; Quare D. Hieronymus Isai. 11. vers. 1. vbi legimus: *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*, dictionem hebraicam גזע Geza, *radicem*, interpretatus est: Septuaginta quoque, *radicem*, transtulerunt. Quidam tamen Græcorum interpretum verterunt, *stipitem*, *κορμὸν*, id est, caudicem, truncum, nec mirum; nam idem Hieronymus Iob 14. vers. 8. vbi legimus: *Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius*, truncum posuit pro voce hebraica גזע Geza. Idem fecit Isai. 40. vers. 24. propria enim vox, qua hebraicè radix significatur, est שרש Sores, quæ in eodem versiculo ponitur loco citato Isai. 11. cùm legimus: *flos de radice eius ascendet*. Non desunt qui loco citato גזע Geza, *semen*, interpretantur, vt sit sensus: *egredietur virga de semine Iesse*. Hunc sensum videtur sequi Chal- 3

PARTES PLANTARVM.

dæus Paraphrastes, exponens: *Et egredietur Rex de filiis Iesse:* Nam filij sunt quasi semen parentum.

R A M V S.

4 Ramus est plantarum, & arborum veluti brachium, quod à caudice fusum, & in latitudinem sparsum frondes emittit; vocatur à Græcis κλάδος, & κλών. Columella lib. 4. cap. 10. notat in arbore truncum esse superpositum, veluti quandam staturam corporis, mox ramos diffusos quasi brachia. Vocatur autem ramus hebraicè סעיף Saiph, & transfertur aliquando ad significandam cogitationem, quæ sic se habet ad cor, sicut ramus ad arborem. Appellatur etiam ramus אמיר Amir, vt constat Isai. 17. vers. 6. *Relinquetur*, inquit, *in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum, vel trium oliuarum in summitate rami:* sic autem ramus vocatur ab אמר Amar loqui, quòd sicut è corde sermo sic è radice rami nascantur. Sumitur autem metaphoricè vox hebraica סעיף Saiph ramum significans 3. Reg. 18. vers. 21. *Accedens* inquit, *Elias ad omnem populum Israël, ait vsquequò claudicatis in duas partes*, in hebraico est ad verbum, *in duos ramos*, & sensus est, *in duas cogitationes*, quod aliis verbis noster interpres dixit: *in duas partes.* Quò quidem putant Paulum allusisse 2. Corint. 6. vbi de Christi, & Belial collatione agit pro Domino Christum, & pro Baal per allusionem ponens Belial: *Quæ enim*, inquit, *participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci ad tenebras, quæ autem conuentio Christi ad Belial, quæ autem pars fideli cum infideli, qui autem consensus templo Dei cum idolis.*

5 Sumitur quoque metaphoricè ramus Psal. 118. vers. 113. *Iniquos*, inquit, *odio habui, & legem tuam dilexi*, in hebraico סעפים Seaphim, ad verbum, *ramos odio habui*, id est, cogitationes, per translationẽ, vt sit sensus: *Cogitationes iniquas odio habui*, hoc est, iniquos mala cogitantes: ibi ergo vox hebraica Seaphim significat corruptores, cogitabundos, qui mala machinantur: Hinc Chaldæus Paraphrastes transtulit: *Cogitantes cogitationes vanas odio habui.* Alij verò quia hæc dictio ramos significat, qui eleuati, & sublimes in arbore consistunt, ideò hoc loco סעפים Seaphim interpretantur: *eminentia, & sublimia affectantes*, vt sit sensus talia affectantes odio habui, vel ipsa sublimia, & eminentia, & superba odiui. Potest etiam locus iste ita intelligi, vt aliæ sectæ, & leges gentium, & infidelium sint veluti rami præcisi & separati: sed quia præcisi sunt aridi, & longè absunt à veritate, de his ergo ramis, siue sectis infidelium, vel hæreticorum Propheta loquitur, quasi dicat: leges infidelium quæ sunt quasi rami præcisi à lege vera tua quam tradidisti mihi, odio habui, & legem solam tuam dilexi. Hieronymus verò transfert: *tumultuosos odiui*, quasi dicat: cogitationes tumultuosas iniquorum: solent enim cogitationes prauorum hominum tumultum, & perturbationem in corde concitare, quando mali aliquid machinantur. Significat quoque secundùm aliquos ramum Canticorum 7. vers. 8. vox hebraica סנסנין Sansin, vbi legimus: *Dixi ascendam ad palmam, & apprehendam fructus eius*; quare vertunt: *& apprehendam ramos eius.* Hunc sensum videtur sequuti Septuaginta interpretes, qui sic transferunt: *& apprehendam cacumina eius:* sed alij volunt hanc dictionem propriè fructum palmæ significare, quæ non alibi inuenitur præterquam hoc loco; Quare D. Hieronymus,

mus, *fructus eius*, est interpretatus, & probabile est per cacumina Septuaginta interpretes idipsum intellexisse, quod noster interpres.

FOLIVM.

Folium auctore Festo à græca dictione φύλλον, dicitur. Est autem folium, teste Valla, & arborum, & herbarum, & florum, cùm frondes arborum tantùm dicantur. Folia etiam vocantur chartæ librorum quas reuoluimus, à palmarum foliis, in quibus olim scribi solebat. quæ græca voce σέλιδες appellantur, quarum extremitas margo dicitur, & pagina vtraque pars folij: nam folium duas paginas habet. Ab ipsis Hebræis folium עלה ALE vocatur, quòd sursum ascendat, & in fructibus super ipsos sit situm, quia vt eo protegantur fructus datum est: est enim עלה ALA ascendere. Hinc Psal. 1. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcumque faciet semper prosperabuntur*, quasi dicat: ideò dabit fructum in tempore suo, quia folium quo fructus protegitur non defluet. Significat itaque ibi folium diuinam protectionem, sine qua fructus bonorum operum prosperari nequeunt. 6

GERMEN.

Germen dicitur quod ex arborum oculis nascitur, surculus scilicet prægnans, à generando dictus, quòd sit generationis principium, à Græcis βλαστὸς dicitur, Hebræi verò צמח SEMACH vocant: est enim צמח SAMACH pullulare, oriri, & etiam crescere, quòd sit ortus, & incrementi initium. Porrò יבול IEBVL generale nomen est, ad omne quod terra profert in vsum animantium aut hominum, quasi productionem dicas: est enim יבל IABAL ducere, afferre, differt propterea פרי PERI fructu, quòd PERI propriè de arborum fructu dicatur, & metaphoricè hominum vel animantium, & interdum rerum aliarum: יבול IEBVL autem terræ nascentia significat; gramen aut germen, prouentum, plantam, vel fruges pro loci ratione licebit reddere: Idem valet בול BVL adempto Iod. Hinc Iob 20. vers. 28. *Apertum*, inquit, *est germen domus illius, detrahetur in die furoris Dei*, in hebraico est יגל יבול IGEL IEBVL, ad verbum, *reuelatum est germen*. Alij: *migrabit loco suo* יבול IEBVL, *fructus domus eius*. Quidam vertunt: *trabes domus eius*, quasi significet eius domum desolandam, & subuertendam. Septuaginta interpretes metaphoræ sensum ita exponunt: *inundet domum eius perditio*: Chaldæus verò Paraphrastes sic eandem metaphoram exprimit: *transferatur*, inquit, *frumentum domus illius*. Propriè autem צמח SEMACH, vt diximus, germen significat, sicque appellatur Christus Zachariæ 6. vers. 12. sub typo Zorobabel: *Ecce*, inquit, *vir oriens nomen eius*, צמח שמו SEMACH SEMO, ad verbum, *germen nomen eius*; Quare Chaldæus Paraphrastes pro germine, transtulit *Messiam*, siue Christus Chaldaicè משיחא MASICHA; *Ecce*, inquit, *vir Messias, siue Christus nomen eius*. 7

FLOS.

Flos dictus vt quidã putant à græco nomine φλὸξ, quia emicat, scintillátque vt flamma, à Græcis vocatur ἄνθος, per translationem sumitur pro ornamento, siue decore: sumitur & aliquando pro virginitate, vnde Cato in Epithalamio: *Sic virgo dum casta manet, tum chara suis: sed cùm castum amisit polluto corpore* 8

florem, nec pueris iucunda manet, nec chara puellis. Præterea flos vini dicitur exigua quædam quasi spuma, quæ vino in doliis supernatare solet in modum pollinis farinæ, eodem ferè tempore cùm in vitibus florent futuri racemi, de quo Plinius lib. 14. cap. 21. *Flos vini candidus probatur, rubeus triste signum est, si non is vini color sit.* Denique flos æris est portio æris tenuissima, quæ ab ære expuitur, cùm frigida effusa extinguitur, græcè χαλκοῦ ἄνθος: solet autem inueniri in fundo vasorum instar granorum milij, colore æris rubro. Flos etiam salis, portio salis est leuissima, & candidissima, fauillæ ritu efflorescens: dicitur græcè ἁλὸς ἄνθος.

9 Fuit autem in honore habita à Romanis Flora Dea, quam floribus præesse volebant. Erat autem florentibus frumentis præposita, teste Varrone. Lactantius lib. 7. cap. 20. *Flora*, inquit, *cùm magnas opes ex arte meretricia quæsiuisset, populum Romanum scripsit hæredem, certámque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellabant floralia, quod quia Senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit; vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur Deam finxerunt, quæ floribus præesset, eámque oportere placari, vt fruges cum arboribus, & vitibus benè prosperéque florescerent.* Celebrabantur illi ludi omni cum lasciuia: conuenientes memoriæ meretricis præter verborum licentiam, nudabantur, flagitante populo meretrices quę mimorum functæ officio in conspectu multitudinis ad satietatem vsque impudicis motibus detinebantur. Hi ludi florales, & floralia sunt nuncupati, qui 4. Calendas Maij celebrabantur, & Calendis ipsis; vnde institutum adhuc viget vbique ferè Gentium, vt eo Calend. die floribus omnes Maium celebrent. Notissima est historia de Catone Florales ludos ingresso, qui ob seueritatem ac grauitatem, est abire compulsus: Hinc Martialis.

Cur in Theatrum Cato seuere venisti
An ideò tantùm veneras, vt exires.

De hac historia vide Valerium Maximum in lib. 2. copiosius scribentem. Denique, teste Plutarcho, simulachrum Floræ in æde Castoris, & Pollucis à Praxitele summa industria formatum, multis coloribus tunica indutum, in cuius dextra flores fabarum, & ciceres fuerunt: color autem versicolor, ideò Floræ tribuebatur, quia nullus color est, qui in floribus non reperiatur.

10 Propriè autem ציץ Sis, & ציצה Sisa in sacris codicibus florem designat: est enim ציץ Sis, siue צוץ Sus Florere, vnde etiam נץ Nes, siue נצה Nisa flos; vnde Cantic. 2. vers. 9. מציץ Mesis designat prospicientem, & ostendentem seipsum, & apparentem instar florum, cùm egrediuntur, & ostendunt seipsos: significat enim eruptionem facultatis visoriæ: *En ipse*, inquit, *stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Itaque sensus est prospiciens per cancellos, id est, se quasi florem floridum ostendens. Præterea quia ציצת Sisit Ezechiel. 8. vers. 3. significat cincinnos capitis, hinc fit, vt aliqui exponant מציץ Mesis, *ostendens per cancellos cincinnos capitis sui*, vt ita etiã dicantur ad similitudinem florum: sunt enim cincinni in capite ad pulchritudinem & ornatum, sicut flores in arbore. Porrò Isaiæ 11. vers. 1. dictionem hebraicam נצר Neser; *florem*, interpretatur D. Hieronymus: *Egredietur*, inquit,

inquit, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet*: sed quia eadem hebraica dictio significat plantam teneram, & ramum, & etiam germen: nam idem Hieronymus qui hoc Isaiæ loco *florem*, interpretatus est, Isaiæ 60. vers. 21. reddit *germen*, & Isaiæ 14. vers. 19. transfert *stirpem*: Daniel. verò 11. vers. 7. *germen* exponit. Itaque omnibus iis locis alij *plantam teneram*, alij *ramum* exponunt. Denique hoc 11. Isaiæ capite tam qui transferunt *florem*, quàm qui *teneram plantam, ramum, germen, siue stirpem*, Messiam ipsum & Christum necesse est intelligant, quod apertè interpretatur Ionathas Chaldæus Paraphrastes, dicens: *Et Christus de filiis filiorum eius.*

FRVCTVS.

Fructus à ferendo dicitur, & generis nomen est, quo ea omnia quæ terra 11
gignuntur comprehendimus: atque eius duæ sunt species, quarum altera frugum nomine appellatur, nimirum quæ minutæ fruges dicuntur, hoc est, quæ arista & siliqua continentur: Altera verò generis sui nomen obtinet, & quid quid præterea ex terra natum ad hominum alimentum pertinet complectitur, vt vinum, oleum, & arborum baccæ: item fœnum, arundo, cædua sylua, postea verò fructuum appellatio generaliter ad omnem rei corporalis prouentum relata est, vnde mercedes rerum quæ mercari solent, & omnes res ex quibus commodum, vel emolumentum aliquod percipitur fructuum vocem obtinet. Fructus autem naturales, & industriales, siue elaborati distinguuntur: naturales enim fructus sunt, qui vi & beneficio naturæ principaliter, non diligentia & opera hominis proueniunt, vt arbores, poma, lac, pilus, lana, agni, hædi, vituli. Fructus industriales sunt, qui principaliter requirunt diligentiam culturámque hominis, quæ nisi continuò interueniat, natura nihil operatur. Magis autem propriè fructus dicuntur arborum & agrorum, quibus vtentes fruimur. Itaque pars arboris vel plantæ nobilior, quæ in medulla continetur, naturaliter attrahitur à calore, vt tempore idoneo præcedente flore, & disponente fructus ortum, inde fiat materia fructus, atque humoris & caloris beneficio nutriatur, foliorúmque tegumento defendatur, ac Solis, virtutísque cœlestis influentia ad perfectionem ducatur, qui vt ad cibum assumatur, maturescat priùs necesse est: fructus enim crudi & indigesti noxij sunt humanis corporibus, maximè puerorum & debilium: producunt enim vermes, & nutriunt prauos humores: si autem maturi sint & decocti, tam ad cibum, quàm ad corporis vtilitatem & salutem sumi possunt.

Fructus autem arborum quæ in montibus nascuntur & nutriuntur, sunt 12
puriores & suauiores, ac præstantioris saporis, quàm earum quæ in valle siue planitie consistunt: alimentum enim quo in montibus nutriuntur purius est, magisque dulce ac temperatum. Fructus autem dulces in hoc præstant cæteris aliis, quòd sint magis temperati, magis calidi, humidi, maioris nutrimenti. Acetosi verò acumen choleræ extinguunt, sitim mitigant, stomachum confortant, & crassos humores dissoluunt. Fructus autem insipidi ex eo vituperantur, quia stomachum non iuuant, & fastidium pariunt. Denique fructus bene decocti & maturi præstant optimo sapore, & odore iucundo, qui in loco mundo & sicco melius custodiuntur, & maximè si fœno & palea contegantur

gantur, teste Plinio: circa terram enim & in locis humentibus facilè corrumpuntur, qui si maturi sint facilius ex arbore decidunt quàm immaturi, & faciliùs nocte quàm interdiu: nocturno enim rore perfusi maius habent pondus, & ideò magis decidunt. Significat autem fructum dictio hebraica פרי Pari: est enim פרה Para fructificare, cui præposito א fit אפריון Aphrion, quæ proprie significat lectum, quo sponsæ deferuntur: erat quædam carruca ad instar lecti, diciturque sic à fœcunditate, quia vt diximus פרה Para est fructificare, haud dubiè lecticæ genus fuit, siue cathedræ aut sedis, qua olim ferebantur diuites & potentes, in qua puluinar & lectulus stratus erat, vulgò *litera*, vocatur hanc autem gestabant sex aut octo serui: quare Græci modò ἑξατόρον modò ὀκτατόρον appellant, à numero gestantium, & proinde Hieronymus, *ferculum* transtulit, id est, gestamen. Porrò Ephron voce hebraica ideò à fructu & fœcunditate dictum, quia in eo sponsæ deferebantur, fructus autem & fœcunditas è coniugio promanant.

13 Notandum etiam est in sacro eloquio fructum ipsius terræ dici robur terræ, vt Gen. 4. vers. 12. *Cùm operatus fueris eam non dabit tibi fructus suos*, ad verbū, *non dabit tibi robur suum*, vnde Septuaginta sic transferunt: *Et non addet virtutem suam dare tibi*, similiter Chaldæus Paraphrastes: *Non dabit amplius tibi virtutem suam*, nam dictio hebraica כח Coach ibi posita robur & virtutem designat: cùm enim terra producit fructus, robur suum & potentiam videtur ostendere: sic intellige locum illum Iob 31. vers. 39. *Si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi*: loquitur enim de terra, vbi ad verbum est: *si robur eius comedi*. Illud autem Iob 6. vers. 22. *Nunquid dixi: afferte mihi & de substantia vestra donate mihi*, in hebraico est, מכחכם Micochem, ad verbum de robore vestro. Alij *de fructu vestro*, exponunt, siue *de fructibus vestris*, sed Hieronymus *de robore*, siue *substantia & facultatibus*, videtur aptiùs explicasse.

14 Porrò dictionem hebraicam מגד Meged transfert Hieronymus, *poma*, Deuteronom. 33. vers. 14. significat autem propriè omne pretiosum & optimum, tam in fructibus, quàm in auro & argento, & delitias. quod delicatum est ad præstantiam tēporis id retulerunt Septuaginta: Chaldæus Paraphrastes *poma* exposuit, & *fructus* quos Sol & Luna generare solent. Sic habet noster interpres loco citato Deuter. *De pomis fructuum Solis & Lunæ, de vertice antiquorum montium, & de pomis collium æternorum*: vbi in hebraico notanda est dictio גרש Geres, quæ comprehendit fructus qui extruduntur & florent virtute Lunæ, quòd Luna foras illos protrudat, nomen sonat eiectionem seu extrusionem, florum scilicet & fructuum: nam גרש Garas est eiicere, expellere: sic etiam תבואה est prouentus & fructus, & comprehendit omnem fructum comestibilem, & vocatur sic, eò quòd ab anno sequenti prouenturus est, quasi sit reditus anni futuri, vt עבור Abvr dicitur fructus anni præteriti: Est enim עבר Abar transire. Itaque sensus est: *De pomis fructuum Solis & Lunæ*, id est, qui virtute Solis & Lunæ protruduntur & decoquuntur. Id voluerunt significare Septuaginta interpretes, qui transtulerunt: *Et ad tempus fructibus Solis conuersionum, & de synodis mensium*, id est, de fructibus quos Sol suis conuersionibus, per annum generat, & Luna suis synodis, id est, suis conuersionibus

ſionibus & interluniis:eſt enim σύνοδος græcè interlunium.id eſt, coitio, ſiue coniunctio lunæ, dixerunt *menſium*, id eſt, lunarum, eſt enim ירח Iareach Luna,ipſi verò legerunt ירח Ierach,quod eſt menſis ſiue lunatio.

FRVGES.

Fruges vel frux dicitur generaliter ſecundùm Priſcianum quidquid ex fructu terræ in alimoniam vertimus, neque ſolùm quod ex frumentis & leguminibus, verum etiam quod ex vino, vel ex lignis ceduis Cretæ fodinis, lapicidinis capitur.καρπὸν græci vocant. Feſtus autem,Seruius, & Donatus fruges, verbum à frumine eminente ſub mento gutturis ſeu curculionis parte qua cibus in aluum demittitur, à ferendo cibo appellatum dicunt. Varro libro 4. de lingua latina à fruendo. Errant ergo qui diſcernunt legumina à frugibus: nam Cicero ait: *olei & frugum minutarum*, cùm de leguminibus diceret, vt oſtenderet etiam legumina fruges vocari. Granum autem in arboribus, & plantis quibuſcumque conſtat eſſe particulam diſtinctam & diuiſam ab eis ſecundùm ſubſtantiam: nam cortice ſuo veſtitur, & medullam habet, in qua vis eſt & facultas producendi plantam quam gignit, ſi terræ committatur, vt eius ſpecies propagari & conſeruari poſſit. Itaque granum etſi paruum ſit quantitate,magnum cenſetur virtute & efficacia,cùm arbores maximæ & altiſſimæ ex minimo grano prodeant. Differunt autem inter ſe frugum ſiue arborum grana,figura,ſitu,& diſpoſitione:quædam enim teſte Ariſtotele lib. 1. de plantis,abſque ſiliqua cohaleſcunt,vt ſemen aneti & fœniculi: alia ſiliquis & folliculis ſimul iuncta reperiuntur,vt faba & alia legumina:alia verò intra ſubſtantiam carnoſi pomi emittuntur, qualia ſunt pyrorum & pomorum ſemina:alia verò primùm teſta, deinde verò ſupra teſtam carnoſa teguntur ſubſtantia.Denique ex his quædam ſunt grana,quæ clauſo folliculo continentur, vt faba,alia quæ aperto vt triticum.Quandoque inter grana reperies ligneum parietem,vt in Caſſia fiſtula,interdum parietem carnoſum, vt cucumere, cucurbita; quandoque parietes diuerſi generis & ſubſtantiæ, vt contingit in malogranatis,in quibus reperiuntur quidam carnoſi parietes, qui grana diuidunt, & etiam quædam telæ tenues non carnoſæ, vt ea ab inuicem ſeparent. Iam verò ſi granorum figuram conſideres, quædam forma rotunda ſunt prædita, alia verò pyramidali & oblonga, nonnulla triangulari & multilaterali conſtant figura,vt in ciceribus eſt manifeſtum. Muniuntur autem corticibus & telis grana, ad maiorem medullæ & caloris interioris conſeruationem. 15

Propriè autem granum dicitur ſemen frugum, vt tritici, hordei, & huiuſmodi. Dicitur autem à græcis κόκκος, Varro de re ruſtica cap. 48. *Granum*, inquit, *dictum quod eſt intimum, ſolidum*, & paulò poſt: *granum à gerendo,quod quidem ſeritur vti ſpica gerat frumentum.* Granum etiam generaliter dicitur, quidquid minutum eſt, & ſimilitudinem aliquam habet cum grano frumenti, vnde & mali punici acinos grana, ipſumque malum granatum dicimus. Fructus quoque cuiuſdam arboris ilici ſimilis, quem Dioſcorides κόκκον βαφικὴν appellat,à quibuſdam granum dicitur,vulgò vocatur *grana*,quod quia copioſiſſimè naſcitur in Betica prouincia,factum eſt, vt ea regio ab eo Granata dicatur. Fit autem mentio nouarum frugum Exodi 13.verſ.4. *Hodie*, inquit, *egredimini* 19

dicemini in mense nouarum frugum, hebraica habent: ב חדש ה אביב Be cho-des ha abib, ad verbum, *in mense spicæ cum cumulo*, hanc ipsam significat vox hebraica אביב Abib, & significat eam adhuc virentẽm quod ex illo Exodi 9.vers. 31. colligitur: *Linum & hordeum non est læsum, eo quod hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret*, vbi pro virens habes Abib. Significatur ergo spica, sed virens adhuc. Hinc Leuitici 2.vers. 14. *Si autem* inquit, *obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igne.* Spicas ergo non maturas, sed virentes & maturescentes vocat D. Hieronymus nouas fruges: nam Abib ex sua natura primitiuum præcocem fructum significat, & est communis vox ad omnia quæ verno tempore è terra progerminant, vnde κατ' ἐξοχὴν, id est, per excellentiam, pro recenti & virenti adhuc spica sumitur: אבב Abab enim Chaldæis est præcocem, seu primum fructũ proferre, vt habes Oseæ 9.vers.10. in Chaldaica paraphrasi. Itaque generaliter fructus, & plantæ omnes dici possunt Abib. Ideò Cantic.6.vers.10. *poma*, reddit Hieronymus per antonomasiam: *Descendi*, inquit, *in hortum meum, vt viderem poma conuallium.* Per mensem autem nouarum frugum, primum mensem hebraicum intellige vocatum ניסן Nisan, qui respondet partim Martio, partim Aprili: sunt enim hebręorum mẽses lunares, nec possunt omni ex parte nostris mensibus respondere. Nomen autem Aprilis latinum ab apersione, & resolutione terræ pulchrè respondet hebræorum nuncupationi, qua primum mensem vernum, qui ferè in illum cadit mensem, nouarum frugum appellant, sicut & nomen græcum θαργήλιον, quòd tunc calescere incipiat terra à θέρω & γῆ.

Ezechielis autem 3.vers.15. aceruus nouarum frugum locum quendam si-
17 gnificat, non tempus: *Et veni*, inquit, *ad transmigrationem ad aceruum nouarum frugum, ad eos qui habitabant iuxta fluuium Chober, & sedi vbi illi sedebant, & mansi ibi.* Itaque תל אביב Tel abib, id est, aceruus nouarum frugum, siue aceruus spicæ virentis, loci cuiusdam nomen erat, quod etiam colligitur ex Chaldæo Paraphraste, sicut etiam 1.Esdræ 2. תל חשרה Tel chasra id est aceruus syluæ, & תל מלח Tel melach aceruus salis, locorum sunt nomina, sic in hoc Ezechielis loco תל אביב Tel abib aceruus spicarum virentium, siue nouarum frugum, locum quendam indicat pecaliarem, ad quem profectus est Propheta. Porrò Genes.43. vers.11. dictum est filiis Iacob: *sumite de optimis terra frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera.* lectio huius loci restituta est in Bibliis editionis vulgatæ Sextinæ, & pro *frugibus*, positum *fructibus*. Esse autem legendum fructibus, vox hebraica זמרה Zimra satis declarat: à זמר Zimer deducta: significat enim Zimer canere, non vtcunque, sed modulationibus arte compositis, quæ suos numeros habent, & cæsuras seu incisiones: nam זמר Zamar est putare, seu amputare: quia ergo in cantico quod optimum est & laudatissimum, dicitur Zamir, hinc factum est, vt quidquid dignum vt prædicetur & decantetur, omnium ore dicatur זמרה Zimra. Sensus ergo est: *Sumite de optimis terra fructibus*, id est, de rebus terræ omnium præstantissimis, quæ dignæ sunt vt prædicentur & decantentur omnium ore, propterea statim subiicit: *Deferte viro munera modicum resina, & mellis, & storacis, &*

stactis

PARTES PLANTARVM.

stactis, & terebinthi. Ideóque Chaldæus Paraphrastes transfert מכדמשבח Mi DE-MESABECH, id est, ex eo quod laudatum est & celebratum in terra, vel, si mauis, quia ZAMAR amputare significat, hoc de fructibus decisis intelligi potest, vt ZIMRA nomen generale sit ad fructus qui ex decisione proueniunt vt resina, stacten, mel, & alia id genus. Hieronymus ergo non simpliciter *fructus*, sed optimos terræ fructus reddens, vtrumque exprimit sensum.

SPICA.

Spica in frumento dicitur totum illud quo granum continetur, cuius par- 17
tes sunt glumæ & aristæ, à græcis στάχυς dicitur, vel ἄσταχυς dicta spica, quasi speca à spe, vt inquit Varro de re rustica lib. 1. Nam cùm fruges in spicam exit, spem spiculi quam refert, vbi primum è folliculo erumpit: hinc eum solum propriè spicam dici arbitratur: sed hoc non esse vsquaque verum docet Varro lib. 1. cap. 48. cùm granum partem facit spicæ, quod certè de spica iam primũ erumpente intelligi non potest, quæ cùm nondum floruerit, granum habere nequit, verba Varronis sunt hæc: *spica in hordeo, & tritico tria habet continentia granum, glumam, aristam, & etiam primitus*, spica cùm oritur vaginam: gluma autem in spica est folliculis grani frumentarij à glubendo, quòd in eo folliculo deglubatur granum, hoc est, decorticetur. Aristæ sunt extremæ spicæ partes, quæ vt acus tenues graui gluma eminent, & frumentum ab auium minorum morsu tuentur, dicitur autem arista ab ariditate, quòd sit omninò arida. Significat autem spicam vox hebraica שבלת SIBOLETH, & etiam culmen, seu cacumen frumenti à radice ad spicam vsque, & aristam succrescentem & protractam, vnde non desunt qui Cybelem dictam coniectent, quam agricolæ pro Deo frugum habuerunt, & coluerunt, quæ postea Rhea, Ceres, & aliis nominibus dicta est. Significat etiam שבלת SIBOLETH alueum, qui est fluxus seu decursus aquarum שבלת SIBOLETH. Hinc Iudicum 12. vers. 6. *Interrogabant eum: dic ergo* SEBOLETH, *quod interpretatur spica, qui respondebat*, CEBBOLETH, *eadem litera spicam exprimere non valentes, statimque apprehensum iugulabant in ipso Iordanis transitu.* Quamuis ergo spicam, siue alueum dicerent, non tamen eadem litera pronunciabant: nam loco ש exprimebant literam ס, siue ש habentem punctum in sinistro cornu: sensus ergo est: *spicam*, significatam dictione hebraica per ש in dextro cornu exprimere non valentes, sicque deprehendebantur an essent Ephratei: non enim valebant literam ש pronunciare. Notandus verò est locus ille Zachariæ 4. vers. 11. *Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & sinistram eius*, vbi dictio ista posita est, & ad verbum est sensus: *quid sunt duæ istæ* שבלי SIBOLE, *spicæ oliuarum*. seu *ramusculi*, ob teneritudinem similes spicis. Vocatur etiam spica מלילה MELILA Deuterono. 25. vers. 25.

Vocantur autem spicæ virentes Leuit. 2. vers. 14. גרש כרמל GERES CAR- 18
MEL, *Si autem*, inquit, *obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igni.* Est autem גרש כרמל GERES CARMEL, spica plena, viridis, & tenera. Est autem hîc notandum, כרמל CARMEL primaria significatione nomen esse montis in terra Israël, iuxta quem sunt valles eximiæ feracitatis, vnde & sæpe appellatiuè sumitur pro loco frugibus & arbo-

ribus & vineis consito, quare specialiter pro segete & frumento recenti & pingui, quale in Carmelo maturescit vsurpatur. Alij putant כ׳ מל Carmel primaria significatione esse locum feracem, & quia talis erat Carmelus mons inde ei tale nomen inditum, & hanc dicunt esse causam, cur ei præponatur interdum articulus ה hagedia atque affixa accipiat, quod nomina propria non solent, propterea כרש כרמל Ceres Carmel significat spicam plenam, virentem, similem iis quæ in Carmelo, siue loco feraci & fertili producuntur, vnde Chaldæus Paraphrastes, *de spicu virentibus & teneris* transfert. At verò כרמל Carmel sumptum pro Coccino seu Carmesino, vt vulgò vocant colore, 2. Paralip. 2. vers. 14. quidam vocem Syriacam esse putant. Sumitur etiam pro virenti spica Leuit. 23. vers. 14. vbi D. Hieronymus reddit *pultem ex segete*, & 4. Reg. 4. ver. 42. vbi idem D. Hieronymus *frumentum nouum* exponit. Montē autem significat Isaiæ 16. vers. 10. & 32 vers. 15. & cap. 29. vers. 17. Coccinum verò significat Cantic. 7. vers. 5. *Caput tuum vt Carmelus*, id est, vt Coccinum, vnde statim sequitur: *& coma capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus.*

Caput XI. DE SVBST. MATERIALI LIGNEA.

POstquam de plantarum particula quædam attigimus, iam pauca dicemus de materia lignea, quæ potissimum ex arbustis & arboribus prouenire solet, postquam è montibus & syluis cæsa sunt: passim enim huiusmodi lignea materia in scripturis occurrit.

BACVLVS.

1 Lignum à legendo inquit Varro, quòd ligna caduca in agris legebantur, vt ad focum vrerentur: ex arborum lignis fit baculus, sustentamur autem baculo: hinc filius Tobiæ in sacris literis appellatur baculus salutis parentum suorum, vnde dici solitum viro seni *maxilla baculus*, de iis qui ob defectas ætate vires, lautiore pariter & copiosiore victu coguntur vti, quo quod senecta deterit, vtcunque sortiatur cibo. Vtimur etiam baculo ad defensionem, vnde prouerbium illud commune, *absque baculo ne ingreditor*, id est, inermis ne sis, verùm semper ad manum sit, quo depellas, si quis fortè quærat te lædere. Fustis autem idem est quod baculus. Plinius lib. 14 cap. 3. scribit Ignatij mercenarij vxorem, quòd vinum bibisset è dolio, interemptam fuisse à marito fuste: hinc pœna quæ fuste infligitur, siue verberatio & castigatio, quæ fustibus fit fusterium appellatur, vt habes apud Marcum Tullium 3. Philipica, vbi dicit: fustarium meruisse legiones quæ Consulem reliquerunt. Scipio etiam baculus ille dicitur, cui senes innitentes gradum stabiliunt. Dicitur etiam scipio in vineis, quo ipsa vua veluti baculo sustentatur: scapum à Varrone, cauda à multis, ab aliis pes vuæ appellatur; stipes autem est truncus aut validus fustis humi defixus. Per translationem autem sumitur pro stulto, insulso & fatuo, vt apud Terentium in Heauton. vbi stultus stipes, & asinus plumbeus dicitur: eundem truncum & stipitem vocat Cicero in Pisonem.

2 Vocatur autem baculus hebraica voce משען Misan, appellatur autem sic quòd illi homo innittatur: nam שען Saan est innitti, hærere. Significat ergo fulci

MATERIA LIGNEA.

fulcimentum scipionem, & metaphoricè sumitur pro re cui innitimur aut fidimus: sic sumitur psal. 7. vers. 19. *Prauenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protectio mea*, hebraica habent: למשען LEMISAN in protectionem: alij vertunt, *in pedum*, id est, baculum, cui pedis loco quis innititur. Quare Hieronymus interpretatur: *factus est Dominus firmamentum meum*, alij, *factus est mihi baculus*, Chaldæus Paraphrastes: *Fuitque verbum Domini fulchrum mihi*. Porrò Prouerb. 31. vers. 19. vbi legimus: *Manum suam misit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fusum*: pro fuso in hebraico habes בלך BELEC, significat hæc vox propriè scipionem, id est, baculum super quo quis innititur. Hinc transfertur ad fusum significandum, baculum scilicet quo nent mulieres, alij *colum* interpretantur: sed cum Hieronymo tam Septuaginta, quàm Chaldæus Paraphrastes, *fusum* exposuerunt.

Porrò quia מטה MATE virgam, aut baculum significat, quòd homo illi innitatur, aut super eum requiescat, seu sese inclinet, vel etiam quòd extendatur ad aliquid indicandum: est enim נטה NATA tendere, declinare. Idem characteres, si diuersis punctis signentur, & legamus מטה MITA significant lectum, quòd homo dormiens super illum se extendat, & expandat, vel reclinet, quasi reclinatorium stratum. Metaphoricè interdum sumitur pro loco idololatriæ, vbi cum idolis scortantur, & cubant eorum cultores, vt Ezech. 23. & iuxta quosdam Amos 3. Sic & Apoc. 2. lecti nomen sumitur de spirituali scortatione vel cubatione. Itaque מטה MATE virgam, siue baculum significat, & per translationem tribum, vel sceptrum notat. Hinc D. Hieronymus Habacuc 3. vers. 9. in significatione tribus transtulit: *suscitans*, inquit, *suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus est*, vox hebraica est pluralis מטות MATOTH. Eundem sensum posuit Chaldæus Paraphrastes: *Reuelando*, inquit, *reuelatus es cum potentia tua propter fœdus tuum, quod cum tribubus verbum tuum pepigit in sæcula*. Septuaginta verò interpretes *sceptrum*, transtulerunt: *Extendens, extendis arcum tuum super sceptra dicit Dominus*. Non desunt qui interpretentur *Iuramenta fulgurum quæ loquutus es*, quasi Deus fulgura instar virgæ aut baculi, vel etiam teli vibret & iaculetur. 4

VIRGA.

Virga est vimen bacillum tenue, vel aliud quiduis, quo ad ligandum verberandúmque vtimur, per translationem iudicandi potestatẽ significat Quintilianus lib. 1. cap. 5. virgam censoriam vocat superstitiosam, ac nimiam iudicandi auctoritatem, à Romanorum nimirum magistratu sumpta translatione, penes quem auctoritas erat de ciuium moribus iudicandi, equitémque equo, & senatorem ordine suo priuandi: hinc etiam virgata vestis diuersi coloris virgis variegata & distincta aut vt Iulius Pollux interpretatur, in qua intexebantur virgæ purpureæ, vnde vestes virgatæ auro dicuntur, virgis, siue lineis aureis distinctæ. Flammam etiam virgeam vocat Virgilius lib. 1. flammeam ex virgis accensis factam, vt sit flamma validior. Vimen autem est omne virgultum lentum & flexile, ad ligandum aptum, quasi vincimen. Fiunt autem vimina ex populorum virgis, vlmi & betulæ, & vitis, & coryli intortæ, & salicis quæ principatum obtinet: viminalia autem nomen commune est omnibus 5

arboribus, tum fruticibus quæ vimina producunt. Hinc etiam Viminalis collis; vnus est ex septem vrbis Romanæ collibus in tertia vrbis regione, ita dictus à viminum sylua in eo enata, vnde & Ioui Vimino, cuius ibidem ara erat, nomen inditum, vt auctor Varro lib. 4. de lingua latina.

4 Significatur autem virga dictione hebraica חטר Choter, qui bis tantùm in scriptura occurrit. Isaiæ 11. vers. 1. vbi legimus *Egredietur virga de radice Iesse*. & Prouerb. 14. vers. 3. *in ore* inquit, *stulti virga superbiæ, labia autem sapientum custodiant eos*, vbi per virgam lingua stulti significatur. Sensus itaque est: quia stultus loquitur superba aduersus alios, lingua eos quasi virga percutiēs, ideò stultus reputatur, quia eius lingua tandem in eum retorquetur, & sibi ipse sua lingua nocet. Hunc sensū videtur sequi Chald. Paraphrastes, qui transfert; *in ore stulti virga & tribulatio*, id est, propter verba quæ dicit stultus veniet super eum virga superbiæ, id est, cæderur magnis plagis ob verba sua, vel sensus est, *in ore stulti virga superbiæ*, id est, lingua superbiæ alios iniuria afficiens, quem sensum tenent Septuaginta interpretes, qui interpretantur: *ex ore stultorum virga iniuriæ*. Appellatur quoque virga hebraica voce מקל Makel, vt Ierem. 1. vers. 11. *Virgam vigilantem ego video*. Hanc autem dictionem quidam referunt ad קלל Kalal, vt sic dicatur à leuitate. Itaque nomen baculi ab hebræo nō abludit sono, M, cum B, permutato: sunt enim eiusdem organi elementa, nempe labiorum; in loco verò citato Ieremiæ Septuaginta interpretes, *baculum* transtulerunt. Chaldæus verò Paraphrastes per huiusmodi virgam vigilantem *regem festinantem*, interpretatur.

Ex vicinitate autem huius nominis מטה Mita lecti, & מטה Mate vir-
5 gæ siue baculi, vt supra notatum est, accidit vt Septuaginta pro lecto legerint *virgam* Gen. 47. vers. 31. vbi noster interpres sic habet: *Et ille, iura ergo, inquit mihi, quo iurante adorauit Israël Dominum, ad lectuli caput*. Septuaginta verò interpretes Apostolus sequutus est ad Hebræos 11. Neque perperam id factum esse credendum est, cùm & sæpe aliàs Apostoli editionem Septuaginta interpretum tunc temporis receptam citarint, etsi interim aliud haberet veritas hebraica. Eadem ergo ratione & cætera quæ in nouo testamento ex illorum editione citantur, damnanda essent, quod impium est. Itaque Septuaginta hunc sensum reddunt: *& adorauit Israël super summitatem virgæ*, qui sensus ex dictionis amphibologia, cùm absque punctis fuerit scripta, eo tempore potuit ab eis cùm aliqua probabilitate erui: Chaldæus verò Paraphrastes non virgam sed *lectum* est interpretatus.

6 Genes. verò 49. vers. 10. cùm legimus: *Non auferetur sceptrum de Iuda & dux de femore eius donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, pro sceptro in hebraico habes שבט Sebet, quæ dictio sicut & מטה Mate virgam, baculum, sceptrum & tribum significat. Sensus itaque: *non auferetur sceptrum* id est, dominator rex de Iuda: dicitur autem rex sceptrum, quòd manu sceptrum, seu virgam gestare soleat, vnde Septuaginta: *Non deficiet princeps de Iuda*, & Chaldæus Paraphrastes: *Non auferetur habens principatum de domo Iuda*, Hinc illud Numer. 24. vers. 17. *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel*. Chaldæus Paraphrastes interpretatur: *dominabitur Christus de Israel*, alij: *surget virga*

virga, id est, rex qui dominetur, vbi verò legimus, 2. Reg. 18 verſ. 14. *Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon*, habes in hebraico tres שבטים Sebatim, ad verbum, *tres virgas*: ſed intellige cum ferro in extrema parte: Erant velut lanceæ ſed tenuiores, ideò vocantur virgæ cum ferro in ſummitate: Hieronymus, *lanceas*, modo expoſito. Alij exponunt: *& tulit tria tela in manu ſua*. Itaque שבט Sebet aliquando ſceptrum & regnum, aliquando virgas caſtigationis, vt Iob 37. verſ. 3. aliquando lanceam, vel iaculum, aliquando tribum. Putant autem quidam שבט Sebet, pro familia illius baculi, in quo eius nomen inſcriptum fuit, ſumi per Synecdochem, vnde pro numero 12. baculorum Numeri 17. duodecim quoque Tribus Iſraëlitarum fuiſſe. Alij verò arbitrantur non inde ſumi metaphoram, qua tribus dicitur virga, ſed ab arbore ad hominem transferri, quòd vt ex vna arbore variæ virgæ, ſic ex vno homine multæ deſcendunt Tribus & familiæ: Quamquam familiæ, & cognationis nomen Tribui poſtea ſubiiciatur, vt ex vna Tribu ſint plures familiæ.

VECTIS.

Vectis lignum eſt longum, quo oneris aliquid à binis pluribúſve in humeris geſtatur, vt in Exodo: *Facies quoque vectes de lignis ſettim*. Eſt autem vectis inſtrumentum ex ligno aliáve materia, quo oſtium clauſum aduerſus vim munitur, ita dictum, quòd manu huc illuc vehatur. Dicitur præterea vectis palus è ligno, vel ferro grandior, ruſticis, & fabris neceſſarius ad onera promouenda. Demùm vectes ſunt inſtrumenta ad aliquid ſubuertendum effringendumve accommodata. Significat autem מוט Mot vectem baculum & perticam, inſtrumentum ſcilicet quo amouetur onus, vnde poſtea pro iugo, ſiue onere iugi metaphoricè ſumitur, vel pro vinculis quibus iugum alligatur ad collum animantis: ſic ſumitur Nahum 1. verſ. 13. *Et nunc contra virgam eius de dorſo eius*, hebraica habent מטהו Motehv virgam eius: Chaldæus Paraphraſtes interpretatur: *Iugum gentium à collo veſtro*; Hieronymus virgam eius *baculum*, intelligit, ſiue virgam qua premebantur, & affligebantur. 7

PALVS.

Palus dicitur lignum acutum, quod ſolet in terram defigi ad fulcienda ædificiorum fundamenta, aut caſtra munienda, aut claudendos hortos, aut ſuſtinendas vites, aut ſimiles vſus. Hinc palaria locus eſt, vbi palus defixus, ad quẽ milites ſe exercebant circumeundos, & palaris ſylua, teſte Vlpiano l. 9. D. de vſufructu, ea dicitur, ex qua palus ſumitur. Dictio autẽ hebraica יתד Iethed palum, paxillum, ſiue clauum ſignificat ex quauis materia, qui terræ, vel parieti infigitur, ex quo aliquid ſuſpenditur, vel quo terra effoditur. Huiuſmodi pali, ſiue paxilli in tabernaculo ænei erant Exodi 38. verſ. 20. *Paxillos quoque tabernaculi, & atrij per gyrum fecit æneos*. Quidam notant palos tabernaculi fuiſſe alligatos funibus ad cortinas eius, cúmque reſideret tabernaculum, huiuſmodi palos fuiſſe terræ fixos, ne ventus cortinas moueret. Hæc dictio Iudicum 16. verſ. 14. peculiariter inſtrumentum ſignificat, quo textor pannum coram ſe complicat, quod *clauum*, vocat Hieronymus: *Qui conſurgens*, inquit, *de ſomno, extraxit clauum cum crinibus & licio*. Notandum hîc quoque eſt quod le- 8

 gimus

gimus Numer. 33. verſ. 55. *Sin autem nolueritis interficere habitatores terræ, erunt vobis quaſi claui in oculis, & lanceæ in lateribus*, hebraica habent ל שכים Lesicim, *quaſi claui*, transfert D. Hieronymus: Alij exponunt cultrbs, *erunt in cultros in oculis veſtris*. Videntur eſſe pali præacuti, quibus ſepes etiam aliquando conſtruuntur. Nonnulli transferunt, *quaſi ſudes*; alij, *quaſi ſpinas coram vobis*. שוך Svc propriè vepres deſignat, vnde Septuaginta verterunt: *Erunt aculei in oculis veſtris*, Chaldæus verò Paraphraſtes: *Erunt in turmas aſſumentes arma contra vos.*

TIGNVM.

9 Tignum propriè eſt lignum, cui ſuperponitur tectum in domus ædificio, à tegendo nomen deductum. Tigni etiam nomine omne genus materiei, ex qua ædificia conſtant continetur, teſte Vlpiano de tigno iuncto l. 1. ſed & in vineis tigni appellatione omnia vineis neceſſaria continentur, vt puta pertica pedamenta, vt etiam teſtatur Vlpianus: Hinc tignarius faber dicitur, qui ligna dolat, aut ædificio adaptat. Contignatio autem eſt ſolarium domus, ſiue ſtratum ſit gypſo lateribúſve, ſiue non ſtratum, qualia ferè ſunt ſolaria domorum in Apulia, & aliis locis: Eóque pro miraculo apud Liuium refertur, bouem in tertiam contignationem conſcendiſſe, teſte autem Plinio ſeſquipedalis paries non pluſquam vnam contignationem tolerat. Eſt etiam ſuperior, & inferior contignatio. Abacuch 2. verſ. 11. כפים Caphim tignum ſignificat. Hieronymus in commentariis lignum ait ſignificare, quod ad continendum parietes in medio ſtructuræ ponitur, quod vulgò ligamen vocant, vnde vertit: *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt reſpondebit tibi.* Reddit itaque Hieronymus, כפים Caphim lignum, quod inter iuncturas eſt: Chaldæus Paraphraſtes *fruſtum ligni*, ſiue ſegmentum lignorum caſarum, aut laquearium: *Et putamen*, inquit, *de medio trabis reſpondebit ei.* Non defuerunt qui *lapidem*, interpretarentur, quia כף Caph lapidem ſignificat: ſed cùm iam lapidem memorauerit, videtur magis de fruſto ligni intelligendum, aut de ligno lapidi ſuperpoſito.

TRABES.

10 Trabs, ſiue Trabes teſte Feſto eſt lignum duplex, ex duobus compactum tignis ædificij gratia. Interdum trabes legimus pro ipſis arboribus: Nonnunquam etiam pro naui ex trabibus contexta. Trabea autem genus veſtis eſt, cuius tria ſunt genera, vt Suetonius lib. de veſtium generibus inquit, vnum quod diis ſacratur tantum de purpura: Aliud quod eſt Regum purpuræ, aliquid albi habens admixtum: Tertium augurale ex purpura, & cocco miſtum. Fit autem trabium mentio 3. Reg. 6. verſ. 9. vbi legimus: *Et ædificauit domum, & conſummauit eam, texítque domum laquearibus cedrinis*; Pro laquearibus habes in hebraico גבים Gebim, ſic vocabantur tigna, ſiue trabes excauatæ, aut inciſæ, & ſculptæ inſtar ciſternarum, ſiue lacunatum. Alij exponunt, *teſtudines*, id eſt, tabulas contignatas inſtar teſtudinum. Alij גבים Gebim interpretantur צלמות Selmoth, *coſtas*, & intelligunt tabulas cedrinas inſtar coſtarum.

POSTIS.

11 Poſtes in ædificiis dicuntur latera oſtiorum ex lapide lignóve, quorum alter

ter fores ſuſtinet cardinibus affixos, alter ſeram recipit, & repagula cùm oſtiū clauditur. Limen autem eſt, quod ex tranſuerſo in ianua ſtatuitur à limo, id eſt, obliquo tranſuerſo, quòd ingredientibus exeuntibúſve tranſuerſum ſit; Nec ſolum inferiorem partem ſignificat, quæ ſub pedibus calcari ſolet in ingreſſu, ſed etiam ſuperiorem, quam Græci ὑπέρθυρον, aut ὑπερθύειον appellant. Interdum ſumitur pro domo ipſa, aliquando pro carceribus, vnde ſtadiodromi curſum auſpicantur: Hinc ſuperliminare eſt limen oſtij ſuperius, hoc eſt, lignum ſiue lapis qui poſtibus ſuperincumbens iugi formam efficit. Dictionem hebraicam אמות Amoth, tam Septuaginta, quàm Chaldæus Paraphraſtes, *ſuperliminaria*, tranſtulerunt Iſai. 6. verſ. 4. vbi legimus: *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinis à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo.* Nec deſunt qui velint poſtes ſignificari. Quia verò אמה Ama cubitum ſignificat, hinc aliqui hunc locum interpretati ſunt: *mouerunt ſe cubitis*, id eſt, commota ſunt limina duobus, aut tribus cubitis. Sunt qui ad אמן Aman, hanc vocem reducant à firmitate, à qua אמנות Omnoth poſtes dicuntur 4. Regum 18. verſiculo 16. verùm etſi voces ſint vicinæ, non eſt neceſſe eandem eſſe radicem.

TABVLA.

Tabula eſt Aſſer in vſum aliquem concinnatus. Aſſeres autem dicuntur tabulæ ſectiles ab Aſſidendo, quod admoueantur hæreántque parietibus trabibúſque, vnde tabulæ etiam dicuntur Aſſeres, quibus nauis compingitur. Denique tabulæ etiam dicuntur Aſſeres, in quibus, aut pingimus aliquid, aut ſcribimus. Vocabantur etiam tabulæ codicilli ex ligno cera obducti, in quibus olim teſtamenta, actáque publica ſcribebantur, vnde etiam hodie quamuis mutata re, tabulas accipimus pro teſtamento, aliíſve publicis ſcripturis ex quauis materia confectis, διαθῆκαι, & γράμματα. Tabula etiam liber eſt, quam ſibi quiſque noſtrum priuatim facere conſueuit, quaſi quoddam memoriæ prōptuarium eorum quæ agimus, id eſt, diarium, & Ephemeris actionum noſtrarum. Propriè autem קרש Keres tabulam ſignificat, in ſacris literis idem quod לוח Lvach aſſerem; Ezechielis autem 27. verſ. 6. hac dictione tranſtra ſignificantur, quæ ſunt tabulata nauis, ſiue tabulæ ſuper quibus ſedebant remiges, vbi *Tranſtra*, tranſtulit Hieronymus: *Quercus*, inquit, *de Baſan dolauerunt in remos tuos, & tranſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico*: Chaldæus Paraphraſtes poſuit: *& tabulas buxinas celatas ebore*: Septuaginta verò interpretes: *& templa tua fecerunt ex ebore.* 12

SARMENTA.


Sarmenta ſunt virgulæ ſuperuacuæ à vitibus abſciſſæ, teſte Feſto, frequētiſſimè tamen etiam ſarmentum accipitur pro flagello adhuc in vite hærente, ſiue id frugiferum ſit, ſiue ſterile: Nam Columela lib. 3. cap. 10. plerumque conſpici ait numerum vuarum in productiſſimo ſarmento. Varro autem de re ruſtica ait emucidum ſarmentum in vite propter infirmitatem ſterileſcere. Palmes autem eſt propriè ſarmentum vitis, inde nomen habens, quòd in modum palmæ humanæ virgulas quaſi digitos edat. Palmes etiam pro flagello vitis aliquando ponitur. Ieremiæ verò 2. verſ. 21. quidam dictionem hebraicam 13

MATERIA LIGNEA.

סורי Svre ſarmenta interpretantur, nempe ſarmenta mala, quæ à vite remouentur, quæ non ſunt ei neceſſaria, imò inutilia: eſt enim סור Svr recedere, declinare. *Ego*, inquit, *plantaui vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena:* Sic Hieronymus quia סורים Svrim ſunt praui, recedentes & declinantes ab eo quod bonum eſt, propterea dixit: *conuerſa es in prauum*, recedens à bono: ſed qui סורים Svrim ſarmenta ſignificare putant, ſic vertunt: *Quomodo verſa es mihi in ſarmenta vitis alienæ*, vel in ramos vitis alienæ, id eſt, in ramos declinantes à vite. Hunc ſenſum videtur ſequi Chaldæus Paraphraſtes, qui interpretatur: *Facti eſtis quaſi vitis in qua nulla eſt vtilitas.* Alij interpretantur: *Facta es mihi in auerſione*, id eſt, in talem vitem, quæ à ſua natura degenerarit & receſſerit, vel à qua ego me auerto, quam auerſor, & abhorreo.

HIERO-





HIEROLOGIA, SIVE SERMO SACER DE SVBSTANTIA SENSITIVA.

Liber quartus.

Caput I. DE SVBSTANTIA QVADRVPEDA mansueta domestica.



NIMAL substantia animata sensitiua ab anima 1
apud Latinos nomen habens, ζῶον, à Græcis vocatum, & ab Hebræis חיה CHAIA, apud vtrosque à vita nominatum est, & quamuis animantis nomen ferè pro animali accipiatur, nonnunquam tamen eius appellatio latius extenditur, ad omnia scilicet quæ habent animam, vt sunt arbores, frutices, & herbæ, quibus animam alentem inesse constat, quam Philosophi recentiores vegetatiuam appellant. Itaque viuere, & mori illa dicimus, nec animalia tamen, sed animantia nuncupantur, vt docet Seneca lib. 8. Epist. moralium. Vox etiam Græca ζῶον vt plurimùm animal brutum significat: Etsi enim bestiæ seu bruta animantia sæpe vocentur ἄλογα ζῶα, id est, animalia irrationalia ad differentiam, non rarò tamen, & sine adiectione vocantur ζῶα ipsa bruta animalia. Estque hic vsus cùm apud alios tum apud Plutarchum frequentissimus; dictio quoque hebraica חיה CHAIA, etsi nonnunquam in sacris literis animā hominis significet, vt plurimum tamen quodcunque animal viuens, siue bestia, siue auis sit, designare solet. Porrò Philosophici quicumque arbitrati sunt mundum esse ab aliquo principio temporis factum, causam efficientem primorum animalium verè tradiderunt. Plato quidem in Timæo animalium opificium à primo, & summo Deo demandatum esse ait Diis secundis, per quos videtur intelligere creaturas spirituales, quæ haberent imperium in res caducas atque mortales. Epicurus putauit animalia omnia in exordio mundi facta esse, ex terra, ob eximiam terræ nascentis bonitatem, nouorúmque syderum efficaciam, Deo nihil ad eorum molitionem conferente; nec hoc debere videri mirum aiebant huius opinionis sectatores, cùm etiam interdum ex terra imbribus madefacta, caloréque solis tepefacta viuas

animantes gigni constet, sicut in locis Ægypti, vbi stagnantes Nili aquæ remanserunt. Auicenna verò opinatus est omnia animalia cuiuscumque sint generis, non solùm in principio potuisse, sed etiam nunc posse generari ex terra: sed constat inter melioris notæ Philosophos falsam esse opinionem Auicennæ.

2 Nobis autem ex sacris literis manifestum est, Deum primis tribus diebus mundum distinxisse, hoc est, tria prima corpora, Cœlum, aquam, & terram; Nam prima die facta luce distinxit diem à nocte, & lucem à tenebris: secunda die per firmamentum separauit aquas cœlestes ab aquis terrestribus: Tertia die aquam segregauit à terra: Nam stirpes tunc productæ pars terræ censentur, quippe cùm terræ radicibus suis infixæ ex ea oriantur, & alantur, & augescant, reliquis autem tribus eadem tria corpora eorum conditor Deus & ornauit, & variis rerum generibus repleuit, eundem prorsus ordinem seruans: Quarto enim die Cœlum syderibus, quinto aquam piscibus, & aërem volatilibus, sexto verò die terram animantibus terrestribus condecorauit atque compleuit. Omnium autem animantium naturæ in quatuor genera summa à sacris auctoribus diuiduntur: ea sunt בהמה Behema, siue חיה Chaia, quod animal dicunt Latini: Alterum עוף Oph, quod volatile dicimus: Tertium רמש Remes, quod calcatile: Quartum שרץ Seres, quod motabile vertere possumus. Ad primum genus omnia quadrupedia referuntur; ad secundum pennatorum omnes species; ad tertium verò minorum animantium & humilium, quæ quatuor quidem pedibus mouentur, & terram calcant, sed eam proximè contingunt, vt mures, ranæ, bufones, rubetæ; quarti verò generis illa sunt, quæ vel quaternis, vel pluribus etiam pedibus, rependo tamen magis quàm calcando progrediuntur, in qua definitione serpentes, viperæ, lacerti, stelliones, & omnes in vniuersum bestiolarum, & vermium formæ continentur.

EQVVS.

3 Scribit Plutarchus Horum post obitum apparuisse Osiridi, quem multarum rerum vsum edocuerit, præcipuéque quod animal vtilius bello esset, sciscitanti equum responderit, cúmque Osiris leonem præstare arbitraretur, respondisse Horum posse quidem eum auxilio esse, verùm vbi semel fugam arripuisset, irreuocabilem abire, cùm alioqui bellatori necesse esset nonnunquam cedere, nonnunquam inclinata iam acie rursum hostes aggredi, próque loco, & tempore fortunæ sese imperiis accomodare, idcircò equum omnibus his officiis omnino magis officiosum esse, vnde Xenophon 3. de Græcorum reditu, *vna, ait, re equites præstant, quod in fuga certium est illis subsidium.* Aristoteles in Ethicis, virtutem in equo eam præcipuè laudat, qua sit ad currendum portandúmque hominem idoneus, & ad inuadendum expectandúmque hostem minimè formidolosus. Galenus de partibus, præualidum ait animal & generosum, cúmque ἴσχυρον dicit μήτε ἄθυμον. Porrò equus animal idoneum bello gerendo esse deprehenditur etiam ex sacris literis, qui & equitem dorso gerit, & currus trahit commodissimè & expeditissimè, frenis etiam paret, & commodissimè ducitur, sicut legimus Prouerb. 21. *Equus paratur ad diem belli.* Magnum

gnum

QVADRVPEDIA MANSVETA DOMESTICA.

gnum etiam, & magnis viribus, & apparatu instructum esse bellum putatur, in quo equi sunt, cuius rei multa sunt exempla in sacra scriptura, vt Exod. 15. *Equum & ascensorem proiecit in mare*, & 4. Reg. 6. Montem plenum equorum cùm vidit Elisei puer, magnum sibi ac præceptori præsidium aduersus inimicos missum intellexit, & humanorum apparatuum ad bellum maximus esse censetur currus & equi, vt Psal. 19. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri sperauimus.* Est etiam honoris insigne equo vehi, maximè à rege, vel principe donato: Huius rei causa Esther 6. Mardochæus equo vectus spectandus, & honorandus per vrbem ductus est: Huc etiam spectat quod legimus Ecclesi.10. *Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram.* Libidinosum etiam, & impotenti nequitia hominem, vel gentem aliquam equus significat in scriptura, vt Ieremiæ 5. *Equi amatores, & emissarij facti sunt: vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat*, & Ezech. 23. *Insaniuit libidine super concubitum eorum.* Denique equus velocitatem etiam denotat in sacra scriptura, vt Zachariæ 1. *Vir ascendens equum rufum:* Regnum enim Babylonicum equi ruffi, nigri verò Persicum, varij verò Romanorum Imperium apud Zachariam significant.

Locum autem illum Oseæ 14. *Assur non saluabit nos, super equum non ascendemus.* D. Hieronymus exponit: *Non habebimus spem in equis Ægyptiorum.* Possumus etiam simpliciter intelligere non confidemus in armis nostris, & equis, vt exposuerunt Theodoretus, & Rupertus. Hieronymus verò in illud Psal. 75. *Dormitauerunt qui ascenderunt equos*, affirmat præceptum esse in lege, vt Hebræi equos non haberent, alluderéque videtur ad illud quod de rege dicitur Deuteron. 17. *Cùmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos*, ad quod videtur allusisse Isaias cap. 2. cùm ait: *Et repleta est terra eius equis, & innumerabiles quadrigæ eius*, vbi Hieronymus: *non est*, inquit, *dignum numero quod contra imperium Dei possidetur*, vnde & Psal. 32. dicitur: *Fallax equus ad salutem*, &c. Basilius in eadem verba testatur, se vbique in scriptura obseruasse, sanctos vitasse vsum equorum, & numerositatem equorum à Deo prohibitam esse, vt Iudæi toti penderent à suo præsidio & succursu, spémque non reponerent in suo militari apparatu. 4

Apud Ethnicos autem Taraxippus Deus cultus fuit ab Eleis, cuius ara erat in Stadiodromo, quem aurigæ colebant: eius enim numen esse putabatur, ne turbaret equos currentes, vt vox ipsa planè indicat. Auctor Pausanias in Eliacis: *Solent*, inquit, *iniecto terrore circa hanc aram equi tam vehementer consternari, vt incertum sit vnde trepidatione sæpe illisis curribus affligantur aurigæ*; quò igitur equo, & propitio vtantur Taraxippo ad eam aram aurigæ vota nuncupant: In sacris autem literis Genes. 49. vers. 17. Dan vocatur coluber in vita, & cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò, quasi Taraxippus, & perturbator cursus & velocitatis, equi impediens progressum eius in bello, & ascensoris conatum, vnde Chaldæus Paraphrastes interpretatus est: *eneruabit equos.* Septuaginta verò interpretes transtulerunt: *mordens calcaneum equi.* Nomen autem hebraicum significans equum, est סוס Sus, quod eius naturam, & ad bellum propensionem videtur indicare: sic enim appella- 5

QVADRVPEDIA MANSVETA DOMESTICA.

tur quòd in bello ſit agilis, & non caput tantùm, ſed & corpus totum, & vocem attollat. Deducitur enim à verbo נסס NASAS, quod eſt eleuare, exaltare præcipuè vexillum; Hinc נס NES vexillum vocatur: סוסה SVSA autem eſt equa: Hinc legimus illud Canticorum 1. verſ. 9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te*, לסוסתי LE SVSATI, ad verbum, *equæ meæ*: ſumitur autem collectiuè *equitatui meo*. Alij putant Iod redundare, vt ſit ſenſus: *equæ in curribus Pharaonis*. Eſt etiam סוס SVS nomen auis ſimilis equo proceritate, ſtatura, & voce, de qua Iſai. 38. verſ. 4. quidam, *grauem*, interpretantur, D. Hieronymus, *turturem*, ſed cùm ſcribatur סוס SVS, legi debet סיס SIS: poſita eſt enim litera Vaud, pro Iod.

6 Aliquando autem in ſacris literis currus pro equis curruum ponitur, vt 2. Reg. 8. verſ. 4. De Dauid: *& ſubneruauit omnes iugales curruum*, ad verbum, eſt in hebraico: *& ſubneruauit omnes currus*, id eſt, equos curruum; ſenſus eſt: *præcidit crura equis omnium curruum*, hoc eſt, eam cruris partem quæ eſt neruoſa, ne eſſent tam celeres, & apti ad bellum, non autem ne omnino graderentur. Itaque currus plerumque pro expeditione ſcilicet curruum & vecturæ sic Synecdochicè equis curruum collectiuè ſumitur, vt cùm hoc loco currus eneruaſſe dicitur Dauid, id eſt, equos in curribus. Eſt autem equus pronus ad libidinem, viſiſque fœminis mox hinnitum emittit: eſt autem צהל SAHAL hinnire, hinnire verò eſt exultare: equi enim cùm hinniunt, exultare videntur. Quemadmodum ergo hinnire apud Latinos proprium eſt vocis equorum, & tamen ad homines aliquando transfertur, ita צהל SAHAL hinnire apud Hebræos ad ſignificandam exultationem, & lætitiam aliarum rerum quandoque vſurpatur. Sic accipiendum eſt illud Ieremiæ 31. verſ. 7. *Exultate in lætitia Iacob, & hinnite contra caput Gentium: perſonate, & canite, & dicite ſalua Domine populum tuum & reliquias Iſraël*, in hebraico eſt וצהלו VE SAHALV hinnite, id eſt, exultate in capite gentium; vnde Chaldæus Paraphraſtes interpretatur: *Exultate in capite: manifeſtate in oculis omnium gentium, aut populorum*: Hæc enim vox metaphoricè idem ſignificat quod exclamare præ gaudio & petulantia. Sic etiam intellige illud Iſaiæ 10. verſ. 30. *Hinni voce tua filia Gallim, attende Laiſa paupercula Anathoth*, id eſt, exalta præ exultatione vocem tuam filia Gallim. Gallim autem nomen eſt prouinciæ, ſeu vrbis, quaſi dicat, exalta, eleua vocem tuam: tanquam tuba, vt audiant viri Lais, & fugiant. Illud autem Pſal. 103. verſ. 15. *Vt exhilaret faciem in oleo*, in hebraico legimus להצהיל LE HASIL, ad verbum, *ad faciendum hinnire faciem præ oleo*, id eſt, præ lætitia. D. Hieronymus reddit: *ad exhilarandum faciem oleo*: vultus enim lætitiam proclamat oleo, vel vnguento delibutus: hinnitus autem in equo hilaritatis indicium eſt.

7 Non deſunt qui equum Latinè dictum putent quaſi æquum, quòd æqui pares eligi ſolerent, qui bigis quadrigiſque iungerentur. Equorum autem alij gradarij ſunt, qui molli gradu, & ſine ſuccuſſura incedunt: contra verò ſuccuſſores ſeſſores frequenter inquietant: Alij veredi in curſu velociſſimi, quibus vſi ſunt in venatione, varias autem equorum varietates refert Ariſtoteles in libris de hiſtoria animalium lib. 2. cap. 3. vbi dicit equis dentes ſenectute

candi

candidiores reddi, & cap. 15. ait, equis deesse fel, libr. autem 6. cap. 22. dicit: equum omnium marium esse salacissimum, excepto homine; lib. verò 8. cap. 8. scribit: equos fruge & herba vesci, sed maximè potu pinguescere, & cap. 24. bibere aquas turbidas libentiùs, & balneum amare, cognoscereque voces eorum cum quibus pugnauerint: lib. autem 3. de partibus animalium cap. 4. *Cor*, inquit, *sine osse est omnium quæ nos nouerimus, præterquàm equi, & generis boum cuiusdam, quibus præ magnitudine, quasi adminiculum subditum est, quomodò etiam totum corpus sustentatur ac continetur.*

CAMELVS.

Camelus animal quadrupes est, quod crura prolixa, collum oblongum habet, sitim per triduum tolerat, sed cùm inuenit aquam tantum bibit, vt præteritæ & futuræ siti satisfaciat. Bracti Camelis vtuntur & Arabes, vt scribit Diodorus: sed in hoc differunt, quòd Arabici in dorso bina habent tubercula (hos Dromedarios vocant) Bractani singula, dicti autem Dromedarij à velocitate cursus. Illud etiam notandum est, Camelum dici quoque funem montium, quo anchoræ religantur: in vocibus latinis nulla est distinctio harum rerum apparet autem in dictionibus græcis: nam Camelus animal vocatur græcè κάμηλος per literam η, at verò κάμιλος per literam Iota, rudentem, seu funem nauticum denotat, licet autem magis propria metaphora ad foramen acus videatur esse funis nauticus, quàm animal Camelus, quando in Euangelio legimus: *facilius est Camelum per foramen acus transire*, D. tamen Hieronymus Christum de animali, non de rudente intellexisse vult, cui rei non solùm veteres qui idipsum tractando adstipulantur, verùm etiam nominis vna litera (quam assignauimus) differentia assentitur, præter quod τὸ ἀδύνατον id est impossibile, de quo loquitur Christus, magis explicatur per tortuosum hoc animal, quàm per rudentem: *quæ impossibilia*, inquit, *sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum*: sic enim habet Hieronymus in epistola ad Saluinam de seruanda virginitate: *Didicimus quomodò Camelus introire possit per foramen acus, quomodò animal tortuosum deposito pondere sarcinarum assumat sibi pennas columbæ, & requiescat in ramis arboris, quæ de sinapis semente succreuit.* hæc Hieronymus. 8

Magnum animal Camelus est, & ad onera ferenda commodissimus: diuitiarum autem non ignobilis est pars in ea regione, vbi ali commodè potest, propter vastitatem autem corporis pro re maxima & conspicua vsurpatur in sacra scriptura, siue in bonam siue in malam partem, vt Matth. 24. *Deglutientes Camelum & culicem excolantes*, & Lucæ 17. quod iam citauimus à Christo dictum, *facilius est Camelum per foramen acus intrare*, &c. Aliquando Cameli pro regione ipsa, vbi frequentissimi sunt appellantur, vt Isaiæ 60. *Inundatio Camelorum operiet te, Dromedarij Madian & Ephra.* Obedit autem Camelus verberibus, & metu continetur, est ieiunij patiens, & oneri suo quadam disciplinæ ratione succumbit. Est autem animal immundum, ruminans quidem, sed non diuidens vngulam, & præsefert quandam oris & totius corporis fœditatem, diciturque seruare iram, donec vindicari possit. Viuunt autem Cameli annis quinquagenis, & quidem centenis. Teste autem Plinio lib. 8. cap. 18. naturalis historiæ, Cameli odium aduersus equos gerunt naturale, & equi aduer 9

aduersus Camelos, neque aspectum odorem que eorum ferre possunt. Notum est quid egerit Cyrus aduersus validum Lydorum equitatum, cui suas copias impares suspicabatur: ingentem enim is Camelorum gregem ante pedites in acie prima statuit, facto in Lydorum equitatum impetu.

10 Vocatur autem Camelus voce hebraica גמל GAMAL: sic enim vocatur hoc animal 1. Reg. 15. Dicuntur etiam Cameli כרכרות CIRCAROTH: sic autem dicuntur, quòd sint animalia velocia in ambulando & leuia: nam כרכר CIRCER in piel est subsilire, saltare, vt habes 1. Reg. 6. vers. 14. vbi legimus de Dauide: *saltabat totis viribus coram Domino*, מכרכר MECARCER saltantem. Idem legimus vers. 16. Quare illud Isaiæ 66. vers. 26. *Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino in equis & quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis.* Quidam sic ex hebraico interpretantur, vt pro eo quod Hieronymus & Aquila interpretati sunt, *in carrucis*, ponãt, *in Camelis*, quia in hebraico legimus, ב כרכרות BE CIRCAROTH: significat enim hæc dictio, vt dictum est, velocia animalia. Non desunt qui equos gradarios esse putent, saltãtes & tripla proportione incedentes. Camelus autem fœmina in sacra scriptura appellatur בכרה BICRA: vocatur autem sic à velocitate in currendo & celeritate, quòd alia animantia anteuertat: est enim בכור BECOR primogenitus, qui anteuertit vel celeriter est natus, quanquàm alij primogenitos Camelorum paruulos sic dictos volunt, ac postquam sunt ablactati dici גמלים GEMALIM Camelos.

ASINVS.

Asinus est animal rude, pigrum, seruiens hominibus ad onera ferenda, vn-
11 de & iumenti nomen habet, solet assumi in significationem fatuorum & desidum. Notãda autem est illa parœmia, *asinus asino, sus sui pulcher* id est, simile simili placet; conueniet autem vbi inter inhonestos similitudo morum & instituti conciliat beneuolentiam, veluti cùm placet aleator aleatori. Præterea asinus balneatoris dictum est in eos qui ex suis laboribus ipsi nihil fructus caperent. Plutarchus autem in libro περὶ τῆς φιλοπλουτίας: *Nihil*, inquit, *inde capiens commodi, velut asinus balneatoris, qui ligna & sarmenta defert semper, fumo & fauillis oppletus, nunquam autem particeps balnei, neque teporis, neque munditiei:* loquitur de diuite porco & sordido, qui cùm sit onustus diuitiis, non vtitur tamen. Prouerbium etiam illud: *Asinus stramenta mauult quàm aurum:* explicat Aristotelis Moralium Nichoma. 10. disputans non eandem esse omnibus voluptatem, cùm aliis rebus delectetur canis aliis equus, aliis homo: asinis enim pabulum auro est iucundius, teste autem Aristotele 3. de historia animalium cap. 19. Asino inter ea quæ animal generant crassissimus, & nigerrimus est sanguis, & 2. de historia animalium cap. 15. scribit asino deesse fel, & iuxta id quod docet lib. 9. cap. 1. habet asinus hostes lupum & etiam coruum, & lib. 8. cap. 25. ait esse asinum frigoris impatientem, & ob eam causam Scythiam & Pontum asinis carere, quæ omnia ad sensus allegoricos eorum locorum sacræ scripturæ notanda sunt, vbi de hoc iumento occurrit sermo.

12 Notanda quoque est vox hebraica חמור CHAMOR quæ asinum significat, & aceruum siue sarcinam, vnde quidam ab aceruis siue sarcinis gestandis asinum

num hebraicè dictum putant: hinc & *ὑποζύγιον* à Matthæo Euangelista dici, id est, subiugale cap. 21. Non desunt qui dicant asinum sic dictum à turbido cerebro, quia חמר CHAMAR est turbare: in illo autem loco Iudicum 15. vers. 16. vbi legimus: *In maxilla asini, in mandibula pulli asinorum deleui eos, & percussi mille viros.* Quidam notant pulchram quandam paronomasiam: nam pro eo quod D. Hieronymus transtulit: *pulli asinorum*, in hebraico est חמור חמרא חיים CHAMOR CHAMORA TAIIM, quod quidam transferunt: *aceruum aceruorum*, id est, cateruam Philistiim: vt sit sensus: *Et in mandibula asini deleui cateruam eorum, & percussi mille viros*: cùm enim verba hebraica ad verbum significent aceruum aceruorum, siue aceruum, & duos aceruos, per ea iuxta hunc sensum magna indicatur multitudo.

Præterea quia literæ hebraicæ quibus significatur asinus, variis possunt affici punctis, sic consequenter varias habere significationes: nam si sonent חמר CHAMOR, significant asinum, si verò sonent חמר CHOMER, designant chorum genus mensuræ. Hinc fit, vt duplicem possit recipere expositionem locus ille 4. Reg. 6. vers. 25. *factáque est fames magna in Samaria, & tandiu obsessa est donec venundaretur caput asini octoginta argenteis*, D. Hieronymus legés חמר CHAMOR, interpretatus est, *caput asini*, similiter Chaldæus Paraphrastes, qui reddit *caput.* חמרא CHAMORA, id est, asini. Qui autem legunt caput CHOMER interpretantur *caput*, id est, summam chori, nempe frumenti, vt sit sensus: *Donec venundaretur summa chori frumenti octoginta argenteis*: nam hoc mensuræ genus dictum CHOMER, mensuram frumenti significat quantum CHAMOR, id est, asinus portare potest. Asina autem vocatur אתון ATHON. Onager verò, siue syluestris asinus vocatur פרא PERE, & per translationem homo syluestris eius nomine appellatur, vt Genes. 16. vers. 12. Feræ nomen latinum nomini hebraico פרא PERE videtur alludere, quia ferarum videtur esse fera notissima Onager. Quidam ad פרה PARA, quod est fructificare, reducunt nomen hebraicum Onagri PERE, quòd feræ domesticis animantibus fœcundiores esse soleant. Vocatur quoque asinus syluestris, siue onager ערוד AROD: tradunt autem inter omnia animantia hoc maximè esse indomitum. 13

In sacris autem literis asinorum possessio inter armenta & diuitiarum partes censetur, vt Gen. 32. *Habe*, inquit, *boues & asinos*, &c. illud autem Prouerb. 26. *Flagellum equo, & chamus asino*, disciplinam perperam institutam significat: sepultura autem asini, ignominiosam sepulturam, dedecus etiam post mortem obeundum Ieremiæ 22. significat: est enim sepultura asini sterquilinium. Carnes autem asinorum dixit Ezechiel. capit. vigesi. tertio vt impuram & impotentem libidinem, & monstruosam stupri appetentiam significaret: modestiam autem summam, & profundam humilitatem Christi regis indicauit Zacharias cap. 9. illo oraculo: *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam & super pullum filium asinæ.* Ioann. 12. Onager autem Ieremiæ 2. consiliorum, & actionum temeritatem & insolentiam significat, vbi legimus: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum.* 14

MVLVS.

Mulus animal est quod ex asino & equa generatur, qui autem ex equo & asina 15

QVADRVPEDIA MANSVETA DOMESTICA.

asina genitus est pullus hinnulus dicitur. Plinius lib. 8. historiæ animalium cap. 44. ait, ex asino & equa mulum gigni mense duodecimo, animal viribus in labore eximium, & paulò post: *Equo*, inquit, *& asina genitos mares Hinnos antiqui vocabant, contráque mulos quos asini & equæ generarent.* Muli autem sicut & equi ad bellum commodi sunt: aptiores tamen ad onera accipienda & portāda Horum vsus regibus, & regum etiam filiis ad vehendum erat, vt ex sacris literis colligimus: Salomonem enim super mulam regis Dauid circumductum omni populo, regio nomine salutandum legimus 3. Reg. 1. Est autem mulus equo stupidior & ineptior, cui homines à rationis vsu alieni, & vitio corrupti similes esse dicuntur, vt psalm. 31. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Dicitur verò mulus apud hebræos רכש Reces, vt habes Esther 8. vers. 10. sic autem dicitur quasi de substantia regis, inter opes regum computabantur muli: nam רכש Recus est facultas, substantia, opes, diuitiæ, & quidquid homo acquirit: רחש Racas enim est acquirere facultates, substantiam, congerere opes. Hinc ergo muli sic nominati sunt, quòd ad diuitias regum spectarent. Vocantur etiam muli אחש תרנים Achas theranim, quòd animalia sint magna & honorabilia, ex duabus speciebus equa & asino componitur hæc dictio, ex אחש Achas, quod Syriacè magnum & honorabilem, siue principem significat, & תרין Therin, id est, duo etiam Syriacè, siue Chaldaicè, quasi animal magnum & honorabile ex duabus speciebus genitum. Hi autem latinè veredi vocantur, muli nempe nati ex equa, & onagris mansuefactis: nam veredus apud latinos equus est cursus velocissimi, qualibus antiqui vtebantur in venatione. Veredis item vtebantur principum tabellarij, qui mutatis per stationes equis, quàm velocissimè quò instituerentur peruenirent, qui inde etiam veredarij appellati sunt. Putant autem dictum veredum à vehenda rheda, vnde & veredarium vrbis apud Hieronymum legimus, metaphora profectò non inuenusta, pro gubernatore, rectore, vel administratore: *Singula*, inquit, *metuunt veredarium vrbes offendere:* quamquàm non desunt qui Rhedarium ibi potius, quàm veredarium, legendum censeant.

16 Ex his loci illius Esther cap. 8. vers. 10. explicatio facilis est, vbi legimus: *Ipsaque epistolæ, quæ ex Regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios, qui per omnes prouincias discurrentes, veteres literas nouis nuntiis præuenirent*, id est, per equites mulis & veredis equitantes, ad verbum in hebraico legimus: *per mulos magnos & honorabiles, ex duobus genitos filios equarum*, quæ omnia vna dictione comprehendit D. Hieronymus, cùm ait: *per veredarios*, id est, principum tabellarios, huiusmodi velocissimis mulis equitantes. Hoc ipsum significare voluerunt Septuaginta interpretes dicentes: *Et miserunt literas per veredarios*, quod magis explicat Chaldæus Paraphrastes, qui sic locum hunc interpretatur: *Misit*, inquit, *literas per manus cursorum currentium equis, & ascensorum celerum equorum & mulorum equinorum.* Vocatur præterea mulus voce hebraica פרד Pered, vt habes 3. Reg. 4. quem ita dictum volunt à separatione quòd non gignat, & separatus sit: id enim significat פרד Parad separare, diuidere. Denique Gen. 26. vers. 24. dicuntur muli ימן Iemin: nam iuxta aliquorum

quorum sententiam Ana faciebat coire asinos cum equa, sicque nati sunt muli, ideò putant dictum esse iumentum ימין Iemin, id est, huius nouæ speciei animalis, quod D. Hieronymus *aquas calidas*, alij, *maria*, aut *congregationes aquarum*, alij, *gygantes interpretantur.*

S V S.

Sus porcus est, & tam de feris quàm de domesticis dicitur. Plinius libr. 8 cap. 51. ait sues feras semel in anno gignere, propriè sus domesticus porcus dicitur: ferus verò aper. Dicitur autem porcus ab eo quòd porrecto rictu pascitur, & terram, dum herbarum radices limatur latiùs porrigat. Porcus autem marinus, piscis marinus est, quia cùm capitur gromniat. Aper itaque porcus syluester est, græcè κάπρος dictus, vnde remota prima litera aper dicitur, Varro de lingua latina lib. 4. *Apri*, inquit, *ab eo quòd in locis asperis vescantur, dicti sunt*, nisi à græcis deductum malis, qui hos κάπρος vocant. Sus autem iuxta sacras literas in animalium vetitorum erat numero, eò quòd ferarum genus partim referat, & studiosè immunditiam affectet, stultitiæ autem & indisciplinati animi atque inanibus, & immundis rebus intenti, imaginem refert porcus sicut legimus Matth. 7. *Nolite mittere margaritas vestras ante porcos.* Deinde etiam vitium studiosè conceptum, & vltrò additum atque admissum significat illud prouerbium 2. Petri 2. *Sus lota in volutabro luti.* Suem autem, siue porcum חזיר Chazir vocant hebræi, cuius immunditiam vox ipsa hebraica sonat: radix enim ipsa vnde oritur, volutare significat, seu voluere se, quòd se in cœno volutet & voluat, maximè ventri indulget, estque voracissimus, ideò in sacris literis quę exterminantur & consumuntur eius voracitati comparantur: sic psalm. 79. vers. 14. *Exterminauit eam aper de sylua*, id est, consumpsit eam חזר Chazar porcus de sylua, id est, aper syluestris, vel impleuit ventrem ex ea aper syluestris. 17

C A N I S.

Canis animal est deseruiens homini ad societatem & blanditiem, latrans aduersus extraneos: est iracundum & salax. Est etiam custos gregis lupos arcens, immundum quoque animal est, & vorax, & carniuorum, & reuertitur ad vomitum suum. Dicitur autem canis à canendo, quòd nocte in custodia, & in venando signum det voce. Aristoteles de historia animalium lib. 6. scribit: canes iuniores dentes habere candidos & acutos, seniores verò nigros & hebetes, & canum catellos generari cæcos, nec ante duodecimum diem visum accipere, vt lib. 2. cap. 1. dicit mammas habere in vẽtre. Scribit etiam lib. 1. cap. 1. canem animosum esse, amatorem & assentatorem, & lib. 5. cap. 14. dicit: canibus senescentibus vocem esse grauiorem, & lib. 9. cap. 6. canes cùm lumbricis infestantur herbam tritici comedere solitos. Valet autem canis ingenio & sensu acutissimo, & tamen defectibus est immodicis præditus, amoris, libidinis, odij, & inimicitiarum, atque crudelitatis, & sæuitiæ. Præterea immundus est, omnia comedens, etiam putrida & immunda, atque salacissimus inter homines educatus. nec ab humana carne abstinet: sanguinis etiam lingendi auidissimus: sæpissimè mingit & vbique. Hæc ideò naturæ obseruatio facit, vt in sacra scriptura in contemptibilium, vel crudelium, vel prophanarum, 18

vel aliarum abominandarum personarum significatione ostendenda, canis nomen vsurpetur. Neque verò homines tantùm, sed res quoque reiiciendę canibus destinantur, vt execrabiles: námque canis, nec ad sancta admittitur in sacrificium, nec ipsi partem aliquam sacrificij comedere permittitur. In sacris quoque literis execrabilem & despectum significat, vt 2. Reg. 16. *Quare*, inquit, *maledixit canis hic mortuus domino meo Regi*, & 4. Reg. 7. *Quid enim sum seruus tuus canis, vt faciam rem istam magnam*, & Eccles. 9. *melior canis viuus leone mortuo.* Refert quoque inimicum & inuidentem, ac detractorem, vt psalm. 21. *circundederunt me canes multi*, & paulò post: *Erue a framea animam meam & de manu canis vnicam meam.* Denique canes pro Prophetis vsurpari solent, & pro iis qui pastoribus populi ad custodiam & consilium adduntur, vt Isaiæ 56. *Canes muti non valentes latrare*, periculum præterea impudenter aditum significat prouerbium illud Salomonis Prouerb. 26. *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur malitiæ alterius.* Sumitur etiam canis pro Gentibus & prophanis hominibus, ac vitio deditis, & disciplinæ contemptoribus, impurisque animis, vt Eccles. 13. *Quid sancto homini ad canem.* & Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus*, & Marci 7. *Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus*, Philipen. quoque 3. *Videte canes, videte malos operarios.* Hinc factum est, vt canis hebraica voce dictus sit כלב Celeb à vilitate & contemptu, vt quibusdam placet, qui hanc vocem affinem faciunt nomini כבל Cebel, quod compedem ferreum, aut cathenam ferream denotat; vnde & כבל Cabul proprium loci nomen est 3. Reg. 19. vers. 13. vocatúrque terra Cabul, eò quòd pedes veluti compes ob multum lutum detineret. Alij canem putant dictum כלב Celeb, quòd fidelis sit, vt sit quasi cor: nam כ significat quasi, sicut, & לב Leb cor, vt sit quasi cor, fidelis homini. Canocephali autem meminit Augustinus lib. 2. de ciuitate Dei cap. 14. latinè autem canicipitem sonat. Diodorus lib. 4. Cinocephelorpore humano, vocéque dicit esse, caninis capitibus fera animalia, atque indomita, multósque in insulis Nili reperiri.

Cap. II. DE SVBST. QVADRVP. MANSVETA AGRESTI.

PRæter quadrupedia mansueta domestica, occurrunt in sacris literis animalia quædam alia, quæ cùm sint quadrupedia mansueta, vt plurimùm non domi, sed in agro versantur, vbi suos habent pastores, siue dominos, quorum industria aluntur & gubernantur: notitia verò eorum & consideratio tum ad sensus literales eruendos, tum ad allegoricos vtilissima erit sacræ scripturæ studiosis.

B o s.

1 Boues ararios quibus vtitur homo ad agrorum culturam, mactari & immolari vetuit Solon, alioquin capitale erat, qua etiam ratione Attica lege mactari boues aratorios non potuisse Ælianus refert variæ historiæ lib. 5. Plinius libr. 8. historiæ naturalis cap. 45. scribit: iudicio populi Romani in exilium actum eum, qui bouem aratorium occiderat, & ex Varrone socium laboris, & agriculturæ occidi, dum bos occideretur. Porrò Persæ barbara ceremonia bo-

uem in

uem in leoninam faciem conformatum, ex antro cornibus arreptum educebant ad sacrificium. Quippe cùm taurus plurimùm terrenum animal sit, terræ & inferis potestatibus damnatum, cùm Soli ab ea gente esset dedicatum, quia Sol vim suam in vniuersam terram exercet, ideò huiusmodi bouem extrahebant ex antro, vt indicarent vim eius in terræ visceribus delitescere. Instituerunt ergo id genus sacrificij eum ex antro educentes Solique mactantes, vt frugum feracitati consulerent. At verò Athenienses, quo frugali eius labori gratiam referrent, bouis effigiem numismatibus honestarunt; id autem didrachmum erat, vt 9. lib. refert Pollux: id enim honoris boui veteres habuerunt, ob multas quas ex eo consequimur vtilitates, vt in aureorum nummorum parte vna, bouis effigies, in altera principis facies cuderetur. Cæterùm Plutarchus bouis figuram in nummis cudere institutum à Theseo tradit, vel ob taurum Marathonium, quem ipse edomuerit, vel ob Minois ducem, quem singulari certamine deuicit, vel vt hoc honore bobus præstito ciues ad agriculturam alliceret.

Ægyptij autem, vt Herodotus auctor est libr. 2. longè à principio, boues fœminas venerabantur, ex omnibus pecudibus longè plurimùm, & cùm boues mares, eosdémque mundos ac vitulos vniuersi Ægyptij immolarent, fœminas eos immolare non licebat, vtpote Isidi consecratas: nam Isidis simulacrum muliebre est, bubulis præditum cornibus. Et hæc est causa, cur decem Tribus vaccas, vitulásque erectis templis adorarent: earum enim gentium inter quas vixerunt, postea idololatriam imitati sunt, maximè Ægyptiorum; vnde legimus Oseæ 10. *vaccas Bethauen coluerunt*, sic etiam Exodi 32. *Vitulum fecerunt, & pro Deo adorauerunt*, qui vitulus vt S. Clemens docet 6. constitutionum Apostolicarum cap. 10. & Lactantius lib. 4. diuinarum institutionum ca. 10. fuit Apis Ægyptius bos, alio nomine Serapis dictus, quem certos vitæ annos excedere non licebat, atque ideò in lacum demersum, defunctúmque plangebant, & alio inuento mirificè lætabantur, vt scribit Alexander ab Alexandro libr. 6. genialium dierum cap. 2. Hunc autem Osirim appellauerunt quoque Ægyptij, quem patrem & iustum, & ducem, & regem, & consultorem in suis literis sacris appellant, quem quidem tanto prosequuti sunt cultu, vt ingẽtia super eo volumina scripta fuerint à plerisque, eóque vanitatis progressum, vt eum boue alioqui sterili prædicarent genitum. Bouem námque fulgure afflatum fieri grauidam eóque conceptu Apim nasci persuasum habuere. Signa autem quibus Apis afficiebatur, hæc erant: cùm toto corpore niger esset, in fronte candorem quadratæ præferebat, in tergo effigiem Aquilæ, cantharum in palato, duplices in cauda pilos. Qui verò in multis locis sculptus visitur, Lunæ etiam speciem in latere gestat, vt in palatio quodam Romæ apud D. Marcelli ædem. Hic ergo est ille Apis, quem hebræi, Moyse in monte orante sibi Deum conflauêre, & dixerunt: *Hi sunt Dij tui Israël*, quando formatum vitulum conspexerunt: eam enim sequuti sunt consuetudinem, quam in Ægypto viderant obseruari ab ea gente. 2

Dictus autem est bos ἀπὸ τοῦ βόσκω, quod est pasco quòd homines pascat laboribus suis. Iuuenci autem in bubulo genere dicuntur iuniores, qui iam vi- 3

tuli esse desierunt, secundo scilicet ætatis anno, ita dicti à iuuentute teste Varrone lib. 2. de re rustica cap. 5. vbi quatuor ponit ætates in genere bubulo, vt prima sit vitulorum, secunda iuuencorum, tertia boum nouellorum, quarta vetulorum. Bubulus autem animal est simile boui, vel syluestris bos, colore niger, fortissimis cruribus, & breuibus respectu corporis, cornua habet longa & inflexa nigráque, parui pili, & paruæ caudæ, præterea est magnæ velocitatis. Plinij ætate Bubuli Romæ erant solo nomine noti, vnde non mirum videri debet, si cerui aut vituli figura esse dixerit. Primi autem bubuli creduntur ex Africa esse adducti: nunc autem tanta eorum in Italia copia est, vt vix alio animali ad agriculturam vtantur. Taurus autem est mas in genere bubulo, & & vaccarum admissarius. Accipitur & pro quocunque forti boue, tam in sacris quàm prophanis literis.

4 Si autem de bouis voce hebraica sit consideratio, illud primùm notandum bouem dici בקר Bacar, esseque nomen generale seu collectiuum, complectens armenta, id est, maiora animalia, quę gregatim pascuntur, vt boues, vaccas, vitulos: vt צאן Son de grege ouium, & minutorum animantium effertur: בקר Bacar autem est pascere oues, & propriè quærere significat, quod quidam à בקר Bocer, id est, mane, deflexum volunt, quasi manicere dicas, hoc est, mane inquirere, inspicere seu inuisere, vt שחר Secher in aurora quærere, à שחר Sachar aurora: sic intelligimus locum illum Amos 7. vers. 14. *Armentarius ego sum vellicans Sycomoros*, pro armentario in hebraico est בקר Bocer, *pascens oues* quasi inquirens & curans armenta, inuisens ea, atque inspiciens: id enim est esse armẽtarium. Itaque ab inquisitione, cura, & inspectione hominum nomen hoc בקר Bacar, quod bouem & armentum significat, deductum est, quia hominum gubernatione armẽta opus habeant. אלוף Aluph quoque bouem significat, hinc etiam Aluph vocatur ductor. Hoc nomine Dauid Achitophelem appellauit, vbi legimus: *Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus*, psal. 54. vers. 14. Vocat itaque illum Aluph, quasi præceptorem, & magistrum suum. Dicitur quoque taurus אביר Abir, à fortitudine: est enim אבר Roborare, fortificare, vt Isaiæ 34. vers. 7. *Et descendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus.* Idem habes Ieremiæ 50. vers. 11. & psal. 21. vers. 13.

5 Bouem autem iam hebetiorem & crassiorem, iámque distento corpore plenum, iustáque iam ætate & magnitudine hebræi vocant שור Sor, à verbo שור Sur, quatenus significat munera deferre; indiget autem ad hoc bos magnitudine idonea & ætate perfecta. A Chaldæis appellatur תור Tor: hinc græci & latini tauri nomen sumpsisse videntur: à latinis enim taurus, à græcis verò ταῦρος vocatur. Significat etiam שור Sor murum, in qua significatione D. Hieronymus interpretatur locũ illum Gen. 49. vers. 6. *Quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum*, vbi pro muro Sor positum est in hebraico. Chaldæus quoque Paraphrastes ibi *murũ* reddit, qui pro חמה Choma, id est, muro, sępe in Chaldaica translatione ponit שור Sur, & שורא Sura; Septuaginta verò interpretes bouem interpretati sunt, nempe ταῦρον, quòd bestias eneruarint: cùm enim eorum oues, boues, & asinos ceperint, fieri

potest

potest vt partem eneruauerint, quia res molesta, difficilis, & onerosa fuisset secum abducere omnes vrbis bestias, cùm recederent quasi fugientes. Hoc ergo significasse videntur Septuaginta, cùm dixerunt subneruasse bouem. Alij autem putant hoc loco bouem esse cognomen dominationis, sicut aliàs scriptura magnos principes vocat arietes & hircos: sic & Deuter. 33. vers. 17. Ioseph *bouem*, appellauit, vbi legimus: *quasi primogeniti tauri pulchritudo eius*, vocátque eum sic propter eius magnificentiam, & rerum gestarum amplitudinem. Itaque sensus est: *subneruauerunt bouem siue taurum*, id est, illius terræ Dominum. Quidam recentiorum sic vertunt: *pro libidine sua euerterunt propugnaculum*, vt idem sit cum שור SVR, quod exponunt, *ædificium*, vnde prospicitur, vel quod extenditur, & procurrit per omnes commissuras compactum, & more bouis completum propugnaculum, & promontorium.

Appellatur quoque bos עגל EGEL, sed dum vitulus est: vitula verò dicitur עגלה EGLA. D. Hieronymus Genes. 15. vers. 19. *Vaccam triennem*, vertit: Septuaginta *vitulam triennem*. Non desunt qui, *vitulam triplicatam*, interpretentur, & non triennem: rationem reddunt, quia filia trium annorum non iam dicitur עגלה EGLA vitula, sed פרה PARA vacca: vitula enim dicitur, quæ non est fœcunda adhuc; quæ verò iam fructificat, dicitur פרא PARA, à fructificando. Differunt itaque hæc inter se, ita vt vitulus dicatur עגל EGEL, dum tener bos est, & sine fructu, iuuencus autem qui iam adultior est; cùm autem generat & fructificat, dicitur פר PAR, à fructificando: Taurus autem iam plenè distentus, & compactus vocatur שור SOR. Quod autem legimus, Exod. 29. vers. 1. *Tolle vitulum de armento*, in hebraico est פר אחד PAR ECHAD, ad verbum, *Iuuenculum vnum filium armenti*, siue *filium bouis*, vnde colligimus פר PAR non significare taurum, sed tauro minorem, quare vitulum transfert D. Hieronymus, idémque vult significare Chaldæus Paraphrastes, cùm vertit תור THOR, *bouem filium*, תורי THORE *boum*: sed confunduntur sæpe hæc nomina: Nam aliquando פר PAR etiam seniorem bouem designat: interdum verò vitulum, sed eius significatio ex textus consequentia desumenda est, si aliquando à propria significatione deuiet, & aliena videatur. 6

Sunt autem hæc præcipuè in hoc animalium genere consideranda, quæ ex sacris literis percipimus: Primum eorum vtilitas, ad multa enim hominibus sunt commoda, siquidem & agris colendis, & curribus oneribúsque trahendis boues hominem iuuare possunt, & horum femellæ lacte pascere possessores valent, & occisum etiam hoc animal mundum esuíque aptum habetur. Constat autem minore sumptu, & negligentiorem custodiam sui fert: Hinc Isai. 11. *Et Leo quasi bos comedet paleas*, sic Daniel. 4. *Et fœnum sicut bos comedet*. Boues quoque siue vaccæ, eo quòd semel per annum pariant, & anni etiam labores, atque agriculturæ opus adiuuent, annorum symbola sunt apud somniorum coniectores, vt ex Pharaonis somno constat Genes. 41. Præterea vitulus saginatus populum opulentum excisioni tamen iudicio diuino destinatum significat, vt Ierem. 46. *Mercenarij quoque eius, qui versabantur in medio eius quasi vituli saginati versi sunt, & fugerunt, nec stare potuerunt, quia dies interfectionis eorum venit*. Vituli quoque, & tauri principes, & potentes ac superbi dicuntur, vt Ie- 7

remiæ 50. *Quoniam effusi estis sicut vitulus super herbam, & mugistis sicut tauri.* Hostes quoque fortes, & feri vituli dicuntur Psal. 21. *Circundederunt me*, inquit, *vituli multi, & tauri pingues obsederunt me.* De bobus autem agens Aristoteles li. 2. de historia animalium cap. 1. scribit, habere dentes continuos, non serratos, quales habent equus & canis, quorum series acutorum dentium mutua insertione pectinatim se constipat, & lib. 8. cap. 7. dicit, boum iuniorum cornua tepefacta in cera duci facile: capite autem 24. docet, boues ea esse natura, vt nolint bibere nisi aqua sit limpida, & clara atque frigida lib. autem 5. cap. 15. scribit, bouem vocem variare sexu & ætate: libro verò 4. cap. 11. bobus fœminis vocem esse grauiorem. Vitulus autem marinus ex genere est amphibiorum omnium animalium somniculosissimum, tam in terra quàm in mare vitam agens, pecudum more nunquam plures geminis, eósque mammis educat, nec ante 12. diem ducit in mare: grauissimum in somno edit mugitum, vnde & vituli nomen accepit. Vide Plinium lib. 9. cap. 13.

ARIES.

8 Aries est masculus, qui in grege pecudum aptus est ad saliendas oues & generandum, solétque esse ductor gregis: est natura cornupeta, iracundus, & assultorius, estque animal mundum, & offerri solet ad sacrificium. Vocatur autem ille veruex, cui vniuersi adempti sunt testiculi. Ab ara dictus est aries, quòd aris imponi ad sacrificia soleret, sicque appellatur qui ad generandam sobolem integer tenetur. Sectarius autem veruex est, qui gregem agnorum præcedens ducit, & ideò veruex dicitur, quòd sit natura versa, cui inuersi sint testiculi. Ab arietis similitudine, bellica machina aries appellatur: nam sicut scribit Vegetius lib. 4. cap. 14. materia ac tabulis testudo contexitur, quæ ne flammis exuri possit, corio siue cilicio vestitur; intrinsecùs recipit trabem, quæ si adunco præfigitur, ferro falx vocatur, ab eo quòd incuruata est, vt ex muris lapides extrahat: si verò caput ipsius ferro tegitur, aries appellatur, quòd instar arietini capitis fieri soleret, vel quòd habet durissimam frontem, qua subruat muros, vel quòd more arietum retrocedit, vt multo vehementius feriat. Est etiam aries cœleste quoddam signum.

9 Aries denique in pecudum grege stupida quidem natura, sed petulantiori est, quàm fœmina: capitosum etiam animal est, & erga debiliores sui gregis violentum & contentiosum. Quia verò salax; ideò non sine significatione ad sacra adhibetur, in quibus adeps præcipuè incenditur & armi, vt habes Leuit. 4. Atque in sacrificiis pro peccato duo arietes offerebantur. Solet autem arietum nomen in sacris literis pro principibus, & potentibus ac tyrannis vsurpari, sic Ezechiel. 39. *Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ bibetis, arietum agnorum, & hircorum, taurorúmque, & altilium, & pinguium omnium.* Arietem autem cornu omnia petentem & ventilantem, quem Daniel vidit, ipse regnum Persarum est interpretatus. Arietem verò bicornem Persarum, & Medorum exposuit. Vocatur autem aries hebraica voce איל AIIL, à fortitudine: est enim איל AIL fortitudo, significátque arietem, qui iam annum transiuit.

OVIS.

QVADRVPEDIA MANSVETA AGRESTIA.

O V I S.

Ouis est pecus lanigera admodum mansueta, lana & pelle vestiens homi- 10
nes, carne verò pascens. Erat eius magnus vsus in sacrificiis, & etiam agnorum ab ea genitorum. Aristoteles de historia animalium lib. 9. cap. 3. *Genus*, inquit, *ouile amens, & moribus, vt dici solet, stultissimus est, quippe quòd omnium quadrupedum ineptissimum sit: repit deserta sine causa, hyeme obstante ipsum sæpe egreditur stabulum occupatum à niue; nisi pastor compulerit, abire non vult, sed perit desistens, nisi mares à pastore ducantur: ita enim reliquus grex consequitur. Docent pastores suas oues gregari, facto strepitu. Nam si cùm tonuerit aliqua relinquatur quæ non concurrerit, abortum facit; vnde fit, vt si quem domi strepitum moueris, omnes concurrant propter consuetudinem.* Item lib. 3. cap. 21. ait, ouibus lactis copiam facere fabas largiùs datas, cap. etiam 14. lib. 5. docet eam prolem ouium esse præstantiorem, quam senescentes mares, & fœminæ procreauerint. Denique lib. 8. cap. 10. scribit oues maximè pinguescere ex potu, & ipsis pascua ad occasum spectantia esse commoda.

Vocatur autem ouis in sacris literis voce hebraica רחל Rachel, vt habes 11
Genes. 32. vers. 14. & Canticor. 6. vers. 5. sicut & in aliis locis: dictio enim צאן Son, quæ ouem quoque significat, in diuinis literis communiter vsurpatur pro minutis animalibus, qualia sunt oues & capræ, quamuis interdum capiatur definitè pro aliqua specie, nempe pro capra, aut oue. Aliquando verò vtrumque complectitur, capram & ouem; nonnunquam verò commune nomen est omnium minutorum animalium, & aliquando de grandioribus, vtputa de bobus dicitur, vt ex variis locis sacræ scripturæ est perspicuum. Quando autem de vna oue scriptura loquitur, vsurpat nomen שה Se, dum verò de vna capra nomen עז Es. Si ergo hæc dictio צאן Son singulariter sumatur, semper est collectiuum. Itaque de minutis propriè dicitur pascalibus animantibus vtriusque speciei, capris & ouibus, cùm בקר Bakar maiora pascalia complectatur, vt boues, camelos, asinos. Possumus ergo צאן Son per gregem vertere Latinè, nisi quando cum numeris iungitur, vt cùm dicitur שתי צאן Sete son duæ oues, ארבע צאן Arba son quatuor oues, מאה צאן Mea son centum oues. Quidam etymon afferunt nominis, quòd radicitus herbas, & gramina erodant, & depascantur, vt cum verbis נוץ Nus florere, & יצא Iasa egredi quasi erodant herbam, & gramina & flores, quæ egrediuntur. Transfertur & ad populum, cui gubernatores sunt, quod pastores ipsis ouibus.

In sacris autem literis multis in locis peculiaris, & dilectus populus ouium 12
nomine significatur, vt Matth. 7. *Ite potius ad oues quæ perierunt domus Israël*, & rursum: *Attendite à falsis Prophetis, quæ veniunt ad vos in vestimentis ouium*, & cap. 18. *Si fuerint*, inquit, *alicui centum oues*, &c. Oues autem sine pastore homines sunt recto consilio destituti, & rectore commodo carentes, vt Paralip. 18. *Vidi vniuersum Israël dispersum in montibus sicut oues absque pastore.* Significat autem ouis hominem simplicem atque vtilem, & officiosum erga alios, innocentem pariter & purum; Quamobrem Exodi 34. primogenitus asini oue redimitur in ceremoniis antiquis. Oues autem pingues ditissimi in populo homines dicuntur,

cuntur, vt Ezechiel. 24. *Pinguissimum pecus assume, componéque strues ossium sub ea*, & Psal. 143. *Oues eorum fœtosa abundantes in egressibus suis*. Oues autem occisionis dicuntur Psa. 43. homines ad pœnas ferendas, ex diuini iudicij sententia iustissima traditi, vt: *Dedisti nos tanquam oues escarum: estimati sumus sicut oues occisionis.* Ouium autem pastus in loco desolationem, & vastitatem significat, vt Isai. 17. *Derelictæ ciuitates Aroër gregibus erunt, & requiescent ibi, & non erit qui exterreat.*

AGNVS.

13 Agnus vltra naturæ simplicitatem, ætatis etiam imperitiam habet, quamobrem simplicissimus, & innocentissimus est, id quod tum lusu & saltu, tum etiam errore declarat: Nam intrepidè cum coæqualibus colludit, sed quadam quasi saltatione gestiens: cùm verò errat perturbatus omnino atque ducis desiderio maximè affectus esse videtur. Vagatur autem nimium, & quo cursum intendat nescit, ex quo fit, vt innocentis, & miseri atque errantis, vel populi, vel hominis cuiuspiam similitudinem in sacris literis gerat. Magnæ autem lætitiæ, & gesticulationis similitudinem explicuit Vates, cùm dixit Psal. 113. *Montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium.* Simplicitatis verò, & ignorantiæ imaginem optimè Sapiens expressit Prouerb. 7. cùm ait: *Quasi agnus lasciuiens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur*, & Oseæ 4. *Nunc pascet eos Dominus quasi agnum in latitudine.* Simplices præterea & puri, innocentes ac iusti homines agni dicuntur, vt Isai. 5. *Et pascentur agni iuxta ordinem suum*, & Isai. 11. *Habitabit lupus cum agno.* Lucæ quoque 10. *Ego mitto vos sicut agnos in medio luporum.* Populum quoque pium, & nouam Ecclesiæ sobolem referunt agni, sicut habes Ioan. 21. *Pasce*, inquit, *agnos meos.* Denique Iesum Christum Dei filium ad totius humanæ naturæ expianda peccata à patre destinatum & missum, agnum Dei sacræ literæ appellant. Hinc Isaiæ 53. *Qui quasi agnus coram tondente se obmutescet*, & Ioan. 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Apocal. quoque 6. *Qui occisus est, & aperuit librum, & soluit septem signacula eius*, nempe agnus.

14 Est autem agnus animal mundum, vtile hominibus, tam ad victum quàm ad vestitum, & frequens in veteris legis sacrificiis, audit facilè vocem pastoris, eíque obtemperat. Agna verò est fœmina, quæ solebat sumi ad fœdus, Genes. 21. *Statuit Abraham septem agnas.* Agnus autem est fœtus ouis, qui annum nondum egressus est. Nomen habere putatur ἀπὸ τῆς ἁγνείας, hoc est, à puritate, siue castitate, vnde nonnullis agnus per aspirationem scribendum videtur. Est etiam agnus ἄγνος Dioscoridi frutex arborescens, quem Latini à viciendi vsu viticem appellant, qui ideò dictus etiam agnus est, quasi ἁγνός, id est, castus, quòd mulieres in thesmophoriis, hoc est, Cereris sacris pudicitiæ conseruandæ causa humi sibi fruticem substernerent. Alij agnum per syncopem dictum putant, quasi ἄγονον, quòd calore, & siccitate sua genituram dissipare putetur. Quod autem attinet ad vocem hebraicam שה Se, tam significat agnum, quàm hædum caprarum: Aliqui, *pecus*, sæpe vertunt, quòd nomen sit communius. Sic quoque כשב Ceseb agnum significat, vt Leuit. 3. vers. 7. & aliquando ouiculam, siue ouem anniculam, vt Num. 18. vers. 17. Nam si annum excedit,

QVADRVPEDIA MANSVETA AGRESTIA.

excedit, שה Se dicitur. Vocatur quoque agnus סלה Sela, Isai.65. vers 25.& 1. Samuel.7. vers.9.

HIRCVS.

Hircus est caper admissarius caper non castratus. Itaque hircus in sacris li- 15
teris stultitiam humanam, & petulantiam denotat: is enim sexus insolentior est & audacior. Hircus autem ille emissarius solenni ritu execrabilis, & in desertum relegatus Leuit.16. Christum factum pro nobis maledictum significabat. Hirci denique potentiores quoque homines, & principes designant, vt Zachariæ 10. *Super hircos visitabo, quia visitabit Dominus exercituum gregem suum domum Iuda.* Hircum verò caprarum monocerotem, quem vidit Daniel. significare Græcorum imperium ipse Daniel. indicauit. Apud hebræos verò hoc animal ob varias proprietates, varia etiam sortitur nomina: Nam עתודים Athvdim dicuntur hirci maiores, qui præcedunt capras: sicque dicuntur quòd capris incumbant, cùm sint mares caprarum: est enim עתד Atad instare, incumbere. Quidam putant Genes.31. generale nomen esse ad hircos & arietes, sicut & nomen צאן Son gregem, tam ouium quàm caprarum significat. Dicuntur autem in sacris literis hoc nomine per translationem principes, & magnates in populis, vt Numer. 7. vers.17. & Isai.14. vers.9. vbi appellantur עתודי ארץ Athvde eres, *hirci terra*, id est, reges terræ. Idem habes Zachariæ vers.3. super עתודים Athvdim, id est, hircos visitabo, nempe super principes. Præterea à pilis seu villis quasi pilosus dicitur hircus שעיר Sair: est enim שער Saar pilvs: Ab eo autem, quòd statim villos cornua, & vngulas producat, vocatur צפיר Saphir, vt Daniel.8.vers.5.& Hieremiæ 8. vers.35.2.etiam Paril.29.vers.21.Nam צפר Saphar est mane surgere, & maturare, & צפורן Siporen vnguem significat; Appellatur quoque hircus, תיש Thaiis, quidam putant sic nominari maiorem hircum, alij minorem; non est dubium esse hirci genus, aut arietis. Quidam caprum, & hircum gregarium, & cicurem exponunt, marem scilicet inter capras. D.Hieronymus, *arietem*, vertit Prouerb. 30. vers. 31. vbi legimus: *Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter: Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum: gallus succinctus lumbos, & aries,* &c. Vnde quidam arietem syluestrem esse coniectant. Iuxta alios est hircus minor, nempe hædus: sed is propriè גדי Gedi appellatur: at תיש Thaiis maior videtur, vt ex loco Prouerbiorum apparet, vbi inter quatuor strenuè, & fortiter incedentia ponitur, quòd gregem antecedat, & rupes ac alta loca facilè, & intrepidè conscendat.

Caper autem emissarius, de quo Leuit. 16. vers. 8. vocatur hebraicè עזאזל 16
Azazel, componitúrque ab עז Ez capra, & אזל Azal abiit. Sonat ergo nomen caprum abeuntem siue abreptitium, nec ante caper Azazel dicebatur, quàm ei rei esset destinatus, vt illinc in desertum amandaretur, secum peccata populi asportaturus, Græci ἀποπομπαῖον dixerunt. Putant aliqui hoc nomen significare montem, in quem caper emissarius mittebatur. Alij dicunt nomen hoc, & loco in quem caper ablegabatur conuenire: legimus enim Leuit. 16. *Duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonij, mittensque vtrumque sortem, vnam Domino emissario, cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato:*

cuius autem in caprum emissarium, statuet eum viuum coram Domino, vt fundat preces, & mittat eum in solitudinem: pro eo enim quod legimus, *& mittat eum in solitudinem*, ad verbum in hebraico est, *vt mittat eum,* לעזאזל Laazazel, *ad Azazel.* Itaque quemadmodum hircus ab eo quod ibat in solitudinem hoc nomen accepit, fieri potest, vt mons quoque in quem mittebatur, hoc idem nomen sortiretur.

Capra.

17 Capra verò inter munda, pecora sencetur insolentius animal quàm ouis, lacte carnéque vtilis, & pilis etiam, quibus telæ fiunt, quas pluuia minimè omnium penetrat, quamobrem ex huiusmodi pilis vel à tabernaculo parata sunt, Exod. 25. & Numer. 15. Ad sacrificia quoque ducitur capra cum humanæ stultitiæ, & petulantiæ significatione 1. Esdræ 6. & Ezech. 43. Vocatur autem capra apud Hebræos עז Ez, & est promiscui generis iuxta quosdam, vt etiam caprum contineat. Verùm ad significandum caprum, solet præponi שעיר Seir hircus, vt שעיר עזים Seir izim, hircus capratum, vel צפיר עזים Sephir izim, vt Daniel. 8. vbi per hircum Alexander Magnus, per capras Græci intelliguntur, qui ingenium caprarum referant. Cæterùm עז Ez capra fœmineo tantùm genere vsurpatur. Nec dubium quin hinc Græci αἲξ suum, id est, caprum, vel capellam hauserint. Illud autem Exod. 25. vers. 4. quod in hebraico est: *& byssum,* ו עזים Ve izim, *& capras*, intellige pilos caprarum, sicut rectè vertit D. Hieronymus, id est, pilos ex lana caprina.

Hædus.

18 Hædus, siue vt alij scribunt, hœdus, est fœtus capri, qui per Æ, diphtongum scribunt, videri volunt dictum esse hædum, ἀπὸ τῶν αἰδοίων, hoc est, à testiculis. Alij verò qui per OE, scribunt, à lingua Sabina eius originem petunt: illi enim hœdum dicebant, quod Romani dicunt fœdum. Est autem hædus propter ætatem, & temperatiores affectus, & meliorem ac suauiorem carnem comendabilior, quàm capra, aut hircus; vnde & splendidioribus conuiuiis adhibetur: sic legimus Iudic. 15. *Et faciam tibi hædum de capris.* Significat autem hædus mansuetioris ingenij homines, minúsque importunos, vt Isa. 11. *Pardus*, inquit, *cùm hædo accubabit.* Hædi præterea in agmine primi incedunt, ideóque fugam præripientium symbolum sunt, vt Hieremiæ 50. *Estote quasi hædi ante gregem.* Significant etiam populum ob noxam, & peccata puniendum, vt Hieremiæ 51. *Deducam eos quasi agnos ad victimam, quasi arietes cum hædis.* Postremò hominum partem illam quæ, vel à religione aliena est; vel cum religionem veram profiteatur tamen eiusdem religionis virtutem, & simplicitatem moribus non refert, atque ad sanctitatis vitæ gradum non peruenit, hædos appellauit Christus Matth. 25. & statuit oues quidem à dextris, hædos autem à sinistris.

19 Hædum autem vocat sacra scriptura hebraica voce גדי Gedi. Sunt qui vocem hanc ad גדד Gadad reducant, quod est congregare, coniungere, vt tam caprini quàm ouilis generis paruulus hoc nomine vocetur, quamdiu in vbera matris incurrit, hoc est, lactat & coniungitur. Itaque vox ista non solùm hædum, sed agnum in sacris literis significare videtur; Quare Genes. 38. vers. 20. vbi

vbi legimus: *Misit autem Iudas hædum per pastorem suum Odollamitem, vt reciperet pignus quod dederat mulieri*, in hebraico legimus את גדי עזים Et gedi izim, id est, hædum caprarum. Sic etiam transtulerunt Septuaginta, & Chaldæus Paraphrastes: *hædum ex capris*. Additur itaque caprarum ad distinctionem, quia גדי Gedi potest esse ouium, nempe agnus. Alij autem putant Gedi tantùm significare hædum caprarum; quod autem dicitur Genes. 38. caprarum, non esse additum discriminis gratia, sed, vt significaret paruuluum, cui opus erat capra matre: sicque hædus paruulus appellatur Numer. 7. vers. 16. hircus caprarum, vbi legimus: *Et arietem, & agnum anniculum in holocaustum, hircúmque pro peccato*, vbi pro hirco habes in hebraico שעיר עזים Seir izim hircum caprarum, quasi dicat hircum adhuc opus habentem capra, id est, hædum. Itaque offerebatur aries, & agnus anniculus, & hircus paruulus, id est, hædus: est enim hædus hircus, sed paruulus. Quod autem scribitur Exod. 34. vers. 26. *Non coques hædum in lacte matris suæ*, aduertendum est, non solùm intelligi debere de hædo caprarum, sed etiam de agno, & de quacunque alia carne animalium paruulorum, quæ in lacte coqui solent: Nam scriptura de more suo loquitur, iuxta hominum consuetudinem, apud quos hædi potius quàm agni comedi solent, & ideò hædi mentionem facit: id enim intelligendum est de paruulis: bestiæ enim grandioris caro in lacte non coquitur: lac enim facilè coquitur, & non ea facilitate quæuis alia caro nisi tenera sit, qualis est paruulorum animalium.

Caput III. DE SVBSTANTIA QVADRVPEDA *fera grandiori.*

QVandoquidem hactenus de quadrupedibus mansuetis actum est, superest, vt de quadrupedibus feris, quæ in sacris literis occurere solent disputationem aggrediamur. Quoniam verò hæc vel grandiora, vel minora sunt, hoc capite de feris maioribus agemus, vt sic multa sacræ scripturæ loca dilucidiora fiant.

L E O.

Leo animal est ferocissimum & fortissimum, magnísque vnguibus, collum 1
habet hirsutum: licet autem Leo ferocissimus sit, pastus tamen faméque vacans, facilis mitísque est, nihil suspicatur; est festiuus, beneuolus, ludibundus admodum cum suis sociis; in venatu cùm cernitur nunquam fugit ac metuit: sed si venantium multitudine cedere cogitur, sensim paulatímque, crebro subsistens atque respectans, nactus verò opacam fugam, velocissimè se subtrahit, donec in aperta deuiet, tunc rursus lentè incedit: sed si quando in patentibus fugam arripere cogitur, currit more canum, non salit; cùm verò prædam insectatur, & appropinquat insilit. Est autẽ verum, Leonem ignem maximè timere; percussorem agnoscit, & inuadit: siquis non percusserit, sed insistat, hunc apprehensum non lacerat, sed quatit, & præterit, ac dimittit, ferunt vulgò Leonem galli cantu terreri, & prostrato homini parcere. Vim summam in pectore habet; timet rotarum orbes circumactos, & currus inanes. Sunt au-

tem leenæ ferociores leonibus, præsertim cùm pepererint, vnde Virgilius 3. Georg.

Tempore non alio catulorum oblita leana
Sæuior errauit campis.

Hinc est quod legimus Oseæ 5. *Ego quasi leana Ephraim*, vbi statim sequitur, *& quasi catulus leonis domus Iuda.* Dixit autem quasi catulus leonis, & non quasi leo, quòd leunculi etsi minoribus sint prædìti viribus audaciores esse soleant, cùm minus timeant, eo quòd minus vires hominum sint experti; quò etiam alludit illud Prouerb. 28. *Iustus sicut leo confidens*; ibi enim in hebræo est: *sicut leunculus:* Ferociores etiam quodammodo esse videntur, & sanguinis auidiores, quem proximè gustare cœperunt. Dentibus etiam constant acutioribus & firmioribus, quod ex Ioëlis 1. satis confirmatur, vbi legimus: *Dentes eius vt dentes leonis*, & Iob 4. *Dentes catulorum leonum contriti sunt*; habet autem emphasim quod dicit dentes catulorum leonum, quasi valentiores, & nocentiores sint.

2 Quod verò pertinet ad leonis fortitudinem, & robur auctores gentiles Hyllum Herculis filium, eo quòd viribus præstaret, cognominatum fuisse leonem Citheronium, quem cùm Euchemus Archas interfecisset, Rex à Megarēsibus salutatus est, apud quos oraculum erat eum sibi asciscendum, qui leonem interfecisset. Quod simile fuit Diocletiani facto, qui tunc ad se rerum summam peruenturam acceperat ab oraculis, cùm primum Aprum interemisset, ob idque cùm plurimos confecisset apros, queri per iocum solebat se quotidie apros interficere, nunquam autem Imperatorem declarari, quod de viro Apro non de fera iugulanda erat accipiendum. Vexari quidem febri leones (tametsi vnus Albertus neget eos esse febriculosos) ex disciplinis Ægyptiorum facilè colligi potest: in eis enim compertum est, leonem febri correptum vel si ad furorem vsque exęstuet, vnius pastione simiæ liberari; Qua propter Ægyptij Sacerdotes febricantem hominem, & sibimet auxilia comparantem significare volentes, leonis simiam vescentis imaginem ponere soliti sunt: tanta enim indignatione simiam fert leo, vt nullum animal auidius perdere desideret: causa est animalis petulantia, leonem indignissimis modis exagitantis: Nam simul ac vel ex arbore aliqua, vel ex alio tuto latentique loco nacta fuerit occasionem in leonem insiliendi, pro magno habet negocio caudæ sese eius applicare, naribúsque affigere, atque ita quibuscumque potest ludibriis regi suo illudere, quod cùm impatienter ferat leo, impotenter admodum huiusmodi animal efferuescit: sed vt mirari desinamus animal adeò ignobile generosissimo omnium infestum esse, scimus etiam culices in leonum greges petulanter adeò ferocire, vt eos magna interdum clade ad internecionem adigant. Nam inter arundineta Mesopotamiæ leones innumeri iuxta fluminum ripas, & fruteta vagantur (eo enim tempore ibi hyemis clementia mollissima est) sempérque innocui: verùm vbi per æstatem cœlum exarescit, regionibus iis æstu candefactis ambustísque propemodum, ipsi tam vapore sydereo, quàm multitudine culicum agitantur, quorum densissimis examinibus per eas terras omnia referta sunt, qui quidem ad splendorem oculorum,

tanquam

tanquam ad humidiora membra conuolantes, eos appetunt palpebrarum libramentis mordicùs insidentes: hinc leones cruciati diutius, aut fluminibus ad quæ remedij causâ confugiunt, absorbentur, aut amissis oculis immaniùs efferascunt, quod ni fieret, omnis ea quæ ad orientem latè diffunditur plaga, huiusmodi bestiis oppleretur; id sibi compertum esse testatur Ammianus Marcellinus rerum gestarum libro 18.

A decerpenda autem præda in sacris literis nomen habet, dicitur enim 3
אריה Arie: est enim ארה Ara colligere, decerpere. illud autem Psalm. 21. vers. 17. *Foderunt manus meas & pedes meos*, pro foderunt, in hebraico est כרו כרו Caru: Iudæi autem legunt כארי Caari *sicut leo manus mea*. Quidam autem dicunt hunc locum statim post passum Christum a Iudæis fuisse deprauatum, quòd tam apertè nostram fidem confirmaret. Probabile satis est, primum scriptum fuisse כרו Caru *foderunt*. א quiescente pro Caru a ברה Cara, vel à כור Cur ficta radice, sicut קאם Kaam reperitur pro קם Cam א pro ו posito, sed postea scriptorum vitio, cùm ex כארו Caru factum esset כארי Caari ad marginem notatum esse כארו Caaru adscripto circulo intra contextum, vt moris est, quod paulatim Iudæorum malitia, aut alioqui incuria neglectum est, vt planè tandem כארי Caari legerent, quod Iudæi, *sicut leo*, exponunt: sed errore decepti, ne conuincantur in re tam aperta hoc de passione Christi esse dictum: legendum ergo est כרו, sicut legerunt Septuaginta interpretes, quorum maior est auctoritas, quam recentiorum Iudæorum: sic etiam legit D. Hieronymus, reddens: *Qui foderunt manus meas*, sic etiam legit Chaldæus Paraphrastes, qui interpretatur: *mordentes manus meas*: non ergo scribendum aut legendum Caari.

Sortitur etiam leo alia multa nomina in sacris literis: vocatur enim שחל 4
Sachal: significat hæc dictio propriè leonem. Quidam putant esse leopardum sæuissimam bestiam ex leonum genere. Hieronymus aliquando *leonem*, aliquando *leænam*, interpretatur, nonnunquam quoque *aspidem*. A corde autem quasi cordatum animal leo sit & animosum, appellatur in sacris literis לביא Labi, vt sic à generositate & animi fortitudine nomen acceperit, iuxta illud 1. Reg. 17. vers. 10. *Cuius cor est sicut leonis*, לב Leb enim cor significat. In commentariis verò hebræorum אריה Arie est leo minor, & לביא Labi leo maior; est autem notandus locus ille Nahum 2. vers. 11. vbi legimus: *Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quem iuit leo, vt ingrederetur illuc catulus leonis, & non est qui exterreat*, pro eo quod transfert D. Hieronymus: *leo vt ingrederetur*, in hebraico est אריה לבי Arie Labi, quod aliqui vertunt: *leo minor, & leo maior*, vt sit sensus, ad quem iuit leo minor, & leo maior illuc, & catulus leonis. D. Hieronymus & Septuaginta videntur legisse לבוא Labo ideò trãstulerunt: *vt ingrederetur*. Vocatur præterea in sacris literis ליש Laiis ab eo quòd prædam velut subigat farinæ more: est enim לוש Lvs conspergere, subigere farinam. Hoc autem leonis nomen ter tantum occurrit in sacra scriptura, Iob 4. vers. 11. Prouerb. 3. vers. 30. & Isaiæ 30. vers. 6. Leunculi autem minores, iam alia ex aliis proprietatibus sortiuntur nomina: nam catulus leonis, quòd sese adhuc contrahat in fouea, nec ad prædam excurrat, vocatur גור

GVR: significat enim GVR incolere, inhabitare: sic etiam leunculus minor, sed maior quàm sit catulus leonis, à latibulis intra se adhuc continuerit, non multùm foras progressus, appellatur in sacra scriptura כפיר CEPHIR: nam כפר CAPHAR est tegere, operire, ad rapaces autem & sæuos homines transfertur Ezech. 38. vers. 13. & Psal. 34. vers. 17.

5 Itaque leo fera est sed generosissima, & quæ prædas escæ tantum causa prosequitur quæ cùm ferocissima & fortissima habeatur omnibus pecoribus & armentis, terribilis est, animi magnitudinem, & imperium quoddam in cæteras animantes ostendit, pectoréque intrepido & imperterrito constat. Eius intrepidam fortitudinem, & terroris erga alios imaginem docet scriptura sacra Iudic. 14. vbi legimus: *Quid fortius leone*, &c. & 1. Reg. 17. *qui eripuit me de manu leonis*. Prædatorem verò & tyrannum violentum sacræ scripturæ per leonem nobis indicant, vt Ierem. 4. *Ascendit leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit*, sic Ezech. 19. *Eduxit vnum de leunculis suis, leo factus est*, & Ezech. 22. *Coniuratio Prophetarum in medio eius sicut leo rugiens, rapiénsque prædam*. Quando verò in sacris literis vltionis comminatio proponitur, aut designanda est, id fieri solet per rugitum leonis, vt Amos 3. *Nunquid leo rugiet in saltu nisi habuerit prædam. Nunquid dabit catulus leonem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit*, & Zachariæ 11. *Leo rugiet, quis non timebit*, & eodem capite: *vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis*, sic Psal. 21. *sicut leo rapiens & rugiens*. Leonis autem catuli sunt principes & tyranni rapaces, vt Sophoni. *Principes eius in medio eius quasi leones rugientes*. Psalm. quoque 21. *Salua me ex ore leonis*, & Psalm. 57. *molas leonum confringet Dominus*, & Psal. 90. *Conculcabis leonem & draconem*. Esse autem leonis fortitudinem insuperabilem, & habere principatum inter cætera animantia sacræ scripturæ significant, vt Genes. 49. *Catulus leonis Iuda ad prædam ascendisti, fili mi requiescens accubuisti vt leo*, & rursum: *Gad quasi leo requieuit*, item: *Dan catulus leonis*, & Michææ. 5. *Erunt reliquiæ Iacob in medio populorum quasi leo in iumentis syluarum*.

PARDVS.

6 Pardus animal est ferum, Africæ & Syriæ familiare, pellem habens odoriferam, breuibus quibusdam macularum oculis distinctam, fœminam in hoc genere Pantheram appellant. Plinius lib. 8. cap. 17. *Pantheris*, inquit, *in candido breues sunt macularum oculi, & pardos qui mares sunt appellant*. Vocatur verò græcè πάρδος, fœmina verò, nempe panthera appellatur πάρδαλις. Quidam pantheras à pardis qui mares sunt, candore solo discernunt. Plinius loco citato: *Panthera*, inquit, *& tigris macularum varietate prope solæ spectantur: ferunt odore eius mirè solicitari quadrupedes cunctas, sed capitis toruitate terreri, quamobrem occultato eo reliquas dulcedine inuitatas corripit, pernicissima est, & animositate leonem ferè æquans*. Habet autem pardus nomen hebraicum in sacris literis ab amarulentia & sæuitia: dicitur נמר NAMER, significatque pardum vel pantheram, quã quidem vocem quidam reducunt ad מרר MARAR, quod est amarescere, amarum esse. Alij dictum sic putant hoc animal à מיר MIR, quod est mutare, ob cutem variegatam & maculosam, cuius mentio fit Ierem. 13. vers. 23. vbi legimus: *Nunquid mutabit Æthyops*, &c. *& pardus varietates suas*, vbi pardus vocatur

QVADRVPEDIA FERA GRANDIORA.

vocatur נמר Namer, reperitúrque vox ista Isaiæ 11. verſ. 6. Oſeæ 13. verſ. 7. Cantic. 4. verſ. 8. Abacuc 1. verſ. 8. Itaque ad leonum naturam proximè accedit pardus, non minori quàm leo ſæuitia prædirus, vnde in ſacris literis pardorum cubilia, difficilem & horribilem habitationem ſignificant, vt Cant. 4. *de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Vis autem maxima, & ad prædas faciendas, ſtragéſque edendas, fortiſſima & celerrima ſignificatur ſimilitudine pardi. Quamobrem ad fortiſſimos hoſtes, & ad Deum ipſum refertur hoc nomen in ſacra ſcriptura, vt Ierem. 5. *Pardus vigilans ſuper ciuitates eorum*, & Oſeæ 13. *Ero eis ſicut leæna, & ſicut pardus in via Aſſyriorum*, & Abacuc 1. *leuiores pardis equi eius.* Mores etiam duros & contumaces, ac penè in naturam alteram conuerſos maculoſa pardi pellis refert, iuxta illud quod ex Ieremia citauimus cap. 3. *Si mutare poteſt Æthyops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Denique Græcorum imperium ab Alexandro inchoatum, & in quatuor regna diuiſum pardi imagine viſa indicauit Daniel cap. 7.

E L E P H A S.

Elephas animal eſt omnium terreſtrium maximum, Europæ incognitum, niſi ex Aſia aut Africa inuectum, duos habet dentes, ſiue potius cornua, ex quibus fiunt opera eburnea. Vocantur autem hi dẽtes hebraica voce שנהבים Senhabim, 3. Reg. 10. verſ. 22. vbi *dentes Elephantorum* vertit D. Hieronymus Poëtæ nonnunquam pro ebore poſuerunt more græcorum, qui τῷ ἐλέφαντος appellatione & beluam & ebur intelligunt. Elephanti autem biennio vtero graueſcunt, nec amplius quàm ſemel gignunt, nec plures quàm ſingulos. Viuunt verò annos trecentos. Hos primùm vidit Italia Pyrri regis bello in Lucanis, vnde & boues primò nominarunt. Quoniam Itali maximum quadrupedem quem haberent vocauerunt bouem. Itaque Elephantorum mentio fit in ſacris literis quidem, ſed tantùm in Machabæorum 1. verſ. 18. & cap. 3. verſ. 34. cap. etiam 6. & 8. tum etiam 2. Maccab. 11. & 13. & 14. cap. 7

T I G R I S.

Tigris fera eſt ſæuiſſima in Hyrcania maximè abundans, ita dicta, quòd ſagittæ velocitatem quam tygrim Medi appellant, curſu videatur adæquare. 8 Hyrcania enim vt ſyluis aſpera, ſic immanibus feris copioſa, fœtáque tigribus. Eſt autem animal tum inſignibus macularum notis, tum incredibili pernicitate admodum memorabile: fuluo nitet nigrantibus ſegmentis, pedum tanta velocitate, vt nihil tam longum ſit, quod non breui penetret, nihil tam longè antecedat, vt non illicò aſſequatur: ſed maximè potentia eius probatur, cùm catulorum ſuorum inſiſtit raptoribus, ſuccedant ſibi equites licet, & aſtu quantolibet amoliri prædam velint, niſi in præſidio maria fuerint, fruſtra eſt omnis conatus: nam vbi vacuum cubile reperit fœmina (maribus enim cura non eſt ſobolis) fertur præceps odore veſtigans, raptor apropinquante fremitu abiicit vnum è catulis, quem illa morſu tollens, pondere etiam ocyor acta remeat, iterúmque conſequitur, ac ſubinde abiicit, dum in nauem regréſſus, irrita feritas ſæuit in littore. Dictionem hebraicam ליש Lais tigrim interpretatur D. Hieronymus, Iob 4. verſ. 11. vbi legimus *Tigris periit, eò quòd non haberet*

beret prædam & catuli leonis dissipati sunt: Chaldæus Paraphrastes *leonem* exponit, Septuaginta verò interpretes, *Myrmicoleonem*, est autem Myrmicoleon vox græca, significans animalunculum formicis aduersum, quod se sub puluere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit, & interfectas consumit. Est autem dictio ex formica & leonis nominibus composita: nam quemadmodum leo imbecillorum animalium, ita hoc animalculum formicarum prædam agit.

BVBALVS.

9 De Bubalo hoc tantùm scribit Plinius, animal esse peculiare Africæ, vituli aut cerui habens similitudinem: sed id genus animalis nunc notissimum est in Italia & frequentissimum, vocitatum vulgò *Bufalus*, quem disertè describit Iulius Scaliger exercitatione 206. *Est*, inquit, *bouis genus atri, quem Bufalum vocant Itali nunc maximi roboris, depressiore quàm bos magnitudine, sed corpore compactiore, latiore, pleniore, ac firmiore, cornua non tam teretia quàm pressa, nec surrecta, sed deorsum versus retrò flexa*, An verò hoc animal Bubalus sit dubitat Scaliger loco citato, quia Aristoteles in 3. de partibus animalium, ait bubalos pugnare cornibus, at Bufali Italici nequaquam, sed calcibus, vel potius genuum compressione: inepta enim sunt ad pugnam cornua, quia retrorsum versa ac demissa cuspide: sic Scaliger. Cæterùm bubula caro in sacris literis, vt cibus hominis delicatus, salubris, miniméque vulgaris memoratur: quippe inter omnia animalia munda quibus solis vesci fas erat Iudæis, numeratur bubalus, & cibus Regis Salomonis, tum aliorum animalium, tum etiam bubalorum carnibus constabat, vt habes 3. Reg. 4: Cùm igitur talis non sit caro bufalina, qualem esse bubalinam significatur in sacris literis, Bufalum, atque bubalum diuersa facere animalia necesse est. Verum de huiusmodi bubalis apud veteres perpauca; apud Plinium quidem illud tantùm generari in Africa vituli, ceruíve similitudine, & falsò appellari ab imperito vulgo *Vros*. Apud Aristotelem bubali sanguinem, vt proximum ouillo aliquantò ámplius spissari, & bubalis cornua interdum inutilia esse: nam etsi contra nonnulla resistant, & cornibus se defendant, tamen feroces pugnacésque belluas fugere solent.

10 Bubali fit mentio Deuter. 14. vers. 5. vocem enim hebraicam יחמור IACHMVR D. Hieronymus interpretatur *Bubalum*, sicut Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphrastes. Non desunt qui aliter hanc vocem vertant: quidā enim esse genus ceruorum putant, alij capram rupicolam, nonnulli arbitrantur esse animal simile capræ magnæ, sicque vocari Arabica lingua. Sunt etiam qui existiment esse asinum ferum & syluestrem: sed nulli eorum maior fides adhibenda est, quàm Hieronymo & Septuaginta interpretibus, ac Chaldæo Paraphrasti, qui vocum hebraicarum naturam multò meliùs intellexerunt. Quidam etiam dicunt מריא MERI speciem esse bouis maioris, id est, bubalum. Alij docent hoc nomine omne animal pingue appellari, quod à mutando deducunt nonnulli, vt altile è macie mutata in pinguedinem: sed D. Hieronymus, *ouem* reddit, vel *pingue*, sicut & Chaldæus Paraphrastes, vt habes 2. Reg. 6. vers. 13. & 3. Reg. 1. vers. 9. atque Isaiæ 11. vers. 6. & Amos 5. vers. 22.

CERVVS

QVADRVPEDIA FERA GRANDIORA.

CERVVS.

Ceruus est animal quadrupes, velox ad cursum, magna habens cornua: 11
eius suffitus serpentes fugare dicitur quibus maximè est infestus: nam flatu eos extrahere fertur è cauernis, atque interficere. Est animal mundum, ruminans, & diuidens vngulam. Quando verò cerui flumina transeunt, capitum suorum onera dorsis præcedentium supponunt, sibique inuicem succedentes laborem ponderis omninò non sentiunt. Dicuntur cerui ἀπὸ τῶν κεράτων, hoc est, à cornibus, quæ primùm bimis oriuntur, simplicia quidem & recta ad subularum similitudinem: quamobrem subulones per id tempus appellantur. Aristoteles de historia animalium lib. 2. cap. 15. dicit: ceruo deesse fel, habere tamen intestinum amarum, & cap. 1. dicit soli ceruo cornua omnibus annis decidua, nisi castrentur, & lib. 5. cap. 5. scribit: ceruos amittere cornua mense Aprili singulis annis, & amissis cornibus occultare sese interdiu, idque opacis faciunt locis vt muscarum tædio vacent. Pascuntur per id tempus noctu, donec recipiant cornua. Dicit etiam ceruos sibilo & cantu venantium capi: mulcentur enim alliciunturque ea voluptate. Itaque alter venantium cantat palàm alter clàm ferit à tergo, vbi socius iam tempus esse significauerit: sed si ceruus erectas auriculas teneat acerrimè sentit, nec latere insidiæ possunt: sin demissas, facilè interimitur.

Ceruus autem qui ἔλαφος græcis dicitur, apud hebræos vocatur איל AIAL 12
vt habes Deut. 14. vers. 5. Dicitur autem sic quasi aries ferus: nam אים AIIM est aries cicur, & Gregorius. Cerua fœmina dicitur אילה AIALA, & אילת AIELETH: sic enim ponitur psalm 21. in titulo: nam quod Septuaginta transtulerunt: *in fine pro susceptione matutina*, D. Hieronymus reddit: *victori pro cerua matutina*, quam ceruam significare indicat vox אילת AIELETH, quæ in hebraico reperitur. Non desunt qui hoc loco putent אילת AIELETH significare stellam: Itaque exponunt, *stellam matutinam*, siue *stellam auroræ*: Alij, quia איל AIIL est fortitudo, arbitrantur hãc vocem fortitudinem designare, vt sit sensus victori, siue in finem pro fortitudine & robore, seu vi ascendentis auroræ, qui *ceruam* transferunt, per eam intelligunt Ecclesiam, quæ etiam ceruis comparatur in Canticis cap. 2. vers. 9. quin etiam eodem lib. ipsi auroræ assimilatur cap. 6. vers. 9.

Ceruus autem pedum pernicitate & cursu valet velocissimo, atque habitu 13
corporis eleganti gratus est: siti affectus vehementer expetit aquam, cuius sitiens vehemens desiderium refert illud Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Significat porrò dexteritatem in rebus agendis, & promptitudinem, vt Gen. 49. *Nephtali ceruus emissus dans eloquia pulchritudinis*, & Cant. 2. *similis esto dilecte mi capreæ hinnuloque ceruorum*. Magnam etiam liberationem, & expeditam euasionem periculi indicat inducta cerui similitudo, vt Psal. 17. *Qui ponit pedes meos tanquam ceruorum*. Denique integram sanitatem indicauit Isaias, dicens cap. 35. *Tunc saliet sicut ceruus claudus*. Illud verò maximam sterilitatem & communẽ significat, quod apud Ieremiam legimus cap. 14. *Nam & cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba*: personam quoque amabilem & gratam, qualem sponsam & vxorem

fronde contractos. Hæc & alia multa de vrsis Plinius libr. 8. cap. 36. naturalis historiæ. Est autem animal omniuorum, quippe quod fructus arborum, quas agili corpore ascendit, edit, & legumina, & apes prefringens alueos, & cancros, & formicas, carne etiam vescitur. Est animal inquietum, adeò vt ad stipitem ligatus nunquam penè cesset in circuitum pergere, vel pedibus fixis caput huc illucque agitare.

Vrsus autem non tantùm ingenio & celeritate, quantùm virium robore valet, incenditur autem & irritatur maximè vbi læsus fuerit, aut aliquo impulsus affectu: insidiatur pecori, vt legimus 1. Reg. 17. *pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis*, &c. Fuerunt aliquando ministri & satellites, vt legimus 4. Reg. 2. *Egressique sunt duo vrsi, & lacerauerun. quadraginta pueros.* Tyrannidem verò, rapinam, & prædæ cupiditatem impotentem refert vrsus esuriens, vt Prouerb. 27. *Leo rugiens, & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem.* Prætera vehementem affectum, & animi perturbationem vrsi rugitus significat, vt Isaiæ 59. *Rugiemus quasi vrsi omnes*, & 2. Reg. 17. *Tu nosti patrem tuũ, & eos qui cum eo sunt esse fortissimos, & amaro animo veluti vrsi raptis catulis*, & Prouerb. 17. *expedit magis vrsa occurrere.* Denique magnam & validam efficacémque admodum vim ad deprimendum & superandum vrsus insidiator ostendit, vt Threnor. 3. *Vrsus insidians*, & Amos 5. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus.* Quamobrem Persarum regnum vrsus expressit apud Danielem cap. 7. 17

Vocatur autem vrsus hebraica voce דוב Dob, vt habes Threnor. 3. vers. 10. & Isaiæ 11. vers. 7. & aliis locis: est autem דבה Diba oblocutio, detractio, infamia, & sunt qui huc reducant vrsi vel vrsæ nomen, à murmure, vt volunt inditum, vel quòd truculentia malè audiat, & infamis sit. Est autem vrso inualidissimum caput, quod contrà leoni fortissimum. Aiunt vrsos aluearia non mellis, pabulíve vllius gratia incessare, apésque irritare: sed salutis ergò, vt scilicet apum aculeis ore vulnerato, sanguinémque ita emisso, grauedinem qua plurimùm laborant, remedium comparent. Venatores nostri aiunt, si maior aliqua vis quam superare desperat, vrso incubuerit, eum sibi conscium imbecillitatis, qua caput eius laborat, si fugiens ad præruptam aliquam rupem peruenerit, manus supra caput tollere, iisque pectinatim firmiter complicatis, reliquo conglobato corpore præcipitem se dare, atque ita capturam euadere. Vrsa autem, vt apud Ælianum legis, ita prouida est, vt saluti suæ consultura, cùm se in cauum recipit ad peculiarem inediam, ne per vestigia deprehendi possit (tantum illi natura calliditatis indulsit) auersis vestigiis irrepat retrò, atque ea specie venatores fallat, cùm egressa inde videatur, non autem ingressa. 18

Caput IV. DE SVBSTANTIA QVADRVPEDA *fera minori.*

GRandiora fera prosequuti sumus capite præcedenti, quoniam verò in sacris literis, alia etiam animalia fera minora passim occurrunt, de

QVADRVPEDIA FERA MINORA.

his etiam hoc cap.4. agemus, cùm commodum ſit futurum ad multorumlocorum ſacræ ſcripturæ explicationem.

L V P V S.

1 Lupus à græcis λύκος vocatur. Philoſtratus deducit in primo de imaginibus Palemadem loquentem contra vliſſem, qui iuſſerat lupos occidi, ille negabat, quòd illos, vt præludium peſtis Apollo immitteret. Priſci quoque græcorum primam lucem, quæ præcedit Solis exortum, λύκη appellauêre, ἀπὸ τοῦ λύκου, id eſt lupo: Hodie quoque λυκαυγὴς dicitur, eandem & λύκην Homerus non ſemel appellauit. Quin & latini videntur lucem à λύκη deriuaſſe, & idem ipſe Homerus eam lucem, cùm iam tum cernens lupus ſe in viam dare ſolet, ἀμφιλύκην νύκτα appellare videtur: Theon verò amphilycem Solis exortum interpretatur. Sed & Solem vocari hoc nomine λύκη Lycopolitana Thebaidos Ægypti ciuitas teſtimonium eſſe poteſt, quæ pari religione Apollinem, itémque lupũ, hoc eſt, λύκον colebat, in vtroque Solem venerans, quia hoc animal repit, & conſumit omnia in modum Solis, ac plurimum oculorum acie videns tenebras nocturnas euincit, ipſaſque λύκους, id eſt, lupos, à λύκη, id eſt, luce appellatos aliqui putant. Lupus verò hebraica voce זאב Zeeb vocatur, cuius mentio fit in ſacris literis Geneſ.49. verſ.27. & Ezech. 22. verſ. 17. Sophoniæ quoque 3. verſ.2.

2 Eſt autem luporum maxima crudelitas: non enim ſolùm ventris implendi gratià depopulantur & occidunt oues, ſed quaſi ſæuitiam ſuam & crudelitatem ſatiare volentes: hinc Chaldæi Abacuc 1. dicuntur velociores lupis veſpertinis. Dicuntur autem veloces, quia velociter feſtinant ad prædam: qui, vt inquit D. Hieronymus, ſæuiores dicuntur nocte vicina: tota enim die fame concitati impetu maiori feruntur ad eſcam, vt conſtat Ierem. 5. & Sophon. 3. Huiuſmodi enim animalia minus ad prędam exeunt dum dies eſt, venatorum occurſum & inſidias timentia, idcircò veſpere fame vrgente & noctu prodeunt, iuxta illud Pſal. 103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ:* quod idem lupis contingit, vt Virgilij verſus indicant Æneidos 9.

Ac veluti pleno lupus inſidiatus ouili,
Cùm fremit ad caulas ventos perpeſſus & imbres,
Nocte ſuper media tuti ſub matribus agni
Balatum exercent, ille aſper & improbus ira,
Sæuit in abſentes.

Itaque Virgilius lupum vehementiori fame concitatum deſcribit, qui poſt noctem mediam ventos perpeſſus & imbres ſæuit: ſed cur ventos & imbres, niſi quia multò ante mediam noctem exierat, & prædam diu quærens, ventorum & imbrium ſenſit iniuriam, & mora aucta fames eſt. Oppianus præterea Cilix nobiliſſimus Poëta lupum vocat νυκτιπόρον, id eſt, noctu ambulantem lib. de venatione.

Itaque infeſtum animal eſt, celeri ad nocendum ingenio & motu. Quod
3 autem non tantùm famis explendæ auiditate, quantum natiua malitia & crudelitate noceat, probatur ex illo Ioann.10. *lupus rapit & diſpergit oues,* quare ferox &

ox,& immitte ingenium hominis designat, vt Eccles. 13. *Si communicabit lupus agno:* Ideò miraculi,& magnæ rerum mutationis in melius prædicandæ causa dixit Isaias Propheta: *& habitabit lupus cum agno,* & Isai. 65. *lupus & agnus pascentur simul.* Hinc etiam animum prædæ auidum, & inhiantem diripiendis rebus descripsit Iacob Genes. 49. dicens: *Benjamin lupus rapax, mane comedit prædam,& vespere diuidet spolia.* Auaros autem, & alienarum experentes rerum significat etiam lupi nomen, & eos qui fraude, dolo, & iniuria alios spoliant, vt Sophoniæ 3. *Iudices eius lupi vespere,& principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam,* & Matth. 7. *Veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Hostes etiam infestissimi, & crudelissimi hoc indicantur nomine, vt Hierem. 5. *Lupus ad vesperam vastabit eos.* Hostem præterea communem illum humani generis Satanam,eiúsque membra hypocritas,& falsorum dogmatum ministros lupos dixit Christus, atque omnes homines veritatis Euangelicæ inimicos, vt Matth 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum, & Mercenarius videt lupum venientem, & fugit.* Atque Actor.20. *Ego scio quòd intrabunt post d scessionem meam lupi rapaces.*

Est autem lupus animal perpetuò ferum, nec vnquam mitescens, simile cani, sed insidiatur ouibus, quas canes defendunt; est carniuorus, & ouem quam ceperit iugulat. Denique lupi circa casas pastorales versantur: habitacula autem domorum intrare non audent;solùm canum absentiam, aut desidiam pastorum explorant. Ouium guttur inuadunt, vt citò strangulent,sunt rapaces,naturáque corporis rigidiores, vt se facilè non possint inflectere; impetu quodam suo feruntur, & ideò sæpe læduntur. Præterea si quem priores hominem viderint,vocem eius quadam naturæ vi feruntur eripere: si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. Sic Hæretici, si quem versuta disputationis suæ circumscriptione præuenerint, faciunt silere, & obmutescere:mutus est enim qui verbum Dei non eadem qua est gloria confitetur: si autem commenta impietatis eius agnoueris,iacturam piæ vocis timere non poteris. 4

IBEX.

Ibices sunt capræ syluestres, quibus moris est in petris par er ,euia neque sciunt, nisi in petris habitare, quæ si quando etiam de altis saxorum cacuminibus ruunt, in suis se cornibus illæsæ suscipiunt: caput quippe ruentes feriunt,cuius dum prima cornua opponunt,sic omne corpus à iactura casus est alienum. Dicuntur autem ibices voce hebraica יעלים Iebelim, quod nomen ab ascendendo inditum putant: ascendunt enim celerrimè rupes: Quos Plinius lib.8. naturalis historiæ cap.53. sic describit: *Sunt,* inquit, *ibices pernicitatis mirandæ, quamquam onerato capite vastis cornibus gladiorúmque vaginis, in hæc se librant, vt tormento aliquo rotali in petras potissimum è monte aliquo in alium transilire quærentes,atque recursu perniciùs quo libuerit exultant.* 5

Scaliger exercitatione 207. *Est,* inquit, *in ibicum historia,& multiplex,& iucunda subtilitas. Prima, nisi habitent loca frigida occæcari: Altera, vetulorum cornu pependisse pondo duodeuiginti in quibusdam numerati sunt nodi quatuor & viginti, totidem annorum coniectura, quod ceruis non contingit: etenim post annum sextum nihilo* 6

numerosius ramificant. Quin senibus ij desunt rami, qui prima statim prodeunt ætate: Tertia subtilitas, deprehensas ibices aperto atque libero loco, capacique cursu in venatorem irruere, cúmque deiicere de rupe; Quare operam dant, vt obiectu scopulorum tecti de improuiso appareant; Tum ibi cùm impetendi non sit locus, animum despondent, ac facilè cedunt: Quarta cùm ea incredibili corporis libratione atque iaculatione superent altissimas rupes, interualla vel solo aspectu formidabilia securo transmittunt saltu. De his agit scriptura sacra 1. Samuel. 24. vers. 3. vbi legimus in hebraico dictionem hanc יעלים IEELIM, quam, *Ibices*, interpretatur Beatus Hieronymus, cùm ait: *Etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruia sunt.* Fit etiam mentio huius dictionis Psal. 103. vers. 18. vbi Septuaginta, *ceruos*, reddunt: Iob etiam 39. vers. 3. & Prouerb. 5. vers. 19. Ibicis fœminæ videtur fieri mentio, sed vocem hebraicam reddit Hieronymus, *gratissimum hinnulum.*

SIMIA.

7 Simiæ & simij hominum figuris proxima animalia quæ cauda carent, & in Lybia nascuntur, dicta quòd simæ sint, id est, naribus depressæ, vel quasi mimæ, hoc est, imitatrices; vocatur autem simia hebraica voce קוף KOPH. Huius animantis fit mentio 3. Reg. 10. vers. 22. vbi legimus ex Tharsis deferri solitas simias, & etiam pauos. Eiusdem fit mentio 2. Paral. 9. vers. 21. Ad illustriorem huius generis animalium expositionem scribemus hîc quæ scripta reliquit Scaliger exercitatione 213. *Sine cauda*, inquit, *simias plures vidimus quantum puer est annorum octo, marem quoque ac fœminam cum prole. Filiolus si quid videretur desiderare manu pugnóque fœminam à marito tanquam malæ tractationis ream, etiam addita vultus acerbitate castigari, nempe supercilio, rictu, murmure irati patris atque reprehensoris mariti animum præseferre. Multa legimus in libris itinerariis, sic enim scribuntur: In India Mediterranea ingentes corpore, audacia ciuiles vltro citroque non solùm per agros, sed etiam per oppida in mercatibus sine maleficio, aut offensione ciuium commeare. Tot eorum sunt species forma, colore, cauda, iubis differentes, vt non parum negocij facessant historiæ ordinem meditanti. Cynocephalum ex simiarum genere vnum barbatum, viderunt multi fœdum aspectu, nigrum, maleficum, moribus infamem. In Aula regis vnus fuit, qui diu bipes ambulabat amictus sagulo militari, ensiculo accinctus in sella iussus continuit se pernox, aut perdius publico spectaculo, ita vt non deessent qui homuncium putarent virum. Simiam Mauri Bugiam vocant, nos monam.* hæc Scaliger. Non est omittendum hoc loco quod de cercopitheco alia simiarum specie tradit Cardanus lib. 10. de subtilitate. *Est*, inquit, *forma rara cercopithecus, magnitudine & forma hominis: siquidem cruribus, virilibus membris, faciéque hominem dixeris agrestem, quia totus est pilo obsitus, omnium maximè animalium, præter hominem. Stando perseuerat, amat pueros, & mulieres more hominum, eorúmque amplexus, & concubitus appetit, vt nos vidimus: attamen ferum est animal, sed tanta industria, vt multi de barbaris hominibus minus ingenio valere videantur.* Hæc Cardanus.

LEPVS.

8 Lepus animal satis notum, à celeritate dictum, quasi leuipes, siue (vt Varro putat lib. 3. de re rustica cap. 12.) quod Æoles, vel potius Dorienses antiquo vocabulo λέπορι vocabant, quem nos leporem. Per translationem autem pro

infami

infami accipitur, & qui aduersus, & auersus impudicus sit: creditur enim lepori vtrumque sexum inesse, lepus dormiens λαγῶς καθεύδων quadrat in eum qui quod non facit, id facere se adsimulat, aut quod facit, id se facere dissimulat: Nam leporem patentibus genis dormire cum alij permulti tradunt, tum Plinius lib. 11. cap. 37. id quod etiam hominibus non nullis ait accidere, quos Græci κορυβάντιες appellant. Neque perperam dicetur, & in timidos. Denique, vt docet Plinius lib. 5. cap. 55. historiæ animalium, leporum plura sunt genera in Alpibus, candidi quibus hybernis mensibus pro cibatu niuem credunt esse, certè liquescente ea rutilescunt annis omnibus, & est alioqui animal intollerandi rigoris alumnum. Lepus autem omnium solus præter dasypodem superfetat, aliud educens, aliud in vtero pilis vestitum, aliud implum, aliud inchoatum gerens pariter.

Sortitur autem lepus apud Hebræos nomen ארנבת Arnebeth, vt aliqui 9
volunt ab ארב Arab, quod est insidiari, addita litera נ, ad nomen formandum, quòd hominum insidiis pateat. Hoc animal inter immunda animalia bis in lege annumeratur Leuit. 11. vers. 6. & Deuter. 14. vers. 7. Dictio autem hæc hebraica sub genere fœmineo vtrumque sexum amplectitur, & fœminea vox lepori tribuitur, quòd in mare signum sexus non appareat. Quidam arbitrantur dictionem hanc hebraicam esse quadratam, ex earum genere quæ quatuor continent literas substantiales. Est autem lepus animal timidum, cursu velox & ingeniosum.

CVNICVLVS.

De Cuniculo sic scribit Plinius lib. 9. histor. animalium cap. 55. *Leporum* 10
generis sunt & quos Hispani cuniculos appellant, fœcunditatis innumeræ, famémque balearibus insulis populatis messibus afferentes, fœtus ventre exectos, vel vberibus ablatos non repurgatis interaneis gratissimo in cibatu habent, laurices vocant. Certum est Balearicos aduersus prouentum eorum auxilium militare à D. Augusto petisse. hæc Plinius. Est ergo cuniculus animal simile lepori, de quo Martialis,

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris.

& Varro 3. de re rustica cap. 12. *Tertij*, inquit, *generis est quod in Hispania nascitur, simile nostro lepori ex quadam parte, sed humile, quem cuniculum appellant*, & paulò post: *cuniculi dicti, ab eo quòd sub terra cuniculos ipsi facere soleant.* Dicitur autem cuniculus hebraica voce שפן Saphan, Prouerb. 3. vers. 26. vbi Hieronymus, *lepusculum*, vertit *chirogrillum*, Chaldæus Paraphrastes, *cuniculum*, & Psal. 103. vbi Chaldæus transfert, *cuniculum*, Hieronymus verò & Septuaginta, *Herinacium*, est autem chirogrillus spinosum animal, vt Herinacius rapax, ruminans, sed non diuidens vngulam, teste Hesichio super Leuit. cap. 11.

HERINACIVS.

Herinacius autem idem est quod Hericius; est autem animal spinis horri- 11
dum, sese dum metuit in globum cumulans. Dicitur etiam Echinus terrestris: In sepibus dumosis, & vineis per autumnum præcipuè versatur: conciditur in arboribus hyeme, & cibis per æstatem paratis vescitur; vbi senserit venatores, contractis ore & pedibus, in formam pilæ conuoluitur, ne quid comprehendi possit præter aculeos. Sunt è genere eorum maiores histrices, quibu

lon-s

QVADRVPEDIA FERA MINORA.

longiores oculi, de quibus Plinius lib. 8. cap. 35. *Histrices generat India, & Aphrica spina contectas ex herinaceorum genere: sed histrici longiores aculei, & cùm intenderit cutem missiles.* Est autem notandum illud quod legimus Isai. 34. vers. 11. *Et ponam eam in possessionem herícij*, non esse positam ibi dictionem hebraicam שפן SAPHAN, vt Psal. 103. vers. 18. quod vertunt Hieronymus, & Septuaginta, *hericium*, siue *herinacium*, sed dictionem קפוד KIPHOD, quam D. Hieronymus tam hoc loco, quàm Sophoniæ 2. vers. 14. & Isai. 34. vers. 11. *hiericium*, transfert. Variant interpretes in significatione huius vocis: quidam enim putant esse testudinem, quam tartugam vulgò vocant: Alij castorem: Alij fibrum animal horrendum morsi vi. Non desunt qui coniectent esse cypsellum auem, quæ super paludes, & maria rapidissimo volatu fertur, ex hirundinum specie, quæ apodes vocantur, vulgò *ventepos*: sed tanta horum interpretum dissentio, à veritate deuiationem ostendit, quare standum est interpretationi D. Hieronymi, & etiam Septuaginta interpretum, qui vbique, *hericium*, vertunt.

VVLPES.

12 Vulpes animal est ferum singulari astutia, nulli non notum. Hunc dolos à natura datos Lucretius attestatur, & apud Varronem insignis adeò est animalis huius calliditas, vt vulpinari inde verbum confictum fuerit, quod ἀλωπεκίζειν dixêre Græci, cùm astutè doloséque fieri aliquid exprimere significantius voluerint; atque etiam pro decipere ἀλωπεκιῶ, hanc αἴθωνα. Pindarus Olympij Agesidamo nuncupat, idque διάπυρον, quippe promptitudinem, & sagacitatem morum significare ait Demetrius Triclinius eius interpres. Verba Pindari sunt: *Nec callida vulpes neque latè rugientes leones, quem à natura acceperint morem immutarint.* Vulpem sanè Siculi ob versutiam facillimámque in deludendis canibus motationem, dolíque promptitudinem cinædum appellauêre. Saluator noster super Hærode loquens: *dicite*, ait *vulpi illi*, &c. Subdolam nimirum, & vafram eius astutiam notans; de qua Plutarchus in moralibus ait, pardum vulpem olim contemnere solitum, quòd ipse tot colorum lepore pellem variegatam haberet, cui vulpes respondit in animo sibi esse eam colorum varietatem, quam ille habebat in tergore: Ideò autem vulpem senem capi non posse dictitatum. Denique veteres si quid omni conatu omníque dolo factum ostendere vellent, leoninæ pelli vulpinam assuebant, quarum altera vires, altera fraudes indicaret, id quod, vt inquit Plutarchus, Adagij loco sæpe vsurpatum est à Lysandro: dicere námque solebat es leonis spolio vulpiculæ pellem assuendam, quippe vbi per vires sufficere non posses, consilium & artem adiiciendam.

13 Vulpes autem in sacris literis à foueis quibus gaudet vocatur שועל SVAL: Nam שועל SOEL propriè pugnum significat, pugillum, & manum contractam, qua aliquid complectimur: Hinc ob similitudinem transfertur ad fossam significandam, & inde vulpes vocata שועל SVAL, quia in foueis habitat; Quare משעול MISOL exponunt quidam Numer. 22. vers. 24. *vulpinetum*, quòd vulpes ferè inter vineas habeant suas foueas: Alij, *semitam vinearum*, transferunt: sic autem dici putant huiusmodi semitas à pugno, quòd inter vineas sit arcta via, non arctior, quàm in ea gradi quis possit, & omnia inter se

qua-

quadrant: Nam & huiusmodi arctis locis vulpes gaudent, vt Christus inquit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos*, &c. Itaque locum illum Numer. 22. quidam sic transferunt: *Et stetit Angelus Domini in semita vinearum.* D. verò Hieronymus, *In angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cinguntur.*

M V S.

Mus exiguum animal à Dioscoride κατοικίδιος domesticus ad aliorum discrimen dictus, distinguitur à sorice, quòd sorex maior sit mure, clariúsque strepat, de quo est Prouerbium: *Sorex suo perit indicio.* Vtrumque est animal nobis infestum: sorices tamen, quia maiore sunt corpore plus afferunt detrimenti; domos nostras frequentantes, omniaque corrodentes. Plinius lib. 8. naturalis historiæ cap. 57. scribit plura esse murium genera in Cyrenaica regione: alij lata fronte, alij acuta, alij Herinaceorum genere pugnantibus pilis. Theophrastus auctor est in Gyrao insula cùm incolas fugassent, ferrum quoque rosisse eos, idquod natura quadam, & ad chalybas facere in ferrariis officinis. Aurariis quidem in metallis, ob hoc aluos eorum excidi, sempérque furtum id deprehendi: tantam esse dulcedinem furandi. Venisse murum ducentis nummis. Casilinum obsidente Annibale, eúmque qui vendiderat fame interiisse, emptorem vixisse annales tradunt. hæc Plinius. Quòd autem mus domi, & in agro fodiendo, & corrodendo res turbet, dictus est עכבר ACBAR, vt quidam volunt, ab עכר ACAR quod est turbare, Beth inserto, d. flectentes hanc vocem. Fit autem eius mentio 1. Reg. 6. vers. 4. & Leuit. 11. vers. 29. Murus autem araneus est quem Græci μυγάλην appellant, composito nomine ἀπὸ τοῦ μυὸς, καὶ γαλῆς, hoc est, à mure & mustella, quòd muris magnitudine sit, mustellina specie, ore oblongo, cauda gracili, versu dentium quadruplici. Vt inquit Ætius, abundat his insula Britania. Murium marinorum meminit Plinius lib. 9. cap. 19. 14

Muris verò peregrini meminit D. Hieronymus Epistola ad Demetriadem virginem de virginitate seruanda, sic enim ait: *Cincinnatos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas.* de quibus illud Arbitri est: ***non bene olet, qui bene semper olet***, quasi quasdam pestes, & venena pudicitiæ virgo deuitet. Mus autem peregrinus animal est, ex quo flagrans liquor, pelliculam etiam afflans prouenit. Marianus Victorinus locum hunc Hieronymi elucidans: ***Apud nos***, inquit, *rutili sunt, & in syluis agrísque viuunt, à domesticis muribus paruulis nihil differentes. Verum hic de externo loquitur mure. Muris verò nomine veteres comprehendebant animalia etiam felis magnitudine, vt est mus Alpinus, quem Marmottam nunc dicunt, & mus ponticus, quem Armelinum appellant.* hæc Marianus Victorinus. 15

M V S T E L A.

Mustela animal est paruum, sed oblongum, flaui coloris, quod columbariis aliísque id genus auiariis maximè insidiatur, oua exorbens, ipsásque etiam aues enecans. Plinius lib. 29. cap. 4. mustelarum duo facit genera, magnitudine distantia: syluestre quod Græci ictidem vocant, & alterum domi nostræ oberrans, quod suos quotidie transfert catulos, & serpentes persequitur. Est etiam mustela γαλεὸς piscis nomen apud Plinium lib. 9. cap. 17. proximam à 16

 scaro

scaro bonitatem obtinentis, quem Paulus Iouius in eo libello quem de piscibus romanis edidit, multis argumentis ostendit eundem esse, quem nos à lambendis petris lampetram vocamus. A breuitate autem mansionis quidam putant mustelam dictam hebraica voce חלד Choled: est enim חלד Choled sæculum, siue huius sæculi, & vitæ curriculus, & status cito cessans, cuius mentio fit Leuit. 11. vers. 29. vbi D. Hieronymus, *mustelam*, transfert.

TALPA.

17 Talpa animal est captum oculis, muri simile, quod & arua, & hortos suffodit, cuius mentio fit Leuit. 11. vers. 30. vbi vocatur תנשמת Tinsemeth, & *talpam*, D. Hieronymus interpretatur. Hæc vox iuxta eundem D. Hieronymum eodem cap. 11. sygnum designat: alij vertunt, *Porphyrionem*, nonnulli, *vespertilionem*, vers. 18. citato. Aiunt autem talpam de terra simul, & puluere creari, quod Græci ἀσπάλακα vocant; fodit terram, estque radicibus herbarum infestum. Nomen autem græcum sortitum est παρὰ τὸ σπᾶν, quoniam super terram vnguibus suis vellicat & perforat. Quia verò cæcum est hoc animal Prouerbio dicitur ἀσπάλακος τυφλότερος, de eo qui visu supramodum hebeti est & obtuso, vel etiam prorsus cæcus.

TESTVDO.

18 Testudo animal est tardigradum, à testa qua tegitur nomen habens. Earum genera sunt marinæ, palustres, terrestres, & lutariæ, quæ in dulci aqua versantur. Ex his marinæ in Indico mari in tantam euadunt magnitudinem, vt singularum superficies habitabiles casas integant: Atque inter insulas rubri præcipuè maris non aliis ferè nauigant cymbis. Vocatur autem testudo à Græcis χελώνη, marina dicitur, θαλαττία χελώνη: terrestris verò χερσαῖα, quarum illam ἐνυδρὸν quidam nuncupant, aquaticam scilicet. Hanc verò ὀρεινὴν montanam, quoniam in montibus degat. Vtriusque meminit Aristoteles historiæ animalium lib. 2. & Nicander in Alexichamar, à quo montana vocatur κυτισήνομος, quòd cytismum pascatur. Quidam id quod hebraicè vocatur קפד Kiphod, putant esse testudinem: sed hi maximè à scopo aberrant, cùm Sophoniæ 2. vers. 14. & Isai. 34. vers. 11. tam D. Hieronymus, quàm Septuaginta interpretes hanc dictionem interpretentur, *Hericium*.

Caput V. DE HIS QVAE QVADRVPEDAE *substantiæ propria sunt.*

OCcurrunt quædam in sacris literis, quæ propria sunt, & solis ferè quadrupedibus conueniunt; propterea visum est ea hoc quinto capite discutere, antequam ad alia substantiæ sensitiuæ genera transeamus.

BESTIA.

1 Bestia nomen est generale, omnia animalia rationis expertia complectens: Nam & de piscibus, & volucribus dicitur. Vocatur autem בהמה Behema voce hebraica in sacris literis, in quibus animal in vniuersum significat: est nomen quod sub quocunque genere venerit vtrumque comprehendit sexum. Significat bestiam terrestrem, siue domesticam & cicuratam, siue feram & agrestem,

agrestem, rectam pedibus gradientem, quadrupedem dicere potes, quod neque aues, neque reptilia apud Hebræos complectitur. Itaque generale est nomen cùm absolutè ponitur, non adiuncto nomine חיה CHAIA, quod feram peculiariter designat, nisi postulante sententia arctetur ad significandam bestiam domesticam, quam Iumentum appellamus. Vox autem חיה CHAIA latius patet vbi generaliter sumitur: complectitur enim omne animal ἄλογον, id est, irrationale, cuiúsque sit generis. Est autem illud præcipuè notandum, in sacris literis dictionem hanc חיה CHAIA quæ animal significat, animam etiam hominis significare, eo quòd semper viuat: est enim חיה CHAIA viuere; Designat etiam animam iumentorum, quòd vitam illis tribuat, quamquam non perpetuam. Nonnunquam est ipsa vita, quam animalem dicimus, quæ in animalibus, & vitalibus functionibus consistit, & in perpetua actione versatur, de qua Christus Matth. 6. *Ne sitis solliciti animæ vestræ*, &c. Paulus vocat ψύχην 1. Cor. 15. Hinc sæpe sumitur pro vitæ commoditate: item pro comedendi auiditate & ingluuie, vt Iob 38. sub finem. Et quamuis חיה CHAIA, vt plurimum, sit ζῶον animal generale, sumitur tamen interdum specialiter pro fera, quòd in ea sit maxima viuacitas, & carnibus vescatur. Sic loquutum legimus Iacob Genes. 37. vers. 20. חיה רעה CHAIA RAA, *fera pessima deuorauit eum*. Interdum vbi חיה CHAIA post se habet שדה SADE, campi nomen & cicures & feras complectitur, vt Genes. 2. vbi omnia animantia ad hominem adducta leguntur. Significat quoque חיה CHAIA iuxta quosdam viuarium, id est, villam aut locum vbi animalia aluntur, vt 2. Reg. 23. item חיה CHAIA interdum pro agmine sumitur, quòd in modum ferarum prædatur, vt apparet ex 1. Paral. 14. Illud autem Psal. 67. vers. 31. quod Septuaginta reddunt, *increpa feras arundinis* & D. Hieronymus, *bestias arundinis*: Alij, *increpa*, vel, *perde* חית CHAIATH, *agmen vel cœtum arundinis*, interpretatur, id est, habentiū arundines, hoc est, lanceas & illud Psal. 73. vers. 19. quod Septuaginta transferunt, *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi, & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem*, vbi vox חית CHAIATH posita est; & non desunt qui interpretentur: *Congregationes pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.*

BELVA.

Belua apud Latinos immanem feram significat, à bello. hoc est, à bono, vel pulchro, κατ' ἀντίφρασιν (vt quidam exponunt) dicta est, aut aliis placet, à substantiuo bellum, quòd bestiarum sit bellum sibi mutuò inferre, quibus natura ad hoc ipsum arma videtur concessisse. Belua etiam de homine fero stupido, & hebeti dicitur. Illud autem quod legitur Iob 40. vers. 10. *Ecce Behemoth quem feci tecum fœnum quasi bos comedet*: Quidam tam ex Hebræis, quàm ex nostris ita interpretantur, vt dicant בהמות BEHEMOTH significare Elephantum, à mole corporis, qua cæteras quadrupedes beluas superat, efferríque pluraliter ad ingentem beluam significandam, sicut & Psal. 72. vers. 22. vbi legimus, *vt iumentum factus sum apud te*: ibi enim pro iumento, posita est dictio בהמות BEHEMOTH: dicit ergo se factum esse apud Deum BEHEMOTH non bestiam tantùm, sed instar plurium bestiarum, vel ingentem bestiam, *vna grande bestia*, vt vernaculè dicimus, stupidissimum, & stultissimum hominem significantes. 2

Iumentum autem apud Latinos à iuuando dictum est, id est, operam præbendo, cuius appellatione continentur animalia, quæ vel sarcinas gerunt, vel rus trahunt, vel terram excolunt. Denique bestiæ campi, siue agri à diripienda significantur voce hebraica זיז Z I Z. Est enim בזז B A Z A Z diripere, prædari, ideóque dicunt nonnulli זיז Z I Z bestiam significare agrestem, & in vniuersum ea animantia, quæ gramina pascua fructus arborum, aut alia edulia carpunt & diripiunt, à Septuaginta, *singularis ferus*, interpretatur Psal. 79. vers. 14. vbi legimus: *singularis ferus depastus est eam*: alij, *& bestia agri depascetur eam*. D. verò Hieronymus, *& omnes bestiæ agri depastæ sunt eam*.

F OE T V S.

3 Fœtus à fouendo dicitur, quoniam dum in vtero est, & postquam eductus est, à matre fouetur, vel ἀπὸ τοῦ φοιτᾶν, quo verbo rem veneream significarunt pudenter. Est autem fœtus generale nomen ad omnia pene quæ nascuntur; sunt enim fœtus omnium quadrupedum, siue feræ, sint siue cicures. Præterea etiam auium & piscium, atque adeò etiam hominum, neque animalium tantùm fœtus dicuntur, verùm etiam insensibilium: Nam & arborum fœtus passim legimus, & fœnum, terræ fœtum vocamus. Fœtum autem esse propriè de pecore dicitur. Hinc legimus Genes. 33. vers. 13. *Nosti, Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas*, in hebraico pro fœtas, habes עלות A L O T H: sic autem dicuntur, quòd super illas ascenderint hirci & tauri: est enim עלה A L A ascendere, quod ex illo loco Genes. 31. vers. 10. vbi hirci dicuntur העלות H A A L O T H ascendentes super oues. Quod autem transtulit D. Hieronymus, *fœtas*, intellige exoneratas, & lactentes paruulos. Quidam enim dictas putant עלות A L O T H, ab עול V L, quod est lactare; vnde animalia lactantia hoc nomen sortita sunt. Itaque origo huius vocis (siue sit עול V L, siue יעל I A A L, siue עלה A L A) esse animantes, quæ lactando prosunt, & quibus in vbera lac ascendit. Non desunt qui dicant sic fœta animalia dici à paruulis suis, qui dicuntur עולים V L I M hebraica voce. Sensus ergo est: *Tu nosti, Domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas*, id est, lactantes & nutrientes suos fœtus mecum, quas si plus, *&c.* Sic etiam intellige locum illum 1. Reg. 6. vers. 7. *Et vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum*, quæ עלות A L O T H dicuntur: has autem vaccas fœtas exoneratas, & lactantes quoque intellige. Esse autem hoc sic accipiendum apertè docet D. Hieronymus, qui vers. 10. eandem dictionem exponens, ait: *Vaccas quæ lactabant vitulos*, id est, fœtas exoneratas iam, & nutrientes, vbi sensum optimè expressit: Nam Latinis fœta non modò grauida pecora dicuntur, sed etiam exonerata.

R V M I N A T I O.

4 Ruminare nonnullis conuenit ex quadrupedibus: est autem idem quod remandere, & cibum à rumine ad os reuocare, propriéque de iis dicitur animantibus, quæ in superiori mandibula dentes primores non habent. Est autem rumen propriè in animalibus quibusdam quidam quasi ventriculus, quo illa pabulum ad tempus demittunt, indéque rursus ad os reuocant, vnde & ruminatio nomen accepit. Ruminatio autem apud Hebræos, quæ גרה G E R A vocatur, à gutture deducitur, quod vocata גרגרת G A R G E R E T H. Hinc quoque

que גר Gar ruminauit. Deducunt autem hanc vocem Hebræi à gutture, quòd cibus è ventre per guttur ad os reducatur, vt melius & contundatur, & molatur. Porrò גר Gar verbum est, גרה Gera nomen. Sunt qui rumen exponant præmansum, quod animal ex imo retrahens denuò ruminat. Alij verò hanc vocem deducunt à נגר Nagar, quod est fluere, eò quòd cibus refluat ad os ruminante animali.

PASTVS.

Pastor in sacris literis ille dicitur, cui pascendi pecus cura mandata est: nã pascere non solum significat vesci & comedere, sed aliquando actionem notat, & significat cibum præbere, quasi cibo saginare: per translationem verò aliquando delectare designat, iuxta illud Virgilij Æneid. 1. 5

Atque animum pictura pascit inani.

Sic pascere oculos, est visu alicuius rei gratæ eos oblectare: Hinc etiam pascuum fit à quo plurale etiam pascua dicuntur loca, in quibus pecudes pascuntur, siue ager pascuus sit, siue pratum, siue mons aut collis. Hinc Ouidius 2. Meta. herbosa pascua vocat, & Horatius 4. carm, ode 4. læta pascua: hinc factum est, teste Plinio libr. 18. natural. historiæ cap. 3. vt pascua dicerentur in censoriis tabulis omnia, ex quibus populus reditus haberet. In sacris verò literis pastor רעה Roe nuncupatur, & etiam רעי Roi. Est etiam רעה Raa pascere se vel alia: nam & ouibus & pastori tribuitur variis in locis sacræ scripturæ, pastori quidem transitiuè, quatenus alia pascit: complectitur autem hoc verbum omnia boni pastoris officia, quæ ad pasturam pertinent, & cæteras conditiones, quæ Psalm. 22. & alias in Prophetis, item in Christo Ioan. 10. describuntur, quales sunt dulci in eos esse affectu, agendo, alendo, defendendo. Sumitur autem figuratè pro regere, vt & græcis ποιμαίνειν bonis regibus & doctoribus tribuitur, qui salutaribus legibus, & sana doctrina populum pascunt & regunt. Quare vbi legimus psalm. 22. vers. 1. *Dominus regit me & nihil mihi deerit*, in hebraico est, *Dominus* רעי Roi *regit me*: vtrumque enim significat verbum græcum ποιμαίνει: sed hebraicum ad verbum *pascit me*, vel *pastor meus*, sic D. Hieronymus: Septuaginta verò transtulerunt: *Dominu regit me*, Chaldæus Paraphrastes: *Dominus pauit populum suum.*

Quare quod legimus Ieremiæ 22. *omnes pastores tuos pascet ventus*, quia vox hebraica רעה Raa conterere aliquando significat, & confringere, quidam sic interpretantur: *Omnes pastores tuos abducet ventus, ac pellet, sicut ventus gregem solet pellere & abigere*, quem sensum sequi videtur Chaldæus Paraphrastes. Alij sic exponunt: *omnes pastores tuos conteret ventus, quem ipsi sequuntur*, vel *pascet*, id est, comedet, & consumet ventus, Chaldæus verò Paraphrastes: *Omnes gubernatores tui abigentur in omnem ventum*, nempe reges Assur & Ægypti, qui illis erant tanquam gubernatores. Reperies etiam in sacris literis pastorem dici נוקד Noked, à notis quibus sua pecora ab aliis distinguunt. Putant ergo sic appellari, quasi inustorem quòd pecoribus notas inurat. Alij ex eo putant armentario hoc nomen tribui, quòd pecora quæ ferè maculosa sunt, & quasi pũctata, pascat, & sic vocantur נקדים Nekudim animalia alba, in quibus sunt maculæ nigræ, vel nigra, in quibus sunt maculæ albæ instar punctorum: est 6

enim נקודה Nekvda punctum. Quidam hanc vocem conferunt cum יקד Iakad vrere, quasi inustum sonet, eò quòd pastor, vt dictum est, inurendo pecora notet quasi punctis & maculis; quare illud Gen. 30. vers. 32. *Gira omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias, in sparso vellere*, ad verbum est, *separa inde omne pecus*, נקד Nakod *varium & respersum maculis*, sic vers. 33. & vers. 39. נקדים Nikvdim varios & maculis respersos significat. Eandem vocem habes cap 31. vers. 8. & 10. & 12. & 30. vers 35. quare נוקד Noked, est pastor vel Dominus gregis quia ferè in gregibus sunt pecudes maculosæ: sic intellige illud 4. Reg. 3. vers. 4 *Porrò Messa Rex Moab nutriebat pecora multa, & soluebat Regi Israel centum millia agnorum, & centum millia arietum cum velleribus suis*, In hebraico est: *Messa Rex Moab erat*, נקד Noked *Dominus gregis*, id est, habebat greges plurale habes Amos 1. vbi legimus: *verba Amos qui fuit in pastoralibus Thecue*, ad verbum, qui fuit בנקדים Banokedim inter pastores, siue armentarios Thecue.

7 Non solùm pascere per translationem est gubernare, & præesse in sacris literis, vt 1. Paralip. 11. *Tu pasces populum meum Israel*, sed ad doctrinæ etiam administrationem elegantissimè transfertur, vt Ieremiæ 3. *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascent vos scientia & doctrina*, & Ezech. 34. *Nonne greges à pastoribus pascuntur*, & Ioan. 21. dixit Iesus Petro: *pasce oues meas*, Prima quoque Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem, prouidentes non coactè, sed spontaneè*. Atque vtraque significatio ferè in omnibus locis confunditur, vt pascere idem sit quod docere, & recta disciplina gubernare. Pastor quoque aliquando Regem designat potentem, & auctoritate præditum ministrum, vt Isaiæ 44. *Qui dico Cyro pastor meus est, & omnem volũtatem meam complebis*. Doctrinæ verò legitimus minister, cuius summum exemplum Christus est, pastor dicitur, vt Matth. 26. *Percutiam pastorem & dispergentur oues gregis*, & Ioann. 10. *qui intrat per ostium pastor est ouium, & ego sum pastor bonus*: Hinc Ephes. 4. *alios dedit pastores & doctores*, & 1. Petri 1. *Cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ cocoronam*. Pastus præterea, & pascua, disciplinam, & spiritale alimentum designat, vt Thren. 1. *Facti sunt principes eius velut arietes, non habentes pascua*, & Isaiæ 49. *super vias pascentur, & in omnibus montibus pascua eorum*, quod etiam copiam, res secundas,, & prosperum statum rerum populi notat. Nonnunquam etiam vastitas & desolatio pascendi verbis significatur, vt Isaiæ 17. *Derelictæ sunt ciuitates, Aroer gregibus erunt, & requiescent, & non erit qui exterreat.*

CORNV.

8 Cornu secundùm aliquos à curuore, vt scribit Varro, nominatur: hinc fiunt vnicornis, bicornis, tricornis qundricornis: per translationem autem cornua fluminum dicuntur flexus & curuitates alueorum, quod multis in locis ad cornuum similitudinum flectantur. Item cornua antennarum significãt vtramque partem antennæ. Similiter in prælio cornua dicuntur aciei partes, ab vtroque latere prominentes: in exercitu enim est dextrum & sinistrum cornu, & quod inter vtrumque est, dicitur media acies. Denique cornu genus est tubæ obtortæ, à quo cornicines dicti sunt, & dicitur cornu etiamsi ex ære sit, propterea quòd prius è cornibus fiebant, Vocatur autem apud Hebræos cornu

cornu קרן Keren, & per translationem significat fortitudinem, præsidium, potentiam, regnum, quòd prædura sint, & robusta animantium cornua, in quibus & fiduciam suam collocant, & vim repellunt, vel impetum faciunt in alia. Transfertur etiam in sacris literis, & ad alias res per similitudinem, sic cornua altaris in templo dicta manubria angularia, item radij quos lux cornuum more ex se diffundit. Sunt autem affines voci hebraicæ קרן Keren, latina vox cornu, & græca κέρας elucidari facilè possunt multa sacræ scripturæ loca, qr quod legimus 1. Reg. 2. vers. 1. *Exaltatum est cornu meum in Deo meo*, vbi fortitudo appellatur cornu, eò quòd est locus altior qui sit in animali, & est eius fortitudo, quò alludit illud Deuter. 33. vers. 17. vbi de Ioseph scribitur: *quasi primogeniti tauri pulchritudo eius: cornua Rinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ*, vbi pro *ventilabit*, in hebraico habes, *cornupetet*, significatur ergo metaphoricè hominis fortitudo, ac si dixisset, exaltatum est caput meum super inimicos meos. Illud autem Iob 16. vers. 16. *Saccum consui super cutem meam & operui cinere carnem meam*, ad verbum legitur קרני Karni *Operui cinere cornu meum*, quod Septuaginta reddiderunt: *robur meum in terra extinctum est*,. Non desunt qui interpretentur *caput meum*, vel *splendorem meum*. Similiter quod legimus Abacuc 3: vers. 4. *Cornua in manibus eius*. quidam, *splendores in manibus eius*, transferunt, vel, *à manu eius*, vel, *splendores de manu eius*, dictum est enim in principio versus: *splendor eius vt lux erit*, sequitur autem: *& cornua in manibus eius*, ibi abscondita est fortitudo eius.

Sic etiam exponenda sunt verba illa Exodi 34. vers. 29. vbi de Moyse dici- 9
tur: *Et ignorabat quòd cornuta esset facies sua*: ad verbum est in hebraico: *Moyses nesciebat quod* קרן Karan *splenderet cutis vultus eius*, aut, *faciei dum loquebatur cum illo*, id est, nesciebat quòd radicaret, & iubar, seu splendorem emitteret radiorum instar cornuum, vel quòd splendida reddita esset, interim dum colloqueretur cum Domino: ad modum enim cornuum à facie illius egrediebãtur splendores aut radij splendentes; vnde Chaldæus Paraphrastes: *nesciebat, quòd creuisset splendor faciei suæ*, quem sensum Paulus Apostolus sequitur 2. Cor. 3. in hunc modum scribens: *Quod administratio mortis in literis deformata lapidibus fuit in gloria, adeò vt non possent oculos intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ aboletur: cur non potius administratio spiritus erit in gloria.* Denique cornua in sacris literis regnorum imaginem exprimere non vno loco videmus: cornu autem simplex vnicum imperium Alexandri, quod deinde in quatuor regna diuisum est apud Daniel. cap. 8. exponimus. Aliquando verò superbiam arrogantiámque significat cornu, vt Psalm 74. *Nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum.* Est quoque cornu virtutis & victoriæ symbolum, vt Psalm. 88. *In beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum*, & Psalm. 91. *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum.* Decus etiam & honorem significat, vt Psal. 111. *cornu eius in gloria.*

LANA.

Lana est quod de ouibus detondetur, aut deciditur à laniãdo, laniare enim 11
scindere est: scinditur autem nunc lana, quæ velli solebat, vnde à vellendo vellus dicebatur auctore Varrone. Sunt qui à leuitate, hoc est, mollitie lanam dictam

QVADRVPEDO PROPRIA.

&am putent: est autem in sola oue lana, nam cæteræ quadrupedes pilos aut cetas habent. Vocatur voce hebraica צמר SEMER, estque affinis verbo זמר ZAMAR, quod incidere & putare significat. Quare etiam apud Hebræos lana ab incidendo זמר ZEMER dicta videtur; vnde fit, vt צמרת SAMERETH ramum altum in arbore significat, quam vocem aliqui à lana deducūt, quasi lanuginem dicas, quòd lanuginosæ illis locis sint arbores. Apud Ezech. autem cap. 57. verf. 7. vbi legimus: *Et tulit medullam cedri*, pro medullā in hebraico est צמרת SAMERETH, & quod ibi D. Hieronymus *medullam* interpretatur, alij reddunt *summitatem cedri*, vel, *summum ramum cedri*, Chaldæus Paraphrastes exponit, *fœtum*, id est primogenitum cedri: Sed idem D. Hieronymus Ezech. cap. 31. verf. 3. interpretatur cacumen, *Inter condensa*, inquit, *frondes eleuatum est cacumen eius*, & ver. 10. vertit summitatem *pro eo quod*, inquit, *sublimatus est in altitudinem, & dedit summitatem suam virentem atque condensam.* Quare videtur Hieronymus per medullam cedri metaphoricè intellexisse quod præstantissimum est in cedro, id est, ramum magis eleuatum. Ac, vt finem faciamus, teste Plinio lib. 8. cap. 48. oues non vbique tonduntur, durátque quibusdam in locis vellendi mos.

Caput VII. DE SVBSTANTIA REPTILI.

PRæter quadrupedia animalia, occurrunt in sacris literis alia nonnulla, quæ exiguis, aut nullis pedibus constant; de his quoque ad exactam sacrarum literarum intelligentiam agendum erit, quæ reptilia dicuntur.

R E P T I L E.

1 Reptile est quidquid repit, hoc est, sine pedibus progreditur, aut quod pedes habet adeò exiguos, vt eis carere videatur: nam propriè repere de animalibus dicitur, quæ pedibus carent, & ventre gradiuntur, vt sunt vermes, quæ quidem animalia inde reptilia dicuntur, græcè ἑρπετά. Hoc etiam nomen sortiuntur ea animantia quæ paruos habent pedes, qualia sunt lacertæ & similia. Transfertur etiam hoc nomen ad radices, quæ & ipsi repere dicuntur, cùm sese propagant & diffundunt.

S E R P E N S.

2 Serpens reptile animal est, dictum à serpendo, quòd repat, & ventre gradiatur. Serpentes autem Esculapio sacros olim fuisse memoriæ proditum est, sed non vno modo & eadem ratione: Alij enim, quòd serpens quotannis reiuuenescat, & bis ferè in anno, nempe vere atque autumno λεβήριδα, id est, pellem suam à capite vsque ad caudam exuat: aiunt enim Esculapio magno medico id maximè conuenire, vt qui depulsis hominum morbis, homines quodammodo in iuuentutem & pristinum statum reducat. Sunt qui ideò illis perpessi credant, quòd serpentes inter omnia animantium genera acerrimè intueantur, vnde & prouerbio homines perspicacissimos ὄφεως ὄμμα id est, serpentis oculum vocant; & δράκοντες dicuntur, ἀπὸ τοῦ δέρκειν, id est, à videndo: sed alij potius censent angues, siue serpentes Esculapio propterea fuisse sacros quòd huic animali multa remedia insint, quale hoc fuerit contra omnium serpen

serpentum ictus, quamuis etiam insanabiles, exta serpentum vulneri imposita auxiliari, & hoc etiam eos qui viperæ iecur coctum hauserint, nunquam postea feriri à serpente.

Prope Arcticum polum dicuntur extare gentes adhuc nonnullæ, quæ serpentes venerantur: quam consuetudinem fuisse etiam Lithuanis anno 1386. Cromerius testatur lib.15. ita vt viperas alerent, quasi lares familiares, lac iis libarent, & gallos immolarent. Quid igitur miremur, vt est apud Danielem cap.14.tam religiosè à Babyloniis cultum fuisse draconem.Sed quid Babylonios memoremus. Romani ipsi Epidauio aduectum anguem venerati sunt honoribus diuinis.Nota historiam tum ex aliis,tum è Valerio Maximo.E Plinio verò discimus lib. 29. & libr. 1. cap.8.adhuc ætate sua cultum fuisse illius genus:nam Athenienses qui sunt habiti sapientiæ totius assertores,serpentem quendam viuum colebant, arcis custodem, menstruáque illi libamenta proponebant,quasi numen aliquod illi foret ingenitum natura sua.Scribit præterea Elianus lib.5.cap.12.16.& 17.à Thessalis & Epirotis serpentem cultum similiter ab Indis tempore Alexandri. Ludouicus Barthena in Itinerario suo tradit ab Indis cis Gangem coli adhuc serpentes quosdam, quasi spiritus illis & diuinitas adsit, sicut antiquis temporibus in more positum fuisse non modò Elianus testatur,sed etiam Maximus Tyrius serm.3. 3

Varia autem serpentum genera in sacris literis reperimus. Nomen autem commune serpentis, & magis vniuersale est נחש NACHAS, dicitúrque sic à curiosa obseruatione,& insidiis:nam & Gen.3.serpens callidissimus fuisse dicitur omnium animantium: significat enim נחש NACHAS experiri, tentare. Hoc nomen habet Leuiathan Isaiæ 27. vers. 1. vbi legimus: *In die illa visitabit Dominus super Leuiathan serpentem vectem*, vbi pro לויתן LEVIATHAN, quod nomen est draconis vel ceti marini, vocatur נחש NACHAS, id est, serpens. Dicitur etiam vectis,siue vectans, id est, instar vectis transiens mare ab extremo ad extremum: intelligit autem Ægypti Regem, in Nilo & in mari imperantem,fit eius mentio Psalm.74.vers.14.& Iob 3. vers. 7. Inueniuntur autem in Æthyopia alati quidam serpentes,id est, velocissimi, & procul dissilientes, vt volare videantur.Sic quidam interpretantur locum illum Isaiæ 14. vers.29. *Ne læteris Philisthia omnis tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem*, pro *absorbens volucrem*,in hebraico est, שרף מעופף SARAPH MEOPHEPH, quod Septuaginta interpretantur *serpentes pennatos*,est autem שרף SARAPH serpens ignitus, vt habes Numer.21.vers.6.*Quamobrem*, inquit, *misit Dominus in populum ignitos serpentes*, vbi dicuntur שרפים SERAPHIM. Igniti verò vocantur ab effectu, quòd morsu inducerent colorem quendam intentissimum in carnem, affectam veneno eorum. Hic ergo serpens ignitus vocatur hoc loco alatus: id enim significat מעופף MEOPHEPH. Itaque hoc loco volandi verbum, pro mouendi vsurpari potest. Neque tamen D. Hieronymus quando interpretatur, *absorbens volucrem*, à sensu Septuaginta interpretum est alienus: nam per absorbentem volucrem, serpentem pennatum: siue volantem videtur intelligere: verisimile enim est, huiusmodi pennatos serpentes volatu suo, siue sua 4

ANIMAL REPTILE.

velocitate potentes fuisse, & validissimos ad volucres persequendas, vt eas deuorarent atque absorberent. Intelligit ergo D. Hieronymus שרף Saraph esse serpentem ignitum & pennatum, siue volantem, qui volucres absorbet. Est ergo sensus: *Ne læteris Philisthea, quòd virga percussoris tui comminuta sit, quia de radice colubri egredietur regulus, & semen eius erit tibi quasi serpens ignitus, volans, siue sicut absorbens volucrem.* Quid autem nomine colubri aut reguli intelligatur, explicat Chaldæus Paraphrastes, qui sic habet: *Ne læteris Philisthea vniuersi vos, quia contritum est dominium cui seruiebatis: quoniam de filiis filiorum Iesse egredietur Christus, & erunt opera eius in vobis quasi serpens volans.*

SERPENS PRESTER.

5 Est præterea πρήστηρ Prester etiam græcis, ab vrendo dictus draco, alatus & volans, igniti coloris, non homines tantum, sed & fruges lethali ardore & afflatu inflammans atque adurens, de quo Lucanus:

Oráque distendens auidus spumantia Prester.

Habet autem inextinctæ sitis ardorem quem infert morsu. Idem est qui δίψας & καῦσος à Dioscoride vocatur lib. 7. cap. 13. vide Aetium de Dipsade. Hic serpens Prester dictione שרף Saraph significatur Numer. 25. vers. 6. vt iam dictum est. Nam πρήστηρ apud græcos dicitur, qui incendit & inflammat: πρήθω enim est inflammo & incendo. Hinc πρήστηρ ἄνεμος est ignitus turbo, contactu comburens, de quo Plinius lib. 2. cap. 48. Quod si maiore depressæ nubis eruperit specu, sed minus lato quàm procella, nec sine fragore, turbinem vocant, proxima quæque prosternentem. Idem ardentior accensúsque dum fuerit prester vocatur, & Seneca natural. quæst. lib. 5. cap. 13. *Hic ventus*, inquit, *circumactus, & eundem ambiens locum, & se ipsa vertigine concitans, turbo est: Qui si pugnacior est, ac diutius volutatur, inflammatur, & efficit quem πρήστηρα græci vocant.* Inde ergo πρήστηρ, id est, prester, nomen sortitus est serpens iste ignitus, ab incendendo, qui etiam שרף Saraph vocatur in sacris literis, ab inflammando & comburendo: id enim significat שרף incendere.

SERPENS CERASTES.

6 Cerastes serpentis species est, græcè dicitur κεράστης, à cornu, quod κέρας vocatur, de quo Plinius lib. 9. cap. 23. Cerastis corpore eminere ait cornicula sæpe quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato sollicitent ad se aues geminum caput amphisbene, hoc est, ad caput & ad caudam, tanquam parum esset vno ore fundi venenum; Aetius verò scribit, eum in capite habere duas eminentias ad cornuum similitudinem. Descriptionem huius serpentis apud eundem reperies. Quæ verò symptomata comitentur eos qui ab eo icti sunt, & quæ adhibenda remedia, idem Aetius, Paulus, Ægineta, item Celsus, & Plinius docent. In sacris verò literis vocatur Cerastes hebraica voce שפיפון Sephiphon, à percutiendo, & mordendo: est enim שוף Suph percutere, & mordere sufflando, vt solent serpentes: nam & נשף Nasaph est flare, sufflare. Quare Gen. 3. vers. 15. vbi legimus: *ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*, in hebraico est תשופנו Tesuphenu, ad verbum: *mordebis calcaneum eius*. talis enim est serpentum consuetudo. Hinc Gen. 49. ver. 17. Cerastes mordere dicitur vngulas equi, id est, calcaneos eius: *Fiat*, inquit, *Dan*

coluber

ANIMAL REPTILE.

coluber in via, Cerastes in semita mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò: vbi dictionem hebraicam שפיפון Sephiphon D. Hieronymus, *Cerastem* reddit. Idem Septuaginta: *Cerastes*, inquiunt, *insidens in semita*, Chaldæus verò Paraphrastes interpretatur, aspidem, *Aspis*, inquit, *insidiabitur iuxta semitam.*

Serpens aspis.

Aspis serpens est paruus, tardi visus, tam præsens habens venenum, vt nullum sit morsis remedium, nisi vt partes læsæ confestim amputentur. Huic animali tantus est amoris affectus, vt vix vnquam sine compare vagetur, ita vt si quis alteram interemerit, tanta est alteri vltionis cura, vt interfectorem persequatur, vnúmque eum in quantouis hominum genere agnitum infestat. Perrumpit omnes difficultates, permeat spatia, nec nisi amnibus arcetur, aut præ celeri fuga, hæc Plinius lib. 8. cap. 28. Sunt autem plures aspidum species, disparésque effectus ad nocendum, de quibus vide Elianum lib. 9. à cap. 20. vsque ad caput 29. sacræ literæ Aspidem hebraica dictione vocant פתן Peten, quod serpentis genus venenosissimum, & rabiosum maxime, quod ab incantatore nulla arte persuaderi queat per antiphrasim: nam פתה Patha est persuadere, flectere, sicque vocatur Psalm. 57. vers. 5. *Furor*, inquit, *illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, obturantis aures suas, quæ non audiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter*, vbi vis malitiæ eius denotatur, quòd incantationi apud eam locus non sit, quo loco Chaldæus Paraphrastes, sicut Septuaginta aspidem reddit, quam D. Hieronymus *regulum* interpretatur. 7

Serpens basiliscus.

Basiliscus genus serpentis est, quod teste Plinio lib. 8. c. 21. in solitudinibus Africæ habitat, candida in capite macula, velut quodam diademate adornatum, acutissimum habet caput, rubeos oculos, & colorem ad nigredinem vergentem, reliquos serpentes sibilo fugat, vt solus regnare videatur. Latinorum nonnulli regulum vocant, Basiliscus autem nomine notius animal est, quàm visu Cyrenaicæ potissimum prouinciæ 12. non amplius digitorum magnitudine, nec vt reliqui serpentes corpus impellit, sed celsius, & in medio erectus incedens, frutices & herbas necat, & non contactu solùm, sed afflatu. Huic tamen tali monstro mustellarum virus exitio est, teste Plinio loco citato. In sacris verò literis Basiliscus à vulnerando nomen habet: vocatur enim צפעני Siphoni: est namque פצע Pasa vulnerare, percutere, ex quo nomen hoc efficitur literis transpositis, de quo Isaiæ 11. vers. 8. *Et delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit*: vbi pro regulo, id est, Basilisco, in hebraico legimus צפעני Siphoni, sicut etiam Isaiæ 14. vers. 29. & Prouerb. 23. vers. 32. & Ierem. 8. vers. 17. sed Isaiæ 59. interpretatur Aspis. Sunt porrò alij qui existimant per hanc vocem hebraicam Siphoni etiam Aspidem significari; Chaldæus tamen Paraphrastes Isai. 11. *Regulum*, id est, Basiliscum exposuit. 8

Serpens vipera.

Vipera serpentis genus est, quod vi pariat ita dictum, vulgo enim persuasum est, pullos erosis matris lateribus cum interitu eius erumpere. D. Ambro- 9

ANIMAL REPTILE.

ſius lib.Exaëmeron:*Vipera*,inquit,*nequiſſimum genus beſtia,& ſuper omnia quæ ſerpentini ſunt generis aſtutior, vbi coeundi cupiditatem aſſumpſerit, murenæ maritimæ notam ſibi requirit copulam,vel nouam præparat,progreſſáque ad litus ſibilo teſtificata præſentiam ſui,ad coniugalem amplexum illum euocat. Murena autem inuitata non deeſt venenatæ ſerpenti, expetitos vſus ſuæ impertit coniunctionis, atque vbi aduentare viperæ comparem ſenſerit,venenum euomit,reuerentiam marito deferens.* Hieronymus verò ad Præſidium ſic ſcribit: *Viperæ per os coitum faciunt, maſculi mortem contemnunt: ſed fœmina in ipſo coitu ſiue maxima dulcedine exagitata, ſiue futuri præſciens periculi dum abſobet ſemen caput maſculi excidit, & ſic eum occidit: ſed cùm conceperit, viſcera illius ab ipſis quos conceperit comeduntur, & ſic matrem occidunt.* De vipera Plinius abundè multis locis,maximè verò lib.10.cap.62. *Vipera*, inquit, *mas caput inſerit in os,quod illa abrodit valuptatis dulcedine, terreſtrium eadem ſola intra ſe parit oua vnius coloris,& mollia vt piſcis, tertia die intra vterum catulos excludit: deinde ſingulos ſingulis diebus parit, viginti ferè numero. Itaque cæteræ tarditatis impatientes, prærumpunt latera, occiſa parente.* hæc Plinius. Apollonius tamen apud Philoſtratum negat hoc eſſe verum, quamuis à grauiſſimis auctoribus affirmetur, eò quòd aliquando viſa ſit vipera catulos ſuos quos peperiſſet,lambere & expolire,idque etiam hodie frequenti experientia cognitum eſt, quò fit, vt rectius dixiſſe putentur, qui viperam dictam exiſtimant quaſi viuiperum, quòd non vt cæteri ſerpentes, ſed viuum pariant animal. Hebraica autem voce in ſacris literis vocatur vipera אפעה EPHE:ſic enim hanc dictionem interpretatur D. Hieronymus Iſaiæ 30.verſ.6.& Iob 30.verſ.16.

SERPENS DRACO.

10 Draco autem ſerpens eſt annoſus, qui multa ætate in magnitudinem inſolitam excreuit:ita dictus ἀπὸ τοῦ δέρκειν, quòd hoc animal acutiſſimi viſus eſſe credatur;vnde etiam à Poëtis theſaurorum cuſtodiis fingitur preeſſe. Plinius lib.8.cap.11.auctor eſt, dracones in India tantam exercere magnitudinem, vt perpetuum cum Elephantis bellum gerant. Denique vt Pauſanias auctor eſt apud Theſpias,cum draco vrbem vaſtaret,Iupiter mandauit vt adoleſcentem ſorte eductum ſingulis annis ſerpenti immolarent: ſors Cleoſtrato obtigit, quare Meneſtratus eius amator machinatus eſt thoracem æneum, ſingulíſque thoracis ſqammis hamum ſurſum verſum contexuit, ex eo ſe thorace induit,ſéque feræ vltro obtulit,vt vnà ipſe & draco interirent. Vocatur autem in ſacra ſcriptura draco voce hebraica תנין THANIN: eſt autem vox communis ad ſignificandos cetos,& piſces magnos, atque dracones. Sunt autem dracones terreſtres & marini Ezech.29.verſ.3. cum ם in fine תנים THANIM eſt draco: *Ecce*, inquit, *ego ad te draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum,* vbi aliqui *cetum* reddunt. Sic etiam appellantur dracones Malach. 1.verſ.3. *Montes*, inquit, *eius in ſolitudinem, & hæreditatem in dracones deſerti*, vbi ſcriptum eſt לתנות LETHANOTH, quamuis hanc dictionem ibi quidam interpretentur in fabulas & narrationes deducentes eam à תנה THANA,quod eſt narrare.D.verò Hieronymus dictionem תנים THANIM Threnor.4. verſ.3. *lamias* interpretatur: *ſed & lamiæ*,inquit,*nudauerunt mammam, lactauerunt catulos.*

SERPENS

ANIMAL REPTILE.

SERPENS LEVIATHAN.

Iob 40. verſ. 20. לויתן Liviathan eſt nomen Serpentis, vel Draconis vel ceti marini, ex eo iuxta quoſdam ductum, quòd eius membra, & ſquamæ cohæreant: Nam לוה Lava eſt adhærere, copulari, ſociari. Huius tota deſcriptio legitur Iob 40. Typus eſt Sathanæ, & Antichriſti, & vt mare allegoricè mundus eſt, ſic mundi magni principes Leuiathan nomine intelliguntur, vt Pſal. 73. verſ. 14. *Tu confregiſti capita Leuiathan*, id eſt, Draconis, vbi proceres Pharaonis intelligit. Sic quoque Iſai. 27. verſ. 1. vbi legimus: *In illa die viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem*, id eſt, Draconem. Per Draconem Regem Aſſyriorum, & Ægypti accipe. Fit quoque eius mentio Pſal. 103. verſ. 26. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei.* Illud autem quod legimus Iob 3. verſ. 8. *Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan*, id eſt, Draconem, dæmonis euocationem ſignificat. 11

VERMIS.

Vermis dicitur animalunculum, quod ex putredine generatur, vel in plantis, aut fructibus, vel in aliis animalibus, aut etiam in terra, dictum à vertendo, quod ſeſe torquendo vertat. Ariſtoteles de hiſtoria animalium lib. 5. cap. 19. *Vermium, inquit, omnium, & eorum qui ex verme ſunt, commune eſt, vt primordium generationis ſit, aut à ſole, aut à ſpiritu.* Lib. 8. cap. 2. ait aues per multas ali vermiculis. Quod autem legimus Pſal. 21. verſ. 7. *Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis:* ſi hoc ad humanam Chriſti generationem referamus, quæ abſque vlla coniunctione viri fuit, id nobis indicare videtur, quòd quemadmodum vermis è pluuia naſcitur de ſuper in terram veniente, ita & Chriſtus ſuperno ſancti Spiritus in virginem aduentu generatus eſt, quam ob cauſam Chriſtus vermis dicitur, quod doctiſſimè proſequitur Origenes concione in Lucam 14. quam de Domini circuncisione conſcripſit. Porrò Auguſtini dictum eo quoque deduci poteſt, quod Chriſtus ait: *Ego ſum vermis, & non homo*, quia ſcilicet ex mari, & fœmina homo naſci ſolet, ego verò non ex maſculo, & fœmina ſecundùm ritum humanum atque naturam, ſed in exemplum vermis natus ſum, cuius non eſt aliunde ſemen, ſed in ipſis in quibus coaleſcit corporibus, ſua eſt origo. Quidam putauerunt, vermem appellatum in ſacris literis hebraica voce רמה Rima ab eiaculatione, ſiue proiectione, quòd ſuiipſius corporis proiectione gradum promoueat. Quod verò legimus Iob 7. verſ. 5. *Induta eſt caro mea putredine*, ad verbum eſt רמה Rima verme, in eundem ſenſum Exodi 16. verſ. 20. vbi habes: *Scatere cœpit vermibus*, in hebraico eſt וירום תולעים Vaiarum tolaim, & vermiculauit vermes, vbi רמם Ramam vermiculare ſignificat. Hoc autem diſcrimen quidam ponunt inter רמה Rima, & תולעה Thoela, quo Thoela generale ſit nomen, tam paruulorum, quàm magnorum vermium, Rima propriè paruulos vermes ſignificat, qui in carne, vel caſeo gignuntur: ſed reuera hæc nomina confunduntur, & vtroſque vermes ſignificant. Alij verò è contra putant Toela eſſe vermiculum minorem eo qui dicitur Rima. Appellatur verò Toela à deglutiendo: לוע Lva enim eſt deglutire, perdere, quòd facilè 12

 temeretur,

temeretur, & conculcetur animalusculum omnium longè abiectissimum, vel actiuè, quod arrodendo deglutiat, figuratè sumitur pro abiecto, Psal. 21. & Isaiæ 41. vbi Israëlitæ vermi ideò comparari dicuntur, quòd vt illius robur nonnisi in ore situm est, sic omne Israëlitarum robur in oratione sit positum.

TINEA.

13 Tinea vermiculus est, qui aut situ aut puluere, aut putredine interdum nascens, vestes aut libros abrodit. Sunt etiam, & tineæ ventris, in extremo recti intestini nascentes, quos Celsus lumbricôs appellat, de quibus Plinius lib. 11. cap. 33. *Sic*, inquit, *intra hominem tinea trecentum pedum aliquando, & plurium longitudine.* Sunt etiam, & tineæ vermes in aluearibus apibus noxij, de quibus Columela lib. 9. cap. 14. Teredo autem vermis est in ligno nascens, illudque corrodens. Est autem hæc vox græca, sed quam Latini, & vsu & inflectione suam fecerunt: Græci enim τερηδόνα appellant, quam nos teredinem; Quamquam nihil prohibet latinam vocem esse à terendo dictam. Eadem & tinea dicitur, licet sint qui distinguant, vt teredines tantùm dicantur in mari, hoc est, in nauibus, tineæ verò terrestres sint. Teredo etiam aliquando pro verme vestes terente sumitur, vt apud Plinium lib. 8. cap. 48. Sic quoque tinea in sacris literis voce hebraica dicta est עש As, à corrositate: est enim עשש Asas rodere. Quod enim legimus, Psal. 30. vers. 11. *Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt:* Pro, *conturbata sunt*, legimus in hebraico עששו Asasv, ad verbum, *computruerunt aut corrosa sunt*, velut vestis à tinea, aut consumpta sunt ac si tinea corrosisset illa. Hieronymus reddit, *contabuerunt*, & vers. 10. vbi legimus: *conturbatus est in ira oculus meus*; aliqui reddunt, *computruit, corrosus est, consumptus est in ira, aut propter iram oculus meus.* Idem Psal. 6. vers. 8. *turbatus est à furore oculus meus*, vbi eadem dictio ponitur, quasi dicat quoniam in mea infirmitate lætos meos videbam inimicos, propter iram computruit, & velut à tinea corrosus est oculus meus.

LACERTA.

14 Lacerta reptilis genus est notissimum, *la lagartiia*, inde nomen habens, quòd pedes habeat, ad nostrorum lacertorum similitudinem accedentes. Est autem lacertus in homine summa brachijpars, inter scapulę, & cubiti ossa intercepta, quæ à Celso humerus, à Galeno βραχίων appellatur. Eius duo sunt genera, colore & magnitudine distincta: minorem ziquida vocant, siue chalcidem, tergo ferrugineo, siue maculis quibusdam nigrantibus distincto: alterum genus viride est, superiore multò minus, Italiæ quàm aliis regionibus frequentius. Vocatur autem hebraica voce חמט Chomet, à D. Hieronymo redditur, *lacerta*, Leuitici 11. vers. 30. vbi eius fit mentio. Alij reddunt, *testudinem*, nonnulli, *limacem*, siue, *cocleam terrestem.* Chaldæus Paraphrastes vocabulum hebraicum reliquit.

STELLIO.

15 Stellio animal est non dissimile lacertæ, multò tamen minus, tergum habens lucentibus quibusdam guttis depictum ad modum stellarum. Vescitur rore & araneis; exuit quotannis cutem, exutámque deuorat, inuidens homini: est

est enim comitialis morbi remedium. Morsus eius perrarò interimit hominem, tàmen semi stupidum facit, & variè afficit. Est & alius Stellio ex Phalangiorum genere, lentiginosus acerbi stridoris, in cauernulis dehiscentis, terræ æstum habitans, olim Italiæ incognitus, nunc in Apulia frequens visitur, & similiter tarantula dicitur, scorpionibus ita contrarius, vt visus ab eis pauorem ipsis afferat & torporem. Plinius lib.30. cap.18. Stellionem transmarinum appellat, eundémque à Græcis ἀσκαλαζώτην vocari tradit, ab eo, opinor, quòd circulatim progrediatur: ἀσκαλος enim Græcis circulus est. Vocatur autem Stellio in sacris literis לטאה LETAA, vt nonnulli volunt, ab eo quòd amet latebras, deducúntque hanc vocem à לאט LAAT, literis transpositis, quod operiri, tegere, siue latere significat. Non desunt qui putent hac voce lacertam ipsam significari: alij autem limacem, D. Hieronymus Leuit.11. vers.30. *Stellionem*, transfert: Hispanicè, *Tarantola*.

CHAMALEON.

Chamaleon quasi paruus Leo animal est, diuersa varietate conspersum, vt 16
pardus, & ad colores quos videt conuersione facillima variatur, præter ad rubum & album; ab hac colorum mutatione oritur Parœmia, *Chamaleonte mutabilior*. Nascitur in India figura, & magnitudine lacertæ, nisi quòd crura habet recta & excelsiora, latera ventri iunguntur, vt piscibus, & spina simili modo, eminet rostrum simile suillo, cauda prælonga in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibus, vngues adunci, motus tardior vt testudini, asperum corpus vt crocodilo; habet oculos corpori concolores, nunquam eos operit, solus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aëris alimento: latet hyeme vt lacerta. Vide plura apud Plinium lib. 28. cap. 8. Est etiam Chamaleon ex genere aculeatorum. Iam verò in sacris literis Leuit.11. cap.30. vocatur כח KOACH: sic enim D. Hieronymus hanc vocem interpretatur, quamuis alij putent esse ranam, alij lacertam. Quidam putant esse ex genere bufonum à virtute: nam כח COACH potentiam, & fortitudinem significat.

CROCODILVS.

Crocodilus animal est quadrupes, etiam ex genere reptilium, & ex genere 17
amphibiorum, tam in terra quàm in aqua viuens, figura lacertæ non admodum dissimile, incredibili magnitudine, armatum vnguibus, soli Ægypto, & iis regionibus quæ Nilo aluntur, cognitum, cute vsque adeò dura, vt in nulla sui parte, nisi in solo ventre penetrari possit, vnde etiam Delphini qui perpetuum cum crocodilo bellum gerunt, non ignorantes qua potissimum parte hostis lædi possit, aquam subeunt, pinnáque quam in dorso gerunt, illi aluum subsecant. Habet & alterum hostem Ichneumonem, qui in apertas dormiẽtis fauces teli in morem illapsus, intestina eius erodit. Nullum est animal, quod à tam paruis initiis in tantam excrescat magnitudinem. Parit siquidem oua, anserinis non maiora, sed hoc huic animali peculiare, vt quandiu viuat, nullum crescendi finem faciat. Quatuor menses hyemales non comedit, & sola bestiarum non habet linguam. Terribilis hæc bellua contra fugaces, & fugax contra insequentes; oculos habet in aqua hebetes, extra acerrimi visus, conspecto

pecto homine emittit lacrymas: mox apropinquantem deuorat. Est & aliud Crocodili genus, quem scincum vocat Dioscorides lib. 2. superiore multo minus, in terra tantùm, nec nisi odoratissimis viuens floribus, cuius intestina iucundi nidoris fimo referta sunt, quo ad faciei medicamenta, colorísque conciliationem, mulieres & viri molliores olim vtebantur. Huius mentio fit Leuitici 11. vers. 29. vocatúrque voce hebraica צב SAB: sic enim hanc dictionem transfert D. Hieronymus, & etiam Septuaginta interpretes nempe, *Crocodilum*.

RANA.

18 Rana genus est animalis palustris, tam in terra præsertim humida, quàm in aquis vitam habens, hæc solito vocalior pluuium denunciat. Sunt & ranæ terrestres omnium maximè, quæ quòd inter vepres, & rubos potissimum viuant, rubetæ à Latinis appellantur, teste Plinio lib. 8. cap. 31. Est & alia ranæ species, quam calaminam appellant, eo quòd inter arundines fruticésque viuat. Est autem hæc ex omni ranarum genere minima & viridissima, teste eodem Plinio lib. 32. cap. 19. Sunt item ranæ mutæ præsertim in Seripho insula, vnde & rana Seriphia in Prouerbium cessit, pro homine muto & elingui. Est & rana marina, quam astu piscatricem cognominant: totam se limo operit, sola exerens cornua, quæ eminentia sub oculis habet: eam conspicientes pisciculi, cùm prædam ex iis captantes proprius accedunt, ipsi ranæ præda fiunt, vide Plinium lib. 9. cap. 42. Vocatur autem in sacris literis rana צפרדע SEPHARDEA, estque nomen collectiuum in singulari, significátque ranarum multitudinem: sic enim alia animantium nomina in singulari sumi solent in lingua sancta; videtur tamen potius vox Ægyptia, quàm hebræa, de qua Exod. 8. vers. 6. *Et ascenderunt ranæ*, ad verbum, *& ascendit rana*. Quidam putant sic ranam dictam à צפר SEPHAR mane, & ידע DA scientia, quasi dicas matutina temporis cognitio, forte quòd matutino tempore vocaliores sint. Eius etiam fit mentio Psal. 77. vers. 45. *Misit*, inquit, *in eos cynomiam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.*

Cap. VII. DE SVBST. ANIMALI INSECTA.

Animalia quoque insecta sæpe in sacris literis occurrunt; de his quoque agemus hoc capite. Insecta autem animalia, alia sunt pennata vt apis, alia sine pennis, & pennata vt formicæ. Appellantur autem insecta ab incisuris, quæ nunc ceruicum loco, nunc pectorum atque alui præcincta separant membra tenui modo fistula cohærentia.

LOCVSTA.

1 Locusta insecti genus est, infirmas habens alas, tam modicis se volatibus è terra attollens, vt saltare potius videatur, quàm volare. In Aphrica autem, & Syria maiore corpore nascuntur, firmioribúsque aliis: tanta autem copia, vt herbas messésque omnes, aut erodant, aut tactu adurant. Quin etiam, & maria transuolare dicuntur, & absumptis domesticis omnibus externa pabula quærere, non sine infausto præsagio eorum ad quos penetrarint. In India mon-

strosæ

ſtroſæ magnitudinis naſci dicuntur, vt interdum trium pedum longitudinem excedant, ex quorum femoribus & cruribus, cùm inaruerint, ſerræ ſolent confici. Vide Plura de his apud Plinium lib.11. cap.29. Diodorus & alij autores grauiſſimi populos in Æthyopia quoſdam agnoſcunt, qui non alio vtuntur cibo, quàm locuſtis, ob id acridofagos appellatos. In India quoque gentem quibus Mandiorum nomen Clytarchus, & Magaſtenes dederunt, locuſtis ali Agatharchides, & alij prodiderunt, trecentóſque eorum vicos numerant: eſt autem hæc viridis, & prioribus pedibus longiſſima, iiſque admodum gracilibus.

In ſacris verò literis locuſta ארבה Arba nomen habet, quod inter cæteras 2
ſpecies ipſa ſit copioſiſſima & multa, vel agminatim, & magna copia gradiatur. Collectiuum nomen eſt; ſicque locuſta vocatur à רבה Raba, quod eſt multiplicare & creſcere. Eius fit mentio ſub hac voce Exodi 10. verſ.4. & Iudicum 7. verſ. 12. Pſal. etiam 87. verſ.46. & Prouerb.30. verſ.27. Non placet quod quidam arbitrantur צלצל Selasal, Deuteron.28. verſ.42. ſignificare genus locuſtæ, quod arbores, & fruges conſumat, neque quod alij volunt eſſe cicadem, quam dicunt conſcendere arbores, & exugere earum folia, ſicq; dictam à צל Sel vmbra, quam volatu ſuo obducit, vel quia ipſam terram occupat, ſed potius dicendum eſſe rubiginem; ſicque hanc vocem transfert D. Hieronymus, Deuteron.28. *Omnes*, inquit, *arbores tuas, & fruges terræ tuæ rubiga conſummet*. Eundem ſenſum reddunt Septuaginta interpretes, & Chaldæus Paraphraſtes. Eſt autem rubiga, vel robiga, quæ propriè ירקון Ierakon hebraicè dicitur in ſegetibus, vt inquit Budæus, quam nebulam agricolæ appellant: ſpicæ enim marcidæ fiunt hoc vitio, & in puluerem fœtidum confriatiles; vocatur etiam hoc vitium erugo. A rubigine verò rubigalia dicta, id eſt, feſti dies amoliendæ rubigini inſtituti ab antiquis, de quibus Plinius lib. 18. cap.29. *Rubigalia*, inquit, *Numa conſtituit, quæ nunc aguntur ad ſeptimum Calendas Maij: quoniam tunc fere rubigo ſegetes occupat.*

Locuſta autem in ſacris literis inter plagas recenſetur infeſtiſſimas, & ni- 3
mium nocentes: breuis tamen eſt vitæ animal, & quod contento itinere in exitium tendat, vt Pſal.107. *Sicut vmbra cùm declinat, ablatus ſum, & excuſſus ſum ſicut locuſta*. Ex hac autem natura quædam genera comedi habes Leuit.11. cuius victus tenuis, & facilè parabilis Ioanni Baptiſtæ aſcribitur Matth.3. Eſt præterea locuſta ſignum calamitatis maximæ Dei conſilio, ad correptionem hominum allatæ, vt Exod.10. *Ego inducam cras locuſtam*, & Deuteron. 27. *Sementem multum iacies in terram, & pauca congregabis, quia locuſtæ deuorabunt omnia*, & Apocal. 9. *De ſummo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas*. Ioëlis quoque primo. *Reſiduum locuſtæ comedit bruchus*. Denique multitudinem hominum nimiam naſcentem ſignificat, vt Hieremiæ 46. *Multiplicati ſunt ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus*, & Iudicum 6. *Veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa complebant.*

Appellatur quoque locuſta in ſacris literis גוב Gob, vt Nahum 3. verſ. 17. 4
Cuſtodes, inquit, *tui quaſi locuſtæ, & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum* dicitúrque ſic locuſta ex lingua Syriaca. Præterea Eccleſ.12. verſ. 6. pro locuſta legimus

ANIMAL INSECTVM.

כגב Chagab, sic enim interpretatur hanc vocem D. Hieronymus: *Et impinguabitur*, inquit, *locusta*. Non desunt qui ibi hanc vocem dorsum interpretentur, aut spinam dorsi: sed reuera locustam esse significatam hac voce colligimus ex Numer. 13. vers. 34. vbi sub hac voce ponitur: *Ibi*, inquit, *vidimus monstra quaedam filiorum Enach de genere gyganteo, quibus comparati quasi locustae videbamur.* Et idem confirmat ex Isaiae 40. vers. 22. *Qui sedet*, inquit, *super gyrum terrae, & habitatores eius sunt quasi locustae*, vbi haec eadem vox collocatur: huius autem esus à Moyse permittitur. Fit etiam eius mentio 2. Paralipomen. 7. vers. 13. & Leuit. 11. vers. 22.

B R V C H V S.

5 Bruchus genus quoddam locustae est, quod hebraicè dicitur ילך à לקק Lakak, quod est lambere, quia lambit & comedit. Appellatur autem bruchus à latinis & graecis à βρύκω, quod est comedo. Alatum animal est, & arborum folia depopulatur, ideò Chaldaicè dicitur פרכא Pircha à פרח Pera, quod est, volauit, vt Nahum 3. *Bruchus & auolauit*, item eodem loco: *Et deuorabit*, inquit, *te vt bruchus*. Itaque ילך Ielek genus est locustae instar crabronis, sed minoris quantitatis, alatum, omnia vastans, in maxima copia & multitudine prodiens; de quo Psalm. 104. vers. 34. & Ioelis 1. vers. 4. *Residuum*, inquit, *locustae comedit*, הילך Haielek, id est, bruchus: lambit autem, & lingendo deuastat herbas & fruges aculeo tanquam lingua: & quia magna cum copia volat, collectiuum nomen est, de quo etiam Ioelis 2. vers. 25. vt Ierem. 51. vers. 14. & vers. 27. & etiam Nahum 3. vers. 15. D. Hieronymus bruchum interpretatur, nempe attebalum paruam locustam, inter locustam & bruchum reptantem, magis quàm volantem, semperque subsilientem: atque ideò vbicunque orta fuerit, omnia ad puluerem vsque consumit. Alij huiusmodi bruchum potius putant vermem pilosum, & colligunt ex Ierem. 51. vers. 27. *sicut bruchus*, inquit, *qui horripilatur*. Vocatur quoque bruchus in sacris literis חסיל Chasil, quasi depastorem, aut consumatorem dicas. Hinc cùm aliquid finitum est, dicunt hebraei חסל Chasal, vel חסלת Chaslath, finitus est liber, absoluta est sectio. & id genus. Dicitur ergo sic bruchus, quòd omnia consumat & excidat: est enim Chasal excidere, consumere, Deut. 28. vers. 38.

E R V C A.

6 Aliud quoque genus vermis est in sacris literis, quod vocatur hebraica voce גזם Gazam, cuius mentio fit Amos 3. vers. 9. & Ioelis 2. vers. 25. & Ioel. 1 vers. 4. *residuum* גזם Gazam *comedit locusta*: sic autem dicitur à גזז Gazaz, quòd fruges videlicet tondeat & excidat. Chaldaeus Paraphrastes habet זחלא Zachala, quod vermem significat, & sic propriè transtulit Hieronymus *erucam*, quae est genus vermis, olera, & praesertim brassicas abrodens: sic enim habet Amos 4. vers. 9 *Oliueta vestra & ficeta vestra comedet eruca*. Significat ergo גזם Gazam erucam, vnde etiam apud latinos ab erodendo eruca appellata est, de qua Columela lib. 11. Vbi verò apricis regionibus post pluuiam noxia incesserunt animalia, quae à nobis appellantur erucae, graecè autem κάμπαι nominantur, vel manu colligi debent,, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti: sic enim adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint, non amplius

amplius in superiorem partem prorumpunt. Sunt alij qui putent voce hac hebraica non vermem, sed genus quoddam locustæ significari, propterea eius hoc loco mentio facta est, vbi de insectis animalibus agimus.

CRABRO.

Crabrones insecta sunt volucria, vespis similia, sed maiora, vulgò *Tauarros* 7
ô moscardos, degunt in syluestrium arborum cauernis, vita bimatum non transeunt, creantur ex aquis. Horum fit mentio in sacris literis Exodi 23. vers. 28. sic enim scriptum legimus: *Cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam, emittens crabrones prius, qui fugabunt Heueum, & Chananeum*, vocatúrque crabro voce hebraica צרעה SIRA, Chaldæus Paraphrastes exponit *vespam*. Eandem vocem reperies Deut. 7. vers. 20. & Iosue 24. vers. 12. vbi etiam D. Hieronymus crabrones interpretatur. Sunt autem crabrones species muscæ pessimæ, emittentes venenum, quæ vt quidam volunt, percutiebāt oculos Heueorum & Chananeorum, & veneno illos afficiebāt, vt non possent pugnare, sicque Israëlitæ occidebant eos, quemadmodum significatur Iosue 24. vers. 12. cùm loquens de crabronibus ait: *Non gladio & in arcu tuo* &c. Est ergo צירה SIRA nomen insecti alati percutientis oculos.

MVSCA.

Musca paruulum est animal volatile, satis omnibus notum, nullum animal 8
minus docile existimatur, minorísve intellectus, teste Plinio lib. 29. cap. 6. vbi etiam narrat Olympiæ sacro certamine nubes earum immolato tauro Deo, quem Myiodem vocant, extra territorium id abire solitas. Vocatur autem musca dictione hebraica זבוב ZEBVB, à fluxu humoris, tetríque fætoris, & à verbo זוב ZVB, quod fluere significat. Porrò hanc dictionem affinem faciunt verbo דבב DABAB, quod dicitur de mala fama sic etiam זוב ZVB de malo odore: hinc Eccles. 10. vers. 1. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*, ad verbum, *muscæ mortis*, זבובי מות ZEBVBE MAVETH, id est, quælibet musca mortua fœtere faciet suauitatem ipsius vnguenti. A musca autem Acharonitæ suum Deum בעל זבוב BAAL ZEBVB, quasi dominum muscæ dixerunt 4. Reg. 1. vers. 3. Illud autem quod legimus Exodi 8. vers. 24. *venitque musca grauissima in domos Pharaonis*, &c. *& corrupta est terra ab huiusmodi muscis*, non est intelligendum de musca vulgari: vocatur enim voce hebraica עבוב AROB, ad verbum *mistio bestiarum grauis, seu multa*: id enim ibi significat עבוב חבד AROB CABED. Nam Exodi 12. vers. 28. ערב EREB mistionem multam significat, id est, congregationem è multis populis, & turbam promiscuam. Idem significat Ierem. 50. vers. 37. vbi D. Hieronymus interpretatur: *ad omne vulgus quod est in medio eius*. Est ergo עבוב AROB Exodi 8. propriè mistio diuersorum animalium, aut bestiarum ferarum diuersi generis, siue insectorum hominibus infestorum, idque D. Hieronymus *muscam grauissimam* interpretatur. Septuaginta interpretes vertunt *κυνόμυιαν*, *muscam caninam*, Chaldæus verò Paraphrastes, *mistionem grauissimam*, posuit. Vt ergo ערב EREB mixtionem notat, sic עוב AROB insectorum commixtionem diuersi generis designat.

APIS.

Apes ex insectorum genere, mella contrahunt, succúmque dulcissimum 9

ANIMAL INSECTVM.

atque ſubtiliſſimum,& ſaluberrimum:fauos confingunt & ceras. Rempublicam habent, conſilia priuatim, & duces gregatim hyeme conduntur, ante fabas autem florentes non exeunt ad opera & labores, nullúſque cùm per cœlum licet otio perit dies, primum fauos conſtruunt, ceram fingunt, hoc eſt, domos cellâſque faciunt, deinde ſobolem poſtea mella. Rationem operis earum,mirúmque artificium deſcribit Plinius diffusè lib. 11.cap.5. & ſequentibus, vbi multa de apium natura recenſentur, quæ longum eſſet hîc narrare. Vocatur autem in ſacris literis hebraica voce דבורה DEBORA,de qua Pſalm. 117.verſ.12.*Circundederunt me ſicut apes.*

CVLEX.

10 Culex vermiculus eſt paruulus alatus,de quo Plinius libr. 11.cap. 2. *in magnis*, inquit, *corporibus, aut certè maioribus facilis officina, ſequaci materia fuit in his tam paruis,atque tam nullis,quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio,vbi tot ſenſus collocauit in culice. Et ſunt alia dictu minora, ſed vbi viſum in eo prætendit? vbi guſtum applicauit? vbi odoratum inſeruit? vbi verò truculentiam illam & portione maximam vocem ingenerauit? qua ſubtilitate pennas annexuit? prælongauit pedum crura? diſpoſuit ieiunam caueam vti aluum auidam ſanguinis, & potiſſimum humani ſitim accendit?telum verò perfodiendo tergori quo ſpeculauit ingenio?* hæc Plinius.In ſacris verò literis culicum fit mentio Exodi 8.verſ.17.cùm legimus: *Et ſint Cyniphes in vniuerſa terra.*Dicuntur autem hebraica voce כנים CINNIM, & dicuntur latinè Ciniphes, nomine effecto ex græco σκνίπες, qui culices ſunt alterius generis quàm vulgares.quos Plinius libr.11. cap. 18. & libr. 3. cap. 16.inter alia ſcribit in culicum genere muliones arborarij pici roſtrum habere, & mella eximere.Vulgaris autem culex vocatur græcè κώνωπ σκνίπ. culex inſectum, eſtque ficus infeſtans, vt teſtatur Ariſtophanes in Auibus. Hinc nomen accepit κνιπολόγος auis quædam ex genere τῶν ξυλοκόπων,id eſt, earum quæ roſtro arbores tundunt,vt δρυοκολάπται,qui latinis ſunt pici, ſeu pici arborarij, quorum roſtrum habere culices muliones teſtatur Plinius.Meminit huius auis Ariſtoteles hiſtoriæ animalium lib. 8.cap.3.Nominis autem ratio eſt, quod culicibus inſidietur, ſeu ſcribendo κνιπολόγος, quòd culices colligat in cibum, vnde & culiciliam vocat Gaza.Cæterùm כנים CINNIM, de quibus Exodi 8. quidam arbitrati ſunt fuiſſe pediculos:ſed D. Hieronymus, *Cinphes*, Septuaginta verò σκνίπες tranſtulerunt, qui iuxta Origenis deſcriptionem culices ſunt, qui hoc animalculum pennis quidem per aërem volitare tradit, ſed ita minutum eſſe, vt oculi viſum effugiat, niſi acutiſſimè quis cernat, & corpus vbi inſederit acutiſſimo obterebrare ſtimulo, vt ſentire citius ſtimulatum, quàm volantem videre valeas. Sunt qui hanc vocem כנים CINNIM, ad כון CVN reducunt,quod firmare & ſtabilire eſt, quia culex firmiter innititur, & incumbit corpori,huius autem fit mentio pſalm.104.verſ.31.

PVLEX.

31 Pulex vermiculus notus inde dictus, quòd ex puluere generetur, ſed coitu etiam procreatur: eſt animalculum è ſucco carnis viuens, vt docet Ariſtoteles hiſtoriæ animalium lib.5. cap. 31. Nec verò pulices hominem ſolùm infeſtant,ſed olera etiam,teſte Theophraſto hiſtoriæ plantarum lib. 7. cap. 5. Indéque

déque ξυλόβρωτα dicuntur, quæ ab huiusmodi pulicibus edesa, & corrosa sunt: sic enim habet Plinius libr. 19. cap. 10. vbi agit de morbis hortorum: *Bestiolarum*, inquit, *quoque genera innascuntur Napis pulices, Rapheno eruca & vermiculi*, &c. vbi tamen perperam scriptum est, culices pro pulices. Voce hebraica pulex appellatur פּרעשׁ PAROS, à פּרשׁ PARAS, vt aliqui volunt, quòd insiliat, & excurrat ad depopulandum, & se expandat ac explicet: ideóque insertum esse ע ad expansionem significandam: est enim פּרשׁ PARAS explicare. Eius fit mentio 1. Reg. 24. verf. 15. *Quem persequeris*, inquit, *Rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris & pulicem vnum*. Fit etiam eius mentio 1. Reg. 26. verf. 10. Itaque Dauid extenuandi causa, sese cani aut pulici comparat, sicut & Chaldæus reddit Paraphrastes.

FORMICA.

Formica à ferendis micis dicitur, mica verò propriè est puluisculus ille, 1
qui in aranea quasi argentum fulget, à quo & panis, & omnium rerum minimæ partes micæ dicuntur, quasi minutim cadentes, vel dicitur formica simpliciter à ferendo, quòd nullum animal frequentiùs pondera conuehat, neque si mensuram corporis respicias, maiora, & si quis comparet onera corporibus earum, fateatur nullas proportione vires esse maiores; gerunt ea morsu, maiora auersæ postremis pedibus moliuntur humeris obnixè. Est iis Reipublicæ ratio, memoria, cura, semina corrosa condunt, ne rursus in fruges exeant è terra. Maiora ad introitum diuidunt, madefacta imbre proferunt atque siccant operantur & noctu plena Luna. Eædem interlunio cessant, iam in opere qui labor, quæ sedulitas? Silices in earum itinere attritos videmus, & in opere semitam factam ne quis dubitet, qualibet in re quid possit quantulumcunque assiduitatis sepeliuntur inter se viuentium solæ præter hominem, non sunt in Sicilia pennatæ. hæc Plinius libr. 11. cap. 30. In sacris verò literis vocatur formica נמלה NEMALA, ab exscindendo, quòd grana collecta scindat, ne renascantur & germinent: est enim נמל NAMAL excidere, circuncidere, de qua Prouerb. 6. verf. 6. *Vade*, inquit, *ad formicam piger*, & Prouerb. 30. verf. 25, *Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi.*

ARANEA.

Aranea, siue araneus animalunculum est, ex insectorum genere; huius mul- 13
tæ sunt species, vna tamen præcipua, nullíque incognita, quæ miro quodam artificio telas orditur, quibus muscæ irretiuntur. Sunt & ex araneorum genere Phalangia Italiæ ignota, vt scribit Plinius lib. 26. cap. 4. quorum noxij morsus, corpus exiguum, varium & acuminatum. Hæ rursus in multas secantur species, quas vide apud eundem loco iam citato. Sunt & alia aranearum genera, quæ latiùs explicat idem Plinius lib. 11. cap. 24. Dicitur autem aranea in sacris literis עכבישׁ ACABIS, vt habes Iob 8. verf. 18. & Isaiæ 59. verf. 5. In eo autem quod legimus Prouerb. 30. verf. 28. *Stellio manibus nititur, & moratur in domibus Regis.* Variant aliquantulum interpretes: nam vocem שׂממית SEMAMITH, *Stellionem* vertit D. Hieronymus. Stellionum autem species reperitur ex araneorum genere, teste Plinio libr. 30. cap. 18. est enim ex genere Phalangiorum. Est autem Phalangium genus aranei ita dictum, quod internodia

ANIMAL INSECTVM.

terna habeat in cruribus : φάλαγξ enim græcis propriè digitorum internodiũ vocatur. Quidam ergo araneam interpretantur, quæ ſuam domum & manſionem ædificat in domibus regum. Alij arbitrantur eſſe Simiam : nam hæc manibus capit, & apprehendit quod ſibi datur, & in ædibus regum manet. Non deſunt qui *hirundinem* interpretentur, quæ etiam in domibus moratur. Septuaginta verò interpretes, *Calamotem piſcem* tranſtulerunt, ſic enim habent : *Et Calamotis piſcis manibus innitens*, græcè καλαμώτης : ſed in noſtris exemplaribus καλαβώτης ſcribitur; piſcis genus eſt manibus innitens, & captu facilis exiſtẽs, habitat in munitionibus regis : Chaldæus verò Paraphraſtes, *araneam* vertit: *Aranea*, inquit, *manibus tegumenta facit. & ſtat in domo regum*:

SCORPIO.

14 Scorpio verò animal eſt venenoſum, cauda feriens, de quo Plinius libr. 11. cap. 25. *Scorpiones*, inquit, *terreſtres vermiculos ouorum ſpecie pariunt, ſemper cauda in ictu eſt, nullóque momento meditari ceſſat, nequando deſit occaſioni, ſeru & obliquo ictu & inflexo. Venenum ab iis fundi candidum Apollodorus auctor eſt, geminos quibuſdam aculeos eſſe, maréſque ſæuiſſimos. Apollodorus quibuſdam ineſſe pennas tradit*, hæc & alia Plinius de ſcorpionis natura. Vocatur autem in ſacris literis ſcorpio hebraica voce עקבר ACBAR, cui voci quidam putant inſertum ר, ab עקב ACAB calcaneo, quòd calcaneus pungat & feriat. Significat autem vox iſta ſcorpionem, & etiam ſpinam, quare illud quod D. Hieronymus vertit Num. 34. verſ. 4. *Qui circuibunt auſtralem plagam per aſcenſum ſcorpionum*. Aliqui interpretantur, *per aſcenſum ſpinarum*, fuit autem aſcenſus iſte locus ſerpentum & ſcorpionum, qui locus ſic dictus putatur etiam à ſpinis, quæ acritate ſcorpionum aculeos referunt. Denique locus iſte dictus ACRABIM, terminus fuit terræ Chanaan, à meridie orientem verſus. Illud autem Ezech. 2. verſ. 6. *Et tu fili hominis ne timeas*, &c. *& cum ſcorpionibus habitas*. Aliqui *& cum ſpinis*, aut *inter ſpinas habitas*, interpretantur. Similiter illud 3. Reg. 12. verſ. 11. *Pater meus occidit vos flagellis, ego autem cedam vos ſcorpionibus*. Non deſunt qui ex alia huius dictionis ſignificatione interpretentur: *ego autem cedam vos ſpinis*.

Cap. VIII. DE SVBSTANTIA ANIMALI AQVATILI.

OCcurrunt etiam in ſacris literis aliqua animalia aquatilia, etſi pauca. In hoc ergo capite quæ de his ſacræ literæ tradunt viſum eſt etiam attingere.

PISCIS.

1 Piſcis animal eſt quod in aquis degit, & propriè quod tegitur ſquammis, vt Plinius docet lib. 9. cap. 12. *omnia autem*, inquit, *in aquis degentia vno nomine aquatilia dicũtur. Aquatilium autem tegumenta plura ſunt. Alia corio, & pilis teguntur, vt vituli, hypotami : Alia corio tantum, vt Delphinus; cortice, vt teſtudines; ſilicum duritia, vt oſtrea & conchæ, cruſtis vt locuſtæ: & ſpinis, vt echini, & ſquammis, vt piſcis*. hæc Plinius. Vt autem aqua initio mundi à Spiritu ſancto vitalem quandam vim accepit, vt piſces produceret, ſic vt omnium prima aqua condiderit animalia, non tellus aut aliud quidpiam, ſic baptiſmus accepit, & quidem omnium primus

mus inter sacramenta à Spiritu sancto, vim procreandi nouos homines animantia cælestia, qualia vocantur aues cœli, ob id hoc obseruans. Tertullianus ait lib. de baptismo: *Ne mirum sit*, inquit, *in baptismo si aqua animare possunt*. Idem tradit D. Hieronymus; quocirca literæ quinque capitulorum, in quæ distinguuntur Sibyllæ Erithreæ carmina, & continent Domini nostri quatuor nomina diuina, scilicet Iesus Christus, Dei filius, Saluator; literæ, inquam, huiusmodi conficiunt nomen ἰχθὺς, id est, quod admonet Augustinus lib. 18. de ciuitate Dei cap. 21. ac Prosper lib. 2. prædi. cap. 28. Tum etiam Optatus lib. 3. in Parmenianum: *Hic*, inquit, *est piscis qui in baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, cuius piscis nomen secundùm appellationem græcam in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet, nempe ἰχθὺς, quod est latinè Iesus Christus, Dei filius, Saluator*; hoc ipsum innuit Hieronymus Epistola 43. sunt autem literæ versuum sybillinorum *ἰησοῦς χριστὸς θεοῦ υἱος σωτὴρ*, quarum dictionum literæ capitales efficiunt ἰχθὺς, id est, ipsius latina vocè.

Piscium omnium natura muta est: nam cum in aëre non respiret, vocem emittere non potest, estque hoc genus præter cætera animalia fecũdissimum; Ex quo fit, vt in sacris literis copiosissima soboles piscescendi verbo significetur, vt Genesis 48. quod legimus: *& crescent in multitudine super terram*, hebraicè est, *& piscescent* וידגו Veiigde, id est, in modum piscium crescent. Piscium autem natura in aquis tantum viuit, vnde aliquando ponuntur descriptiones ad aquarum penuriam, & temporum sterilitatem indicandam, vt Isai. 50. *computrescent pisces sine aqua*, & Oseæ 4. sed & pisces maris congregati sunt, ad manifestandam Dei prouidentiam, & virtutem probandam. Pisces etiam appellantur, vt Iob 12. *narrabunt tibi pisces maris*, & Psalm. 7. *volucres cœli, & pisces maris*. Metaphoricè autem ex quodam metonymiæ vsu, pisces pro populo frequenti Ægypti dixit Ezechiel cap. vigesimo nono: *& agglutinabo pisces fluminum tuorum squammis tuis, & proyciam te in desertum & omnes pisces fluminis tui*. Hominum quoque copiam multum Deo probandam significant pisces, vt Ezechiel. 47. *Erunt quoque pisces multi satis postquam venerint illuc aqua ista*. Ad hanc autem rationem alludens Christus, dicebat Marci. 1. *Venite post me, vt faciam vos fieri piscatores hominum*, & Matth. 15. *simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium, congreganti*, atque vt hæc natura ex omnibus generibus animantium maximè bruta est vocis expers, ita etiam vel perturbatum & politia carentem viuendi statum significandum adducitur, vt Abacuc. 1. *Et facies homines velut pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem*. 2

Hebraica autem voce piscis דג Dag nominatur, à fecunditate, & copia, vt quidam volunt: est enim דגה Daga multiplicari, instar piscium augeri, fecundari, vt habes Gen. 48. Hinc Dagon Deus Philistinorum, quòd inferne signum piscis haberet, etsi alij Deum putent piscium, qui ventris causa, aut ob fecunditatem impetrandam coleretur. Illud autem quod legimus Amos 4. Vers. 2. *Quia ecce dies venient super vos, & leuabit vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus*. Hieronymus sic interpretatur, vt pro eo quod in hebraico est בסירות דוגה Be siroth dvga, dicat *in ollis feruentibus*. Non tamen desunt qui cum סיר Sir, & ollam & spinam significet, pro דוגה Dvga *piscem* 3

& pro

& pro סיר Sir, *Spinam*, id eſt, hamum, qui modum habet ſpinæ, interpretentur, vt ſit ſenſus: *leuabit vos, & reliquias veſtras in hamis, quibus, capiuntur piſces, vel hamis piſcatoris.* Alij vertunt: *in cymbis piſcatoriis:* Nam talis nauicula maiorem comitans דוגית Dugith ab hebræis vocatur. Sunt quidam qui interpretantur magnas naues aſſiquas, *las Galeras* Hiſpan. Nam & quid D. Hieronymus reddit: *ollis feruentibus.* Aquila: *in lebetibus piſciculorum*, interpretatur; Chaldæus Paraphraſtes exponit *in nauiculis piſcatoriis.* Qui autem reddunt: *trahet eos in ſpinis ſiue hamis piſcatoriis*, idem eſt ac ſi dicerent: *trahit eos quemadmodum piſcatores trahunt piſces ſpina aut hamo*, iuxta illud Iob 40. verſ. 21. *Nunquid armilla*, ſeu vt alij vertunt, *hama perforabis maxillam eius.*

CETVS.

4 Vbi autem legimus Ionæ 2. *Præparauit Dominus piſcem grandem*, in hebræo ſicut, & in noſtra tranſlatione ponitur nomen genericum, nempe piſcis magnus: ſunt enim multi piſces magni præter balenam, immò grandiores ipſa Balena, quod Dominus in Euangelio ſatis ſignificauit, dicens: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus:* Nam & Septuaginta verterunt: *& præcepit Dominus ceto magno.* Ioſephus etiam 9. Antiquitatum cap. 11. à ceto ſcribit eſſe deuoratum. Qui autem cetum Balenam eſſe dicunt, non rectè ſentiunt, cùm κῆτος, vnde Latini cetum ducunt, non certæ ſpeciei, ſed generis nomen ſit, hoc eſt, piſcem quemuis ſignificet magnum, ſiue ſi balena, ſiue preſtes, orca, foca, & ſimilia monſtra. Etenim Homerus lib. 4. Odyſſeæ de Phocis Prothei loquens, ter cete vocat intra paucos verſus. Ex verbis itaque tam Prophetæ Ionæ, quàm Euangeliſtæ nihil habemus, vnde certò ſtatuamus piſcem, qui Ionam deuorauit, fuiſſe balenam, cùm ſint cetorum monſtruoſæ magnitudinis variæ ſpecies, vt ex Plinio lib. 9. & ex multis præterea auctoribus conſtat, qui etiam lib. 32. cap. 1. cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum ſexaginta latitudinis in flumen Arabiæ intraſſe tradit. Vocatur autem cete voce hebraica תנין Thanin, cuius mentio fit Geneſ. 1. verſ. 21. vbi legimus: *Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atque motabilem*, in hebraico eſt את ה תנין Et ha thanin, id eſt, piſces magnos. Chaldæus Paraphraſtes reddit: *Creauit Deus colubros magnos*, quia vox iſta ſerpentes quoque ſignificat. Eſt autem coluber ſerpens, qui vmbras nemorum incolit, anguis & hydrus, qui in aqua ſerpens, qui in terra ſerpit, draco templi, ſed ſæpe confunduntur hæc nomina.

BALENA.

5 Vaſtiſſima maris belua eſt ex genere cetorum, quam Plinius tradit in Oceano Indico ad quaternum iugerum magnitudine creſcere; Græcis φάλαινα dicitur, vnde & Latini Balenam appellant, P, aſpirata in B, mediam ſuam conuerſa. Vt autem ſcribit Plinius lib. 9. cap. 6. Balenæ in noſtra etiam maria penetrant; in Gaditano Oceano non ante brumam conſpici eas tradunt: condi autem æſtatis temporibus in quodam ſinu placido & capaci, mirè gaudentes ibi parere.

PISCINA.

6 Piſcinæ autem lacus, & ſtagna ab initio dicta ſunt, in quibus viui piſces coër-

coërcebantur, de quibus Varro lib. 3. de re rustica cap. 3. *Piscinas*, inquit, *vocamus qua in aqua dulci, aut salsa inclusos habent pisces ad villam, alio nomine viuaria vocantur:* sic eas vocat Plinius lib. 9. cap. 17. sed quoniam in piscinis natare etiam solebant, inualuit consuetudo, vt omnes in hunc vsum collectæ aquæ, siue frigidæ, siue calidæ essent, piscinæ dicerentur, videntúrque à piscibus dici, quamuis in his nihil piscium sit, nisi quis inde dictas malit, quòd homines piscibus natando similes fiant. Apud Hebræos verò in sacris literis dicitur piscina בְּרֵכָה Bereca, ab aquis placidis & stagnatis, vt quidam volunt, vel quòd in ea genuum remigio natetur, sicut & Ioan. 5. κολυμϐήθρα natatoria appellatur vel natatorium: sic autem hebraicè piscina appellatur 4. Reg. 18. vers. 17. *Steterunt iuxta aquæ ductum piscinæ superioris*, vbi quidam arbitrati sunt Bereca fontem significare: sed reuera hoc loco aquam congregatam, aut collectam designat, siue locum è lapidibus calce constructis, ad quem pluuiales colliguntur aquæ, aut è fonte manantes, siue alio modo humana industria è fluuio collectæ. Piscina autem locus est non tam natura, quàm hominum opere constans, quæ priuati interdum, sæpe autem publici iuris est; nihil verò illustris significationis habet, quatenus piscina est, nisi quòd locorum, vel terminorum ad actionum, vel gestarum rerum monumenta, vel indicem certas ostendit notas, vt 2. Reg. 2. & 2. Reg. 4. ac aliis locis. Piscinæ autem quod in Euangelica historia celebratur mysterium, non ex loci ratione, sed ex diuina virtute definitur.

SQVAMÆ.

Squamæ dicuntur quibus corium piscis, aut serpentis tegitur, de quibus 6
Plinius lib. 9. cap. 10. Aquatilium tegumenta plura sunt: Alia corio, alia pilis teguntur, alia squamis, vt pisces ab harum similitudine loricarum quoque catenulæ squamæ dicuntur. Est & squama æris, de qua Plinius lib. 34. cap. 11. *Scoria*, inquit, *æris simili modo lauatur, minor effectu, quàm æs ipsum:* sed & æris flos medicinæ vtilis est, fit ære fuso, & in alias fornaces translato, vbi flatu crebriore excutiuntur velut milij squamæ, quas vocant florem, 3. autem Reg. 17. vers. 5. Lorica hamata dicitur: *Et lorica*, inquit, *hamata induebatur*, ad verbum, *& lorica* קַשְׂקַשִּׂים Kaskasim, *squamarum*, id est, squamata indutus erat, id est, lorica quæ erat facta opere squamarum, hoc est, squamis ferreis, ad claudendum foramina anulorum loricæ, ne sagittæ ingrederentur per anulum. Dicitur autem squama hebraica voce קַשְׂקֶשֶׂת Kaskeseth, quam vocem quidam cum per ש læuum scribatur, non satis aptè à קָשָׁה Kasa deflectunt (perplexitate, & pertinacia inquiunt) quòd pertinaciter corpori adhæreat, vel difficile penetretur metaphoricè dicitur de squamis in lorica à similitudine piscium: proprie autem de squamis piscium, vt Leuit. 11. vers. 9. & 10. vers. 12. & Deuter. 14. vers. 8. & Ezech. 29. vers. 4.

PINNVLA.

Pinnula diminutiuum est à pinna. Est autem pinna penna durior, & non 7
pluma: nam pennà nomen generale est ad plumas & pinnas: Hinc pinnæ etiam dicuntur, quibus innatant pisces, & quarum adminiculis veluti remis in natando vtuntur, vnde pinnula, & paruam pinnam significat piscium, &

Tt etiam

etiam paruam pennam auium: Græcè πτερύγιον. Voce autem hebraica pinnula piſcium vocatur סנפיר Senaphir, cuius mentio fit Leuit. 11. verſ. 10. & etiam 12.

Caput IX. DE SVBSTANTIA VOLATILI *maioris quantitatis.*

MVlta auium genera in ſcripturis occurrunt, de his hoc capite agemus, eáſque proſequemur quæ maioris ſunt quantitatis, & magnitudine excedunt alias.

AQVILA.

1 Aquila regina auium eſt, quam Poëtæ Iouis alitem, eiuſdémque armigerã appellant, & fulmina ei adminiſtrare fabulantur, cui fabulæ occaſionem dedit Aquilæ natura, quia ſola auium, & fulminis ictu non læditur, & ſolis fulgoré oculis inconniuentibus poteſt aſpicere; Quare notandum eſt quod legimus Romæ in vinca Cardinalis Carpenſis in Quirinali in arula marmorea, reperta prius in Auentino, ſculptum eſſe Iouis nubiferi caput cum pectore, & ſub eo Aquilam expanſis alis ſubuolantem, vbi deinde ſequitur I. O. M. id eſt, Ioui Optimo Maximo; demùm in vtroque latere eſt Aquila roſtro ramum, vnguibus fulmen tenens. Itaque Aquila inter volatilia obtinet principatum eſtque carniuora, cúmque binos excludat pullos, alterum expellit tædio nutriendi: Nam Aquilæ dum nutriunt degenerant, vnguéſque eis inuertuntur paucis diebus, & pennæ albeſcunt, ideò meritò ſuos odere pullos; eiectum autem pullum oſſifraga benignè excipit, & educat, donec adoleſcat; cúmque ſint Aquilarum multa genera, vnum quod Haliætus dicitur, hoc eſt, marina Aquila, fertur clariſſima oculorum acie valere, pullóſque adhuc implumes ad ſolem intuendum cogere; recuſantem verò percutere, & ad ſolem vertere, illúmque occidere cuius oculi primum lacrymauerint, reliquum educare. Tanti autem dicitur eſſe contuitus, vt cùm ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſciculos natare videat, & cum iuxta littus fuerint, tormenti inſtar deſcendere, raptámque prædam pennis ad littus pertrahere. Venatur locis à ſuo nido remotis, eſtque illi pugna cum ceruis, & draconibus. Dicitur etiam longam viuere vitam.

2 Fertur præterea Aquila, cùm ſenectute corporis præſſa fuerit, immoderatione roſtri creſcentis cibum capere non poſſe. Itaque modo quodam naturali reparandæ quaſi iuuentutis Aquila dicitur collidere, & percutere ad petram ipſum quaſi labium ſuum ſuperius, quo nimis creſcente edendi aditus claudebatur, atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur, accedit ad cibum, & omnia reparantur, ſicque exit poſt ſenectutem tanquam iuuenis Aquila: redit enim vigor omnium membrorum, nitor plumarum, gubernacula pennarum, & volat excelſa ſicut antea, & fit in ea quædam reſurrectio, ſicut docet D. Auguſtinus ſuper Pſal. 102. *Renouabitur*, inquit, *vt Aquilæ iuuentus tua:* quò etiam alludit illud Micheæ 1. verſ. 16. *Decaluare & tondere ſuper filios deliciarum tuarum, dilata cubiculum*

ANIMAL VOLATILE MAGNVM.

lum tuum sicut Aquila, quoniam captiui ducti sunt ex te. Certo enim tempore amittit plumas, totáque manet implumis, donec postea nouas habeat. Hoc etiam illud innuit, quod legimus Isai. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, & assument pennas sicut Aquila,* vbi D. Hieronymus: *Crebrò,* inquit, *diximus Aquilarum senectutem reuirescere mutatione pennarum,* & Ambrosius sermone 54. cùm eadem verba Psal. 102. retulisset, de Aquila sic scribit: *Assidua commutatione habitus sui longam ducere fertur ætatem, & vetustis iam fatiscentibus plumis, noua pennarum mutatione iuuenescere: ita vt repositis antiquitatis exuuiis, rediuiua indumentorum natiuitate se vestiat.* Hinc intelligimus senectutem Aquilæ non sentire mẽbra, sed plumas: de nouo ergo se vestit, & pullulantibus pennis, vetusta mater iterum renouatur in pullum.

In sacris literis Aquilam hebraica voce נשר Neser dictam putant, quòd 3
rectò obtutu solem aspiciat: Est enim שור Svr respicere: alij à ישר Iasar, quòd volatum rectà dirigat in prædam; cæteris autem auibus Aquila altiùs volat, suósque pullos portat super alas suas, vt illos seruet, iuxta illud Deut. 32. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum atque portauit in humeris suis:* quò etiam alludit illud Exod. 19. vers. 4. *Vos ipsi vidistis quomodo portauerim vos super alas Aquilarum, & assumpserim mihi super alas* נשרים Nesarim, *Aquilarum, vt scilicet seruaremini ab omni læsione.*

Est autem Aquila in rapacium natura numerata, estque in eo genere cæte- 4
rarum omnium velocissima, & quæ volatu in superna velocissimè fertur, de qua Iob 39. *Nunquid ad præceptum meum eleuabitur Aquila, & in arduis ponet nidum suum.* Habet etiam præsidij, & tutelæ significationem, quòd super alas portet pullos suos, & super eos volitet, vt dictum est. Celeritatem quoque in conficienda re, & dexteritatem etiam significat Aquilæ volatus, vt Deuter. 27. *Adducet super te Dominus gentem de longinquo, & de extremis terræ in similitudinem Aquilæ volantis cum impetu,* & 1. Reg. 1. Saül, & Ionatam Aquilis velociores canebat Dauid, & Ierem. 4. *Velociores Aquilis equi eius.* & Oseæ 7. *Quasi Aquila super domum Domini.* Rapaces autem, & auidi atque lucro inhiantes & prædæ, Aquilarum nomine significantur: in ea enim re cæteras aues Aquilæ antecellunt, vt Iob 9. significatur: *Pertransierunt,* inquit, *quasi naues poma portantes, & sicut Aquila volans ad escam,* & Prouerb. 30. *Comedent eum filij Aquilæ,* & Abacuch 1. *Volabunt quasi Aquila festinans ad comedendum,* & Matth. 24. *Vbicumque fuerit corpus illuc congregabuntur & Aquilæ.* Huius vitij vitandi causa, Aquila in esu carnium prohibetur Deuter. 14. vbi numerantur Aquila, & Gryphus. Est præterea Aquila in sacris literis regium symbolum, vnde & Babylonicum regnum aliquando Aquilæ nomine significatum est, vt Ezech. 17. *Aquila grandis, magnarum alarũ, longo membrorum ductu,* & Leæna illa quæ alas habebat Aquilæ Danieli visa hoc significabat Daniel. 7. Atque ita interpretatus est Esdras 4. Esdræ 11. *Aquilam quam vidisti ascendentem de mari,* hoc est, regnum quod visum est in visione Daniel; Aliquando Regnum Ægypti, vt apud Ezechiel. 17. *Et facta est Aquila altera grandis magnis multisque plumis.* Apocal. autem 7. & 12. Aquila regnum, vt cap. 4. magis arcanam rem significat.

ANIMAL VOLATILE MAGNVM.

STRVTHIO.

5 Struthio, siue Strutiocamelus maxima auium est, si tamen auis est dicenda, cùm pennas dumtaxat habeat, vt adiuuent ad currendum, cætero volucris non sit, nec à terra tollatur. Vngulas habet ceruinis similes bisulcas, comprehendendis lapidibus vtiles, quos in fuga contra insequentes pedibus ingerit, concoquit, quæcunque deuorat sine aliquo delectu, mira in eo stoliditas: etenim in tanta corporis altitudine; si colla frutice occultauerit, latere se putat; oua eius in pretio sunt propter amplitudinem, & pennæ quia galeas variis coloribus infectæ adornant. Vocatur autem struthio voce hebraica יענה IAANA in sacris literis; iuxta D. Hieronymum, vt Isai. 13. vers. 21. vbi sic legimus: *Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones*; in hebraico legimus בנות יענה BENOTH IAANA, *filia strutionum:* Septuaginta, *Syrenas*, vertunt. Non desunt qui, *vlulas*, interpretentur, sic appellatas ab vlulatu & fletu: Nam ענה INNA est affligere. Sic quidam interpretantur illud Micheæ 1. *Faciam planctum velut draconum, & luctum quasi strutionum:* reddunt enim: *& luctum sicut filiæ vlulæ*, vbi etiam vox יענה IAANA posita est. Vocatur præterea struthio Iob 39. vers. 13. חסידה CHASIDA: sic enim vertit D. Hieronymus: *Penna struthionis similis est pennæ Herodij, & accipitris.* Notandum verò est CHASIDA propriè ciconiam significare quia verò חסד CHESED est misericordia per antiphrasim, sic struthionem ab immisericordia vocari à Iob loco citato, cuius crudelitatem, & immisericordiam sic describit, vbi sic Dominus loquitur: *Quando*, inquit, *derelinquit oua sua in terra, tu forsitan in puluere calefacies ea, obliuiscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui; frustra laborauit nullo timore cogente. Priuauit eum Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam, cùm tempus fuerit in altum alas erigit, deridet equum, & ascensorem eius.* Hactenus scripturæ verba: agunt autem struthiones in desertis & desolatis atque aridis, & incultis locis, suóque cantu vastitatem illam indicantes, horridiorem reddunt. Hoc genus auium, & vastitatem, & tristitiam, horrorem & suorum etiam negligentiam significat, & ideò inter vetitos cibos numeratur Deuter. 14. Harum rationum exempla sunt Iob 30. *Frater fui draconum, & socius struthionum*, & Isai. 13. *Habitabunt ibi struthiones*, & Threnorum 4. *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto.*

CICONIA.

6 Dictionem hebraicam חסידה CHASIDA, quam Septuaginta Psalm. 103. vers. 7. reddunt *hirundinem*, & Hieronymus *miluum*, & Aquila *Herodionem*, non desunt qui *ciconiam* interpretentur, quam CHASIDA dici putant à naturali misericordiæ affectu, vt sit quam græci vocant φιλόστοργον: nam חסד CHESED, vt dictum est, misericordiam significat. Scribit autem Plinius lib. 10. cap. 23. ciconias genitricum senectutem inuicem educare, vbi etiam refert ciconias quonam è loco veniant, aut quò se referant, incompertum adhuc esse, è longinquo venire non dubium eodem quo grues modo, illas hyemis, has æstatis aduenas, abituræ congregantur in loco certo comitatéque, sic vt nulla sui generis relinquatur, nisi captiua aut serua, seu lege prædicta die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium, cùm discessurum appareat, nec venire, sed venisse cernimus;

cernimus; vtrumque nocturnis fit temporibus: & quamuis vltrà citráque peruolent, nunquam tamen aduenisse nisi noctu existimantur. hæc Plinius. Denique proprium esse ciconiarum parentes senio confectos nutrire, in volando etiam fessos iuuare, portaréque, testantur scriptores historiæ naturalis, & inter eos Aristoteles.

GRYPHVS.

Gryphus græcè γρύψ Plinius & *gryphas* dicit & *gryphes*. Sunt auté gryphes seu gryphi aues quadrupedes, lupi magnitudine, cruribus & vnguibus leoninis, pennis in pectore rubris, in reliquo corpore nigris, de bello autem cum eis Arimasporum ob auri custodiam, multa Herodotus lib. 3. & Pausanias in Atticis, & Plinius lib. 7. cap. 2. qui sic scribit: *Sed & iuxta eos qui sunt ad Septentrionem versi haud procul ab ipso Aquilonis exortu specúque eius dicto produntur Arimaspi, quos diximus vno oculo in frontis medio insignes, quibus assiduè bellum esse circa metalla cum gryphis ferarum volucri genere, quale vulgò traditur eruente ex cuniculis aurum mira cupiditate, & feris custodientibus & Arimaspis rapientibus multi: sed maximè illustres, Herodotus, & Aristeus Proconesius scribunt.* hæc Plinius. Vocatur autem gryphus Leuit. 11. vers. 13. hebraica voce פרס PERES, cuius etiam mentio fit Deut. 14. vers. 12. dicitur autem sic ab vngulis fissis: est enim פרס PARAS scindere, diuidere. 7

VVLTVR.

Vultur auis est rapax & carniuora, ita dicta, quòd propter magnitudinem corporis tardè volet, refert Plinius lib. 10. cap. 6. vultures biduo triduóve ante eo congregari vbi futura sunt cadauera: mirum enim in modum corporibus putrefactis delectantur. Ex græcis nonnulli τάφους ἐμψύχους appellarunt, hoc est, sepulchra animata. Vulturum autem præualent nigri, nidos autem nemo attigit, ideò etiam fuêre qui putent illos ex aduerso orbe aduolare, sed falsò nidificant in excelsissimis rupibus: fœtus quidem sæpe cernuntur ferè bini: vocatur autem vultur in sacris literis hebraica voce ראה RAA, fortè ab acumine visus: cùm ראה RAA sit cernere. D. Hieronymus hanc vocem significare putat Ixon Deut. 14. vers. 13. vbi Septuaginta τὸν γύπα, id est, vulturem, reddiderunt, est autem Ixos auis de vulturis genere alba, & paulò minor vulture. 8

MILVVS.

Miluus auis est rapacissima, à molli volatu dicta, vt quibusdam placet, vel fictitio nomine à voce quam edit. Porrò Milui teste Plinio libr. 10. cap. 10. in eodem accipitrum genere, magnitudine differunt. Notatum autem in his rapacissimam & famelicam semper alitem, nihil esculenti capere vnquam ex funerum ferculis, nec Olympiæ ex ara. Ab huius auis similitudine piscis quidam Miluius, siue Miluus dicitur, quòd se saltu supra mare attollens, milui in modum volare videatur. Artem autem gubernandi nauem videntur docuisse milui caudæ flexibus. Vocatur autem Miluius Leuit. 11. vers. 14. voce hebraica דאה DAA, à nimio volatu: est enim דאה DAA volare. D. Hieronymus *Miluum* tradidit, Septuaginta τὸν γύπα, id est, vulturem fortè, quia legerunt ראה RAA per literam ר RES, Hieronymus verò hoc Leuitici loco cùm reddit *Mil-* 9

cunt, à græcis etiam δενδροκολάπτης dicitur, quòd roſtri ictibus arbores pertundat.

P A V O.

Pauo auis nota eſt, vario pennarum fulgore conſpicua. Tradunt hanc autẽ eſſe non glorioſam ſolùm, ſed & maleuolam, laudata expandit colores aduerſo maximè ſole, fimum ſuum reſorbet inuidens hominum vtilitati. Caro eius diutiſſimè incorrupta ſeruatur, vnde etiam in ventriculo ægerrimè concoqui putatur, ad quod & Iuuenalis videtur alludere ſatyra 1. *Et crudum pauonem in balnea portas.* Plinius lib 10. cap. 20. de pauone ſcribit, cauda annuis vicibus amiſſa, cum foliis arborum donec renaſcantur pudibundam & mœrẽtem quærere latebram, & viuere annis 25. coloréſque incipere in trimatu fundere & pauonem cibi gratia Romæ primùm occidiſſe oratorem Hortenſium, Edi[illegible]li cœna ſacerdotij. Dicuntur autem pauones 3. Reg. 10. & 22. תכיים TVCIIM & 2. Paralippo. 9. verſ. 21. ſic enim hanc vocem interpretatur D. Hieronymus, & Chaldæus Paraphraſtes. Vox videtur peregrina: nam pauones טוסין TAVASIN vocat Chaldæus interpres, etymon eſt ignotum, forſitan à percutiendo per onomatopeiam, alij dicunt genus eſſe ſimiæ, quæ vulgo dicitur *Maymon*, ſed ferè omnes pauones interpretantur. Quidam verò Iob 39. verſ. 13. vocem hebraicam רננים RENANIM *pauonem* interpretantur. D. verò Hieronymus, *ſtruthiocamelum*, à ſtridore vel ouatione, vel à gloria alarum quas habet corpus eius: *Penna*, inquit, *ſtruthionis ſimilis eſt pennæ herodij.* Qui pauones hîc ſignificari putant, inde id coniectant, quòd Septuaginta ſic locum hunc vertãt. Ala eorum qua delectantur gloriosè Chaldæus Paraphraſtes gallum ſylueſtrem ſignificare autumat. *Ala*, inquit, *galli ſylueſtris qua ſe iactat & exultat.* Denique auem hanc ſic vocatam putant hebraica voce, quòd ſua voce delectet, quo amœna ſit & ſuauis: eſt enim רנן RANAN clamare fortiter, ſiue hoc fiat in cantando, ſiue ob lætitiam, ſiue ob luctum. Vocatur itaque auis RENANIM à clamore & pulchritudine vocis qua clamat, & exultat in pulchritudine alarum ſuarum: quod & gallo, & pauoni, & etiam ſtruthioni poteſt optimè conuenire. 13

O N O C R O T A L V S.

Onocrotalus auis eſt cigno ſimilis, ſic dicta quòd collum in aqua mergens ſpiránſque veluti ruditum aſini edat: ὄνος aſinus eſt, κρόταλος verò crepitus. Eius fit mentio Leuit. 11. verſ. 18. vocatúrque hebraica voce קאת KAATH iuxta D. Hieronymum: Septuaginta verò πελέκανα *Pelicanum* vertunt, ſicut etiam Deut. 14. verſ. 17. Sed Pſalm. 101. verſ. 7. tam Hieronymus, quàm Septuaginta *Pelicanum* reddunt. Reperitur etiam hæc eadem vox Iſaiæ 34. verſ. 11. & Sophon. 2. verſ. 14. Sunt autem qui hanc dictionem deducunt ex radice קא KO, vel קאה KAA, eſt auis immunda & à lege vetita, cuius hebraica vox vomitum ſignificat. 14

I B I S.

Auis eſt ſoli Ægypto peculiaris, quæ ſerpentibus veſcatur: hæc duplex eſſe fertur: altera nigra tota eſt: altera ciconiæ non abſimilis, diuerſa tamen à ciconia, de qua Cicero lib. 2. de natura Deorum. Traditur autem Ibis clyſterij 15
vſum

ANIMAL VOLATILE MAGNVM.

vsum prima commonstrasse, quòd consuetudinem habeat se purgandi rostri aduncitate, eam perluens partem qua ciborum onera redduntur, auctor est Plinius lib.8.cap.17. Huius auis fit mentio in sacris literis Deut. 14. vers. 26. & Isaiæ 34.vers.11. Vocatur autem ינשוף IANSVPH in sacris literis, quam vocem D. Hieronymus *Ibim* interpretatur. Aliqui arbitrati sunt esse noctuam, quòd נשף NESEPH crepusculum vespertinum & antelucanum, id est, initium noctis cùm tenebræ incipiunt, & principium diei cùm desinunt tenebræ, significet.

MERGVLVS.

6 Mergulus auis est sic appellata, quòd ad capiendum pisces, in mare vel in aquam se proiicit. Vocatur autem hebraica voce שלך SALACH, est enim SALACH proiicere. Eius mentio fit Leuitic. 11. vers. 17. est autem ex numero auium vetitarum. Venatur pisces, quare Onchelos Chaldæus interpres vertit שלינונה SALINVNA, quasi captorem, seu venatorem piscium: nam נון NVN Chaldæis piscis est, & שלא SILA venari, capere, piscari.

Caput X. DE SVBSTANTIA VOLATILI minoris quantitatis.

VOlatilium quæ in sacris literis reperiuntur, quædam sunt magni & proceri corporis, de his præcedenti capite actum est. Reliquum autem est, vt agamus de volatilibus minoris quantitatis, quæ passim in sacro eloquio occurrunt.

GALLVS.

1 Gallus gallinaceus nota auis, nocturnus vigil; quem excitandis in opera mortalibus, rumpendóque somno genuisse prouidentia diuina videtur. Cicero 2. de diuinatione: *Democritus*, inquit, *optimis verbis causam explicat, cur ante lucem galli canant: depulso enim de pectore, & in omne corpus diuiso, & modificato cibo cantus edere quiete satiatos, qui quidem silentio noctis (vt ait Ennius) fauent faucibus, rursus cantu plausúque premunt alas*, & paulò ante, *Galli*, inquit, *victi silere solent, canere verò victores*. hæc ille. In sacris literis ab accingendo gallus nomen sortitur: vocatur enim voce hebraica זרזיר ZARZIR, est enim זרז ZARAZ accingere apud Chaldæos Nam Gen. 3. vers. 7. pro חגרות CHAGOROTH cingulos, Chaldæus *Onchelos habet*, זרזין ZERAZIN. Eius fit mentio Prouerb. 30. vers. 31. vbi legimus: *Tria sunt quæ bene gradiuntur, gallus succinctus lumbos*, &c. Cùm vox ista peregrina sit, variant auctores in eius significatione: putant enim quidam significari hoc loco lelapem, siue leporarium canem: sicque dicunt appellari, quòd in lumbis sit tenuis ac si lumbos haberet accinctos, etiam à verbo זרז ZARAZ accingere. Non desunt [illegible] NAMER, id est, *Pardum*, interpretentur, qui & tenuis & fortis [illegible]esis.

CORVVS.

Coruus auis est omnium nigerrima, Plinius lib. 9. agens de coruorum na-
2 tura, scribit coruos ante solstitium generare, ægrescere sexagenis diebus siti, maximè antequam fici coquantur Autumno, refert & alia Plinius loco citato. Voca-

ANIMAL VOLATILE PARVVM.

to. Vocatur autem Coruus in sacris literis voce hebraica ורב Oreb, à mixto, vt quidam volunt colore inter lucidum & nigrum: significat enim ערב Ereb mixtionem, vel quòd obscuritatem vespere referat, aut quòd vespere euolet: nam ערב Ereb vesperam significat, si cum sex punctis scribatur, tum etiam & tenebras. Eius fit mentio Leuit. 11. vers. 15. Volunt quidam hoc nomen corui, ad picos, picas, monedulas & id genus aues generale esse. Fit etiam eius mentio 3. Reg. 17. vers. 6. vbi legimus: *Et corui afferebant ei panem & carnem*, sic Hieronymus, & communiter hebræi vocem hebraicam exponunt. Quidam negociatores exposuerunt, qui ערבים Orebim etiam dicuntur, quia ערב Arab est spondere, fideiubere, negociatores autem spondent, & fideiubent alter alteri, dum emunt & vendunt, vt sit sensus: *Et negociatores afferebant ei panem, & carnem*, sed sensus hic singularis est. At sensus D. Hieronymi & vulgatæ nostræ editionis magis cohærens, & ideò genuinus & verus, quare ab omnibus iure optimo receptus.

NOCTVA.

Noctua auis est, à tempore noctis dicta. *Noctuas verò Athenas ferre*, prouerbio dicuntur ij qui eò rem aliquam afferunt, vbi eius maxima est copia: ferunt 3
enim noctuarum maximam vim Athenis esse. Vocatur autem in sacris literis hebraica voce תחמס Tachmas, sic à rapiendo siue spoliando dicta: est enim חמס spoliare, rapere. Chaldæus Hierosolymitanus vocat eam Chaldaicè חטפיתא Chatophita, à חטף Chataph, quod hebraicè rapere est. Eius mentio fit Leuit. 11. vers. 17. & etiam Deut. 14. vers. 15. Hieronymus *noctuam* reddit, *cymindin*, id est, accipitrem nocturnum, de quo Plinius lib. 10. cap. 8. *Nocturnus accipiter*, inquit, *cymindis vocatur, rarus etiam in syluis, interdiu minus cernens, bellum interminum gerit cum aquila, cohærentésque sæpe prehenduntur*. Meminit & Homerus Iliad. ξ. Alij quidam recentiorum Harponem putant à violentia & rapacitate.

COLVMBA.

Columba, siue Columbus auis nota. Varro lib. 3. cap. 7. duo facit columba- 4
rum genera, quæ in Peristerotrophio esse solent: vnum agreste quod habetur in turribus ac culminibus villæ, à quo appellatæ columbæ, quæ propter timorem naturalem summa loca in tectis captant: Alterum columbarum genus clementius, quod cibo domestico intra limina pascitur. Columbus autem in sacris literis voce hebraica vocatur יון Ion & columba יונה Iona. Quidam hanc vocem reducunt ad ינה Iana, quod opprimere significat, quia omnium prædæ patet, plurale autem יונים Ionim columbi vel columbæ. Hinc Cantic. 1. vers. 15. *oculi tui columbarum*, & Leuit. 12. vers. 8. duo filij Iona dicuntur duo columbini pulli, qui ad sacrificium apti sunt.

ACCIPITER.

Accipiter genus est ad om[illegible]es, cuius species sunt sexdecim, 5
præcipuæ tamen sunt Buteo, Triorchus, Æsalon, de quibus vide Plinium libr. 10. cap. 8. dictus est ab accipiendo, hoc est, à rapiendo. Tantæ velocitatis est hoc genus auium, vt inde hyperbolica parœmia orta sit, *ocyor accipitre*, qua venustè vtemur, si ad famam, aut ingenium, aut nuntium, aut eiusmodi quid-

piam detorqueatur. In sacris quoque literis à velocitate dicitur hebraica voce נץ Nes: est enim נצה Nasa velociter ire & quasi volare, ac si haberet pennas & plumam. Fit eius mentio Leuit. 11. verf. 16, & etiam Iob 39. verf. 26. vbi legimus: *Nunquid per sapientiam tuam plumescet accipiter.* Alij sic interpretantur: *Nunquid per intelligentiam tuam volabit* נץ Nes *accipiter.* Fit quoque eius mentio Deut. 14. verf. 15.

BVBO.

6 Bubo est auis feralis, debilis ad volandum in cauernis commorans, à bouis mugitu quem imitari videtur ita appellata, teste autem Plinio hebetes habet oculos, estque auis nocturna. Huius auis mentio fit Leuit. 11. verf. 17. & etiam Psalm. 101. verf. 7. vbi Septuaginta *Nicticoracem,* interpretantur: sic enim legimus: *Sicut Nicticorax in domicilio,* כבוס Cecos sicut nicticorax. D. verò Hieronymus reddit *Bubonem,* sicut etiam Leuit. 11.

VPVPA.

7 Vpupa auis est, crustis à capite exeuntibus galeata, in fimo semper commorans, de qua Plinius lib. 10. cap. 29. In sacris verò literis à crista quam habet nomen desumpsisse videtur, vbi vocatur voce hebraica דוכיפה Dvcipha. Quidam exponunt, *Auem syluestrem duplicatam cristam habentem,* dicúntque à duplici crista sic appellatam, quasi habentem דו Dv, id est, duos כפות Cephoth cristas, Dv ex latinis pro duo: sed dictioni hebraicæ dictionem latinam interserere absurdum fuerit. Est ex numero auium prohibitarum. Chaldæus *Gallum* interpretatur, Hieronymus verò *Vpupam,* & rectè: est enim, vt diximus, cristis à capite exeuntibus galeata.

TVRTVR.

8 Turtur auis nota ex genere columbarum, à sono quem edit nomen habens quæ gemitum habet pro cantu. Turturum enim ferunt huiusmodi esse naturam, vt neque masculus præter vnam fœminam adeat alteram, neque fœmina plus quàm vnum patiatur maritum, ita vt si accidat altero interempto superesse alterum, pariter cum coniuge extinctus sit ei concubitus amor, nec in ramis viridibus insidet, estque amica solitudinis. Vocatur autem turtur hebraica voce תור, vnde latina vox deriuata videtur. Fit eius mentio Leuit. 12. verf. 6. & Gen. 15. verf. 9. & Cantic. 2. verf. 12. Quod autem legimus Psalm. 73. verf. 19. iuxta Septuaginta: *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi,* propter multiplicem dictionis תור Tor significationem, quæ ibi ponitur, D. Hieronymus transfert, *Ne tradas bestiis animam erudientem lege tua,* alij: *Ne des congregationi inimicorum animam turturis tuæ,* תורך Thoreca, id est, congregationi tuæ Israël, quæ est velut turtur, & ratio diuersitatis harum interpretationum est, quia Septuaginta legerunt תודך Thodeca, ד Daleth pro ר Res, ideò confitentem dixerunt. At D. Hieronymus legit תורך Thoreca pro תורתך Thorateca per literam ר Res, sicque legem significat תורה Thora. Significat porrò תור Thor turturem: hinc fit, vt alij *Turturem interpretentur.*

COTVRNIX.

9 Coturnix auis est aduena, terrestris magis quàm sublimis. De huius auis consideratione plurima cognitu dignissima tradit Plinius lib. 10. cap. 23. De quibus

ANIMAL VOLATILE PARVVM.

quibus Psalm.104.vers 4. *Petierunt & venit Coturnix, pane cœli saturauit eos.* Vocatur autem Coturnix hebraica voce קלו Selav. Fit eius mentio Exodi 16. vers.13.& Numer.11. vers. 31. Quidam quasi per ש dextrum scribatur, huius etymon afferunt, quod in abundantia frumenti iuxta apologum otiosa & secura desideat, pinguedine ingrandescens: est enim auis pinguis admodum: Vulgò dicitur, *gualla*, siue *codornis*, est enim שלה Sala pacificum esse, & abundantem otij.

HIRVNDO.

Hirundo auis nota est, quæ in tectis nidificat, sub initium veris ad nos transuolans, hyeme verò deuolans & discedens; nidificat in domibus, humanam quandam intelligentiam in construendo nido referens, in nutriendis pullis æquitatem quandam seruat, ne bis alicui impertiat, dicitur parere pullos cæcos, quibus ipsa medetur. Eadem madefactas summas alas pulueri inuoluit, atque ita lutum ad compingendum nidum facit, estque plurimùm garrula, de qua multa Plinius libr.10 cap.23. Eius fit mentio Isaiæ 38.vers.14. vbi legimus: *Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor vt columba.* Vocatur autem hirundo hebraica voce עגור Agur, quam dictionem tam hoc loco, quàm Ierem.8.vers.7. *Hirundinem* interpretatur D.Hieronymus. In aliis verò scripturæ locis dicitur hebraicè דרור Deror, sicque à libertate nomen sortitur: significat enim דרור libertatem, vt Leuitici 25.vers. 10. & Isaiæ 61. vers. 1. Ierem.34. vers.8. & aliis locis. Vocatur itaque hirundo Beroe à libertate, quòd liberè nidificet in hominum habitaculis absque timore, ac si homines fecissent eam liberam, ne quis eam caperet, vel quia ea libertate in domo atque in agro agat, seu quia vaga volandi libertate gaudeat. 10

PERDIX.

Perdix auis nota est, quam Ouidius fabulatur à Perdice Dædali nepote ita fuisse appellatam. De auis huius astutia scribit quidem Plinius libr.10. cap.33. quæ in sacris literis vocatur קרא Kore à vocando: est enim קרא Kara vocauit, de qua Ieremiæ 17.vers.11. *Perdix fouet quæ non peperit, facit diuitias & non in iudicio*: sensus est, sicut perdix colligit alterius auis oua, & cubat super ea ac si forent sua. sic qui facit diuitias & non in iudicio. Quidam id exponunt de perdice masculo, qui cubat super oua quæ peperit perdix fœmina. 11

CHARADRIVS.

Charadrius auis est, quam aspicientes Icterico morbo laborantes teste Æliano lib. 15. cap. 26. liberantur. Alio nomine Icterus nuncupatur, à latinis galgulus, vt existimat Plinius lib.30.cap.11. Huius fit mentio Leuit.20.ver.19. & Deut.14.vers.28.& vocatur hebraica voce in sacris literis אנפה Anapha Hanc dictionem D. Hieronymus sequutus Græcos *Charadrium* interpretatur: vocatur enim à græcis χαραδριός: nam auis ista est torrentium incola, quæ in salebris, & torrentium alueis degit. 12

VESPERTILIO.

Vespertilio incertæ naturæ est: est enim mediæ cuiusdam inter auem & murem speciei, vt mus alatus dici possit, volat enim pennatis alis, sed inter volucres non est habendus, quod quatuor pedibus graditur, pullósque parit 13

oua, quos & lacte nutrit: dictus Vespertilio, quòd vespere se ad volatum proferat. Vide Plinium lib. 10. cap. 61. per translationem etiam vespertiliones dicuntur debitores, qui ære alieno obruti interdiu domi delitescunt metu creditorum noctu tantùm prodeuntes. Vocatur autem Vespertilio in sacris literis voce hebraica עטלף Ataleph, dictúsque sic est ab עטף Ataph litera ל interserta, quòd in obscuro volitet: est enim עטף Ataph operire. Eius mentio fit Leuitici 11. vers. 16. & 19. tum etiam Deuteronom. 14. vers. 18. & Isaiæ 20. vers. 20.

Cap. XI. DE HIS QVAE SVBSTANTIAE VOLATILI sunt communia.

HActenus de volatili substantia. Sunt præterea multa in sacris literis, quæ animali volatili conueniunt, omnibus volatilibus communia, quæ nequaquam prætermittenda putauimus, cùm suum etiam afferant commodum & vtilitatem.

VOLARE.

1 Volare est aërem pennis secare, est autem proprium alas habentium, transfertur etiam ad alia quæ celeriter feruntur; nauem etiam volare dicimus, & famam, & alia, quare in sacris literis Daniel. 9. vers. 21. Gabriel Angelus volare dicitur, vbi legimus: *Gabriel quem videram citò volans tetigit me in tempore sacrificij*, in hebraico est מועף Muaph, ad verbum, volare factus, aut iussus, volatu tetigit me. Significat autem יעף Iaaph volare. Quod autem legimus Thren. 4. vers. 15. *Iurgati quippe sunt & commoti*, quia נוח Nasa est velociter ire, & quasi volare, quidam sic interpretantur נצו Nasu *velociter iuerunt, volauerunt.* Alij *Fuit eis pluma, siue penna sicut aui*: sed quoniam dictio ista in Niphal, & Hiphil significat rixari, contendere, ideò D. Hieronymus, & etiam Chaldæus Paraphrastes reddunt, *Iurgati sunt*. Non defuerunt qui interpretarentur: *Inquinati sunt sicut inquinatur & polluitur ventriculus auium*, à נו צחה No sata ventriculo, siue cibo, qui ventriculo, siue vesicula auium adhuc continetur.

AVIS.

2 Auis rapax propriè significatur voce hebraica עיט Aiit, estque ferè nomen collectiuum, pro eiusmodi auium ferarum turba. Nomen autem latinum *Ales*, huic hebræo aptè videtur respondere: est autem עיט Aiat, siue עוט Auat inuehi, & propriè inuolare auis rapacis more. Quare vbi legimus Isai. 46. vers. 11. *Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*, sensus est: vocans ab Oriente עיט Aiit, id est, auem rapacem id est, ægrum qui instar auis rapacis celeriter contra Babylonem venit. Commune tamen nomen omni volatili est צפר Sipor interdum tamen capitur pro speciali specie, id est, pro passere. Quidam etymon nominis afferunt, quòd statim ex ouo exclusus secum plumas & vngues producat. Significat enim צפר Saphar mane surgere, maturè scilicet, aptè quidem reddunt per maturandi verbum.

ALA

VOLATILI COMMVNIA.

A L A.

Ala ea dicitur qua aues volant, à cuius similitudine ala quoque dicitur locus ille concauus subter brachium in homine, quia in eo pili quasi pennæ nascuntur. Præterea ala dicta est equitū turma, quòd alarum vice pedites tegāt: Nam in equitum ordinibus circum legiones dextra sinistrâque tanquam alæ in auium corporibus locantur. Alæ etiam nauium dicuntur, vt velorum pandimus alas. Vocatur autem in sacris literis ala Hebraica voce כנף CANAPH, à curuitate, vt quidam putant, quasi affinitatem habeat cum כפף CAPHAPH curuare. Sumitur aliquandò pro velis nauium, vt Isai. 18. vers. 1. *Va terra cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthyopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas.* Appellatur quoque ala Hebraica voce אבר EBER, sicque dicitur à robore & fortitudine, quòd in alis sit auium fortitudo & robur: est enim אבר ABAR roborare: hinc אביר ABIR fortem, & robustum significat. Quare Psal. 67. vers. 14. per posteriora dorsi columbæ alas intellige, vbi scriptum est *Penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri:* Nam pro, *Posteriora dorsi eius*, legimus אברתיך EPHROTHECA, ad verbum, alæ tuæ in pallore auri: quæ quia in posteriori sunt parte, ideò Septuaginta interpretes, *Posteriora dorsi eius*, verterunt. 3

N I D V S.

Nidus, auium est domicilium, à nidore, vt putant, quòd mali odoris sint auium cubilia. Quandoque tamen nidus accipitur pro fœtu auium, quasi continens pro contento. Quandoque pro quodam vasis genere à Nidorum similitudine. Et nidi etiam dicuntur in quibus merces in tabernis separatim continentur, & hæc apud prophanos auctores: Nam in sacris literis nidi dicuntur quoque mansiones illæ in area, in quibus animalia quadrupedia habitabant: sic enim legimus Genes. 6. vers. 14. *Fac tibi aream de lignis leuigatis, mansiunculas in area facies, & bitumine linies*, vbi pro, *mansiunculas facies in area*, est קנים KINIM, ad verbum, *nidos facies in area:* est autem קן KEN nidus, mansio ipsius auis, à קון KAVAN nidificare. 4

P V L L V S.

Pullus à puellus, vt quidam putant, per syncopem deductum quorumlibet animalium fœtus: sed apud Hebræos pullus auis dicitur אפרוח APHROACH à recenti plumarum, & pennarum productione, vel potius quòd recens ex ouo emerserit: Nam פרח PARACH est germinare, oriri. 5

O V V M.

Ouum dictum apud Latinos ab ὠὸν Græco, interposita ν, Euphoniæ causa: vitellus autem, vel luteum olei, dicitur illud quod in ouo crocei coloris est albumen: Albumen autem, vel album oui, liquor ille candidus, qui vitellum circundat. In sacris verò literis ouum vocatur ביצה BESA, tanq̄umque pluraliter reperitur, vt Deut. 22. vers. 6. & Isa. 59. vers. 5. nempe ביצים BESIM oua. Sunt qui putent à בוץ BOS Palude deduci, quòd oui formam habeat. Alij verò à יצא egredi, quòd ex aue egrediatur. 6

Caput XII. DE PARTIBVS DISSIMILARIBVS supremæ partis capitis.

QVoniam partes substantiæ sensitiuæ variæ sunt ac multiplices: aliæ enim dicuntur dissimilares, aliæ similares: primo loco de dissimilaribus agemus, postea de similaribus: occurrunt enim sæpe in variis sacræ scripturæ locis. Quia verò in suprema capitis parte quædam continentur ex dissimilaribus, eas hoc cap. 12. prosequemur.

CAPVT.

1 Caput est præcipuum membrum animalis, regens cætera membra, in eóque maximè vigent sensus omnes, estque in homine sedes prudentiæ. Dicitur autem caput totum illud quod collo sustentatur, inde dictum, quòd ab eo initiũ cœperint nerui, per quos in totum corpus sensus distribuitur, & etiam motus. In summo enim à natura collocatum est, quòd in eo regimen totius animantis resideat. Partes autem capitis distinguuntur: Nam eminentior pars vertex appellatur: tum corona capitis diuiditur in frontem anteriorem, & occiput posteriorem partem; media sunt tempora, quibus aures inhærent. Aliquando caput dicitur origo & principium, Græcè ἀρχὴ, aliquando quod est in re quapiam præcipuum, & ad quod vnum reliqua omnia conferuntur. Nonnunquã sumitur pro summa prima pecuniæ, à qua fœnus, aut alius quæstus fit, velut rei principium, quam & sortem dicunt, teste Aristotele de historia animalium lib. 3. cap. 7. caput sex ossibus constat, quod non neruis sed suturis continetur, vt idem scribit cap. 5. libro verò 5. cap. 31. tradit eorum capita minus laborare, quibus pediculus in capillo est: lib. verò 2. de partibus animalium cap. 14. de hominis capite scribens, ait hominem animalium omnium maximè piloso capite esse, cuius rei causam dicit tum ad necessitatem, tum ad præsidij rationem referendam esse: necessarium enim est propter cerebri humiditatem, & commissuras caluæ. Nam vbi plurimum humoris calorísque est, ibidem ortũ pilorum esse necesse est copiosum. Præsidij autem ratio est, vt frequentia pili caput operiens, defendat à nimio frigore & calore: cùm enim cerebrum hominis proportione maximum, & humidissimum sit, maximam etiam tutelam desiderat. Problematum verò sectione 30. quæst. 3. docet hominem omnium animantium esse prudentissimum, quia capite minimo est ad sui corporis proportionem, & inter homines ipsos qui minore sunt capite prudentiores nasci, quàm qui sunt grandiores.

2 In sacris verò literis caput voce hebraica dicitur ראש Ros, & quia caput summum est, & præcipuum in corpore membrum, hinc vox ista res summas, & præcipuas in sacro sermone significat. Sumitur etiam passim pro summitate rei cuiusuis: Item pro potissimo rei, sumitur etiam interdum adiectiuè, sic כהן ראש ה Cohen ros ha dicitur Sacerdos capitis, id est, summus Sacerdos. Accipitur quoque pro initio temporis, vnde ראשון Rison primũ significat. Designat etiam summam in numero & censu: Hinc leuare caput pro summam colligere; vnde quidam putant Paulum verbum illud fecisse ad Ephes. 1. vers. 10. ἀνακεφαλαιώσασθαι, ad verbum, *vt recapitularet*, id est, recolligeret

ret in caput, & in summam reuocaret omnia, quod transfert D.Hieronymus, *instaurare omnia in Christo.*

Aliquando in sacris literis caput transfertur ad significandum primatem, 5
cuius consilio cæteri reguntur: sicut cætera membra capite gubernantur; in quo sensu accipiendum est quod dicitur Amos 6. vers. 1. *Va qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samaria: optimates capita populorum*, quòd eorum prudentia populus regatur, ex quo sequitur quanta prudentia debeant esse principes, & omnes qui regunt. Sic etiam intellige illud Oseæ 1. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israël pariter, & ponent sibi caput vnum*, Christum scilicet de quo Epist.ad Ephes. 1. scriptum est: *Et omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Eleganter autem Christus caput dicitur, quoniam capitis est cæteris membris prouidere, & ea gubernare ac ducere: quem etiam sensum habet illud Isai. 9. *Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, longæuus, & honorabilis ipse est caput*, in Hebræo est: *de consiliis eorum*, siue *de capitibus eorum.* Quare D. Hieronymus super Oseam cap. 11. vbi ait Propheta, *& consumet electos eius*, nempe gladius, *& comedet capita eorum*, id est, principes interpretatur capita, vel consilia: vox enim hebraica מועצה Moasa propriè consilium significat, quod pro consiliario ponitur.

Illud porrò notandum est in sacris literis, quòd olim victores radebant vi- 4
ctorum capita in ignominiam, & in magnis calamitatibus solebant homines tondere comam capitis: Nam imprimis caluitio capitis significabatur captiuitas, captiuorúmque ludibrium: victores enim radebant victis capita in contemptum, quò alludunt verba illa Deuter. 32. *Et gladius meus deuorabit carnes de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis.* Comam autem totondisse in rebus aduersis, decaluasséque capita indicant primùm verba illa Iob 1. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adorauit.* Significare verò hoc rem aduersam & calamitosam, indicant verba illa Isai. 3. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit*, & mox cap. 15. *In cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Leuare autem caput est lætantium atque liberorum qui vincunt, & more suo viuunt, in quo sensu accipiendum est illud Zachariæ 1. *Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum*, id est, nemo resistere eis potuit, & de victoria lætari, quem etiam sensum habent verba illa Lucæ 21. *His autem fieri incipientibus respicite, & leuate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Denique commouere caput, interdum est irridentis, interdum condolentis: 5
Irridentis quidem, vt Psal. 43. *Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis*, & Matth. 27. *Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua, & dicentes: vah qui destruis templum Dei.* Est autem condolentis, & admirantis calamitatem, vt Hieremiæ 18. *Omnis qui transierit per eam obstupescet, & mouebit caput suum*, & Iob 16. *Consolarer ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos.* & Iob etiam cap. vltimo: *Et mouerunt super eum caput, vt consolarentur eum.* Illud etiam Nahum cap. 3. *Et erit omnis qui viderit te, resiliet à te, & dicet: vastata est Niniue, quis commouebit super te caput, vnde quæram consolationem tibi.* Hinc

Symma

Symmachus vertit: *quis lugebit cum ea:* Septuaginta, *quis gemet eam*; Chaldæus *quis condolebit illi.* Et quamuis in Hebræo non habeatur caput, sed D. Hieronymus dicit se apposuisse, vt sensus manifestior fieret: subintelligitur enim: Nam in Hebræo est, *quis mouebit*, subaudi caput.

6 Causam autem harum locutionum eam esse puto, quòd quemadmodum Physiognomi dicunt totum hominem in oculis esse, & totum animum in facie, sic quoque hoc ipsum de capite posse dici videtur, cuius versatio variúsque motus internos animi motus produnt atque significant, adeò vt Plato in Timæo diuinissimum membrum appellaret, & totum ferè hominem cui reliqua membra subseruiant: Et nullum capitis motum vult leuem esse, aut suo mysterio vacare. *Est*, inquit, *membrum corporis diuinissimum, reliquorúmque membrorum princeps cui totum corpus connexum Dij subesse, & parere iusserunt: excogitauerunt enim motuum omnium, quodcumque esse queat, compos id fore*, &c. Certè Quintilianus lib. 11. de Pronuntiatione differens, non longè ab hoc discedit: *Præcipuum*, inquit, *in actione sicut in corpore ipso caput est: Nam & deiecto humilitas, & supino arrogantia, & in latus inclinato languor, & prædura ac rigente barbaria quædam mentis ostenditur.* hæc ille. Ergo cùm affectu copiam mouemur corde, cómouemur etiam capite: si vehementer aliquid placuisse velimus, annuimus toto capite, aut in vtramque aurem clausis oculis sublata facie molliter versamus: renuimus versando caput, comprimendo labia, cóntrahendo supercilia. Admiramur agitando, & erigendo subinde caput, apertis oculis subsannamus, oculis, labiis, barba, & toto capite malignè agitato; commiseremur & compatimur contorto capite atque demisso.

7 Significat præterea dictio Hebraica ראש Ros præcipuam amaritudinem in Aspide, fel seu bilem, & venenum, quia רוש Ros toxicum, & venenum designat: est enim ריש Res paupertas, egestas: quæ quidem dictio reperitur aliquando scripta cum א, vnde illud Deuteron. 29. vers. 18. *Ne fortè sit inter vos vir, aut mulier, familia, aut Tribus cuius cor auersum est hodie à Domino Deo nostro, vt vadat & seruiat diis illorum gentium, & sit inter vos radix germinans fel & amaritudinem*, vbi pro, *fel*, est in Hebraico ראש Ros, id est, venenum; per hoc autem grauissima peccata intelligit, quæ Deum amarum, & iratum reddunt, cuiusmodi sunt Idololatria, & alia: ad quem locum alludit Petrus Actorum 8. alloquens Simonem Magum, cùm ait: *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.* Item ad Hebræos 12. vers. 15. vbi sic habet Apostolus: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi, ne quis fornicator, aut prophanus.* Nam & Psal. 68. vers. 22. vbi legimus: *Et dederunt in escam meam fel, & potauerunt me aceto.* Pro, *fel*, in Hebraico est ראש Ros, id est, toxicum, quod per fel significatur; id autem postea impletum est in passione Christi, quando fel cum aceto mixtum est quod recusauit, sciens voluntatem Patris esse, vt crucis morte non veneno perimeretur. Idem significat ראש Ros Hieremiæ 8. vbi legimus: *Quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis: peccauimus enim Domino*, & Threno. 3. vers. 19. *Recordare paupertatis, & transgressionis meæ; Absynthij & fellis.* Deuter. quoque 32. *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insa-*

insatiabile. D. verò Hieronymus sæpius pro toxico vertit, *fel*, ipsum venenum intelligens.

Ex his facilè intelligimus quid significet scriptura Threno.3.vers.5. *Ædificauit in gyro meo, & circundedit me felle & labore*, vbi pro felle ראש Ros scriptum legimus, id est, circundederunt me veneno, vt me perimerent. Etsi non desint qui hoc loco ראש Ros caput ipsum significare putent, & interpretentur: *Et circundedit caput meum labore.* Porrò Ezechiel. 40. vers. 1. exordium anni dicitur ראש Ros, ad verbum, caput anni. Genes. autem 2. vers. 10. fluuius qui egrediebatur de loco voluptatis dicitur diuidi in quatuor capita ראשים Rasim, id est, principia diuidebatur in quatuor principia: res enim quæ ab vno diuiduntur, vocantur capita, id est, principia, quia vnumquodque est caput sibi ipsi, postquam diuisum est, sensus ergo est: *Diuisus est in quatuor flumina*, siue, *in quatuor capita fluminum.* 8

CALVARIA. 9

Caluaria est totum caput carne nudum, & tam de brutis quàm de hominibus dicitur, à Græcis βρέγμα vocatur. Eusthatius inquit hanc partem ita vocari, quòd in infantibus sit non solùm tenera, sed & valde humida, vt videri quodammodo possit βρέχεσθαι, id est, madefacta esse: est enim βρέχω idem quod madefacio. Voce verò Hebraica in sacris literis dicitur גלגלת Gulgoleth ab rotunditatem: est enim גלל Galal reuoluere. Hinc Matth. 27. Golgotha, lingua Syriaca; legendum autem esset Golgoltha Hebraica.

VERTEX.

Vertex capitis summa pars dicitur propter flexum capillorum, siue quia ad occipitium in decliue vertitur: De quo Apuleius de dogmate Platonis: *Ipsius capitis*, inquit, *verticem specta, tenui cute contectum capillisque hirsutum aduersus vim frigoris & caloris.* Plinius lib.11.cap.37. binos hominum aliquibus vertices dat, cùm ait: vertices bini homini tantùm aliquibus capitis ossa plana, ab huius similitudine, quod in montibus eminentissimum est, vertex appellatur. Item altissimæ partes cœli, quas Greci πόλους vocant, dicuntur vertices, quòd circa hos mundus rotetur. Vocatur autem in sacris literis capitis vertex voce Hebraica קדקד Kodkod, id est, summa pars capitis, in qua capilli diuiduntur, parte vna ad dexteram, altera ad sinistram tendente; est autem קדד Kadad adorare, incuruare se, humiliare verticem seu inclinare. Hinc ergo ab inclinatione vertex קדקד Kodkod dicitur. Sic intelligendus locus ille Psalm.67. vers.22. *Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis*, in Hebraico est, *verticem capilli*, pro capillorum, id est, diuidentem capillos ad dexteram, & ad sinistram. 10

FRONS.

Frons ea pars capitis est, quæ est supra supercilia, & inter tempora, in qua maximè lucet verecundia; vnde impudentes frontem perfricuisse dicuntur. Frons autem à ferendo dicitur, vt quibusdam placet, quòd indicia animi præseferat. A dextra verò, & sinistra temporibus, à superiori capillorum radice: ab inferiori verò parte superciliis terminata. Hinc factum est, vt frons accipiatur pro vultu, & pro animi nostri affectu, quem ex fronte perspicimus frō- 11

tem explicare seu exporrigere dicimur, cùm hilarescimus, contrahere cùm ringimur, hoc est, vbi quid molestum est: frons enim, inquit Plinius lib. 11. homini tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index est. Dicitur frons etiam de rebus inanimatis pro principio, vel anteriore parte cuiusque rei.

12 In sacris verò literis frons Hebraica voce dicitur מצח Mesach, ab eo quòd sit in loco eminenti & alto, & quod glabra, & clara sit, & depilata. Nam ex צחח Sachach verbo duplicato צחיח Sechiach locum eleuatum significat, & צח Sach rem mundam, & nitentem designat, quæ planè fronti competere videntur. Hinc 1. Reg. 17. vers. 6. מצחה Mischa ocream denotat, vbi legimus: *Et ocreas æreas habebat in cruribus, & clypeus æreus tegebat humeros eius.* Quidam, *laminam*, interpretantur sic dictam, quòd sit instar frontis: sed D. Hieronymus, *ocreas*, interpretatur. Dicitur autem sic ocrea velut frons arte facta, quòd sit, vt quidam volunt, polita, & in anteriore parte crurum. Quidã dicunt fuisse ad similitudinem frontalis, quod puellæ gestant in frontibus: genus fuit armaturæ. Denique cùm frons pudoris, verecundiæ, & modestiæ theatrum sit, hæc si absint, impudentiæ atque improbitatis maximæ argumentum sumitur. Hinc Ezechiel. 3. *Domus Israël attrita fronte est.* Aliquando autem in vitio, aliquando in virtute, & constantia frontis durities ponitur, vt: *Ecce dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Perpetuus præterea locus professionis, & studij indicandi in fronte est frequentissimè, vt Apocal. 9. *Donec signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum,* & Apocal. 7. *Ne læderent, &c. Nisi tantùm homines, qui non haberent signum Dei in frontibus suis.*

AVRIS.

13 Auris dicit ipsum audiendi sensum, aut potius instrumentum: Auricula verò partem illam extrinsecùs apparentem ac prominentem, quæ sit velut aurium custodia; Auris tamen sæpe pro auricula ponitur. Est ergo auris pars capitis, qua vocem accipimus & haurimus, dicitúrque ab hauriendo, aspiratione detracta quòd vocem accipiat, & quasi haurire videatur. Alij à Græco αὐδὴ deduci malunt, quod vocem significat, quæ aurium solo instrumento percipitur, vel certè à verbo audio, vt aures dictæ sint quasi audes; intelliguntur autem hoc nomine tam cartilagines foris prominentes, quàm ipsa foramina. Aristoteles lib. 1. de historia animalium dicit aures homini tantùm immobiles, cap. verò 11. aures mediocres notam optimorum morum habere: aures autem magnas & arrectas, stultitiæ indices esse.

14 Vocatur autem Auris voce Hebraica אזן Ozen; quidã ad זנה Zana reuocant: est enim זנה Zana fornicari, prostare. Hinc prouenit verbum אזן Izen, quod duo significat, nempe auscultare, siue audiendo perpendere & inuestigare, & etiam librare, siue ponderare. Quo verbo vtitur Eccl. ca. 12. ver. 10 vbi legimus: *Et enarrauit quæ fecerat, & inuestigans composuit parabolas*, vbi pro, *enarrauit*, in Hebraico est אזן Izen, pro quo quidam interpretantur: *auscultauit quæ fecerat*, siue audiendo perpendit. Alij *librauit*, siue, *ponderauit quæ fecerat*: sed longè melius reddidit D. Hieronymus, *enarrauit quæ fecerat*: id enim significat אזן Izen, ad verbum, auscultare fecit: Nam qui enarrat facit auscultare. Porrò tenerum quod est in extremo auris, dicitur Hebraicè תנוך Tenuc. Quia

verò

verò שמע Sama eſt audire: Hinc fit, vt dictio שמע Sema auditum ſignificet. Idem ſignificat יקהה Iakaa: Nam יקה Iaka eſt audire, obtemperare.

Denique vox originalis Hebraica מאזנים Mosnaiim, ſignificans ſtaterã, 15
ab aure quæ אזן Ozen dicitur, videtur deducta: eſt enim inter aures velut inter lances media trutina rationis & iudicij, quod in capite peculiari ratione reſidet, propter internos ſenſus, rationi, & iudicio miniſtrantes. Sunt ergo duæ aures, non tam quòd multum audiendum ſit, quàm quod quæ audiuntur diligenti mentis trutina expendenda ſint, ideóque homini conceſſæ ſunt: neque enim omnes aures audiendi habent. Ideò Chriſtus Matth. 11. verſ. 15. *Qui habet aures audiendi audiat:* non enim omnes qui aures habent audiunt, ſed illi tantùm qui ea quæ in auribus ſonant, mente percipiunt. Quare Ioëlis cap. 1. *Audite*, inquit, *hæc ſenes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, ſi factum eſt iſtud in diebus veſtris*: vbi D. Hieronymus notat quod ſicut Propheta duobus hominum generibus loquitur, ita duobus verbis diuerſis inter ſe vtatur. Senibus dicit, *audite hæc*, habitoribus verò terræ: *auribus percipite omnes. Auditus enim*, inquit, *in ſcripturis ſanctis non eſt iſte qui in auribus reſonat, ſed qui corde percipitur, iuxta illud quod Dominus loquitur in Euangelio: qui habet aures audiendi audiat. Quod autem nos interpretati ſumus: auribus percipite, & apud Græcos, & apud Hebræos vnum verbum eſt: apud Græcos ἐνωτίσασθε, apud Hebræos* האזינו *Haazinv, quod propriè non corde ſed aure percipitur, & vt ſciamus ſacratiorem eſſe auditum, quàm id quod in auribus reſonat. Iſai. cap. 1. loquente diſcamus: Audi cœlum, & auribus percipe terra, qui ſenes ſunt, & cœleſtes audiant ſpiritualiter, qui habitant in terra appellantúrque terreni auribus percipiant, & hoc in omnibus ſcripturis notandum, vbi hæc duo verba iuncta ponuntur.* hæc D. Hieronymus.

Sic quoque aures aggrauare in ſacris literis dicitur, qui præ malitia, aut obſtinatione animi obedire non vult. Nam aggrauari, ſiue in grauari dicitur, quod pondere magno impeditur, & tenetur ne opus ſuum exerceat: ſic 2. Reg. 3. *Et pedes tui non ſunt compedibus aggrauati*; in quo ſenſu accipienda ſunt verba illa Iſaiæ 6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua*, & illa eiuſdem Iſaiæ 59. *Neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat aggrauari.* Itaque dicuntur aures, quia ipſum cor aggrauatur alicuius, & pertinaciter in propoſito malo permanet: ſicque aggrauari corda dicuntur, vt 1. Regum 6. *Quare*, inquit, *aggrauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum.* Quòd autem aggrauare aures ſit aggrauare cor, explicatur Zachariæ 7. verbis illis: *Auerterunt ſcapulas recedentes, & aures ſuas aggrauauerunt*; addit, *& cor ſuum vt adamantem poſuerunt.* Porrò illud etiam aduertendum eſt, in ſcripturis ſanctis ſæpe auditum, ſiue auditionem ſumi pro re audita: ſic Abacuch 3. *Domine audiui auditionem tuam, & timui*, id eſt, audiui verbum tuum quod locutus es, & Matth. 24. ait Chriſtus: *Audituri eſtis prælia, & opiniones præliorum*, in Græco eſt, *καὶ ἀκοὰς πολέμων, & auditiones præliorum.* In quo etiam ſenſu accipiendum eſt illud Nahum 3. *Peſſima eſt plaga tua, omnes qui audierunt auditionem tuam, compreſſerunt manum ſuper te*, id eſt, omnes qui audierunt quod de te narratur, hoc eſt, de excidio tuo; Quod D. Hieronymus ſic explicat: *Omnes qui Niniuem ſu-*

brutam, & Assyriorum regem superatum audierint. Eundem sensum habet locus ille Abdiæ 1. *Hæc dicit Dominus: auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit.*

CERVIX.

17 Ceruix posterior colli pars est, quæ ab occipitio incipit, & tendit ad spinam; quæ autem anterior est, gula dicitur. Ceruicis autem hæc commoditas est, vt ad dextram sinistrámve prorsus retrorsum vertatur: constat enim ex ossibus orbiculatim vertebratis, ex quibus fit ad circunspectum facilis. Hinc est quod qui nec flecti nec cogi possunt, ceruicis duræ perhibeantur; vnde dicimus hominem duræ ceruicis, quasi indomabilem, siue inexorabilem, atque contumacem. Pars autem inter caput, & humeros collum dicitur: ceruix autem posterior pars colli est, in ea ferri solet onus & iugum: est autem collum pars hominis, ipsum caput sustentans, à colo colis dicta, quia hæc præcipua pars torquibus, & monilibus ornari consueuit. Appellatur autem ceruix Hebraica voce ערף Oreph; per ceruicem autẽ medulla è cerebro in spinam dorsi delata ossa rigat & humectat, vt è cœlo ros, & imber hæc inferiora. Hinc quidam putant tractam significationẽ à verbo ערף Araph, quod defluere, & stillare significat, sicut per ceruicem medulla è cerebro in spinam dorsi, & cætera deinceps ossa ad ea irriganda, & alenda defluit, túmque iam conuenit cum רעף Raaph, literis transpositis, quod propriè stillare designat & rorare, vt Hieronymus reddit Isaiæ 45. vers. 8.

18 Denique ex hac eadem dictione ערף Oreph, quæ ceruicem significat nascitur alia significatio eiusdem verbi ערף Araph, nempe deceruicare: sic enim legimus Exod. 13. vers. 13. *Primogenitum Asini mutabis oue: quod si non redemeris, interficies*; vbi pro, *interficies*, est in Hebraico וערפתו Araphto ad verbum, *deceruicabis illud*, id est, torquebis eius collum, siue torquendo ceruicem franges: est enim propriè secare ceruicem animanti, gladio vel securi percutere ex aduerso ceruicis, vel alio quouis modo ceruicem frangere. Digni autem redargutione sunt qui ex vulgari significatione, quam apud doctores Hebræos hoc verbum habet, quod cognoscere apud eos significat, sic locum hunc exponunt: *Notabis illud, seu facies in eo signum ad cognoscendum quòd sit primogenitum*: quid enim, inquiunt, peccauit aut commeruit primogenitus Asini, vt interficiatur. Respondemus cùm omne primogenitum quod, vel ad altare non accedebat, vel non redimebatur, reum esset mortis (sunt enim mortua omnia primogenita Ægypti, tam in hominibus, quàm in bestiis) optimo iure interficiebantur: Nec enim primogenita à morte liberauit Dominus, nisi vt sancta essent, & parata ad ministerium suum, ideò Hieronymus transtulit: *si non redemeris, interficies.* Transfertur etiam ad alias res quæ ceruice carent, & tunc significat demoliri & destruere, vt Oseæ 10. vers. 2. vbi legimus: *Ipse confringet simulachra eorum, & depopulabit aras eorum.* Nam pro, *depopulabit*, quod transfert Hieronymus, in Hebraico est יערוף Iaarop diruet, destruet aras, altaria eorum confringet, ad verbum, deceruicabit, eleganti metaphora, quòd & altaria suas ceruices habere videantur & cornua.

Collvm.

CAPITIS PARS SVPREMA.

COLLVM.

Collum proxima capiti pars, cætera membra cum capite coniungit, & libertatem vel seruitutem indicat: ideóque vario rerum genere vel ornatur, vel impeditur, vt torque, vel iugo, atque ornamentis appendendis commodum est, amplexibus etiam necessariorum aptatur, vt Gen. 33. *Et amplexatus est eum, & astringens collum eius*, & rursum, *Collo torquem auream circumposuit*, Iudicum quoque 5. *& supellex varia ad ornandum colla congerit.* Denique in seruitutis & libertatis sermonibus mentio colli fit, vt Deut. 33. *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis*, & Iosue 10. *Ponite pedes vestros super colla regum istorum.* Superbiæ autem, & arrogantiæ atque fraternitatis est signum collum extentum, ad quod Esaias cap. 3. Israëlis filias exprobrat: vrbem etiam aliquam regiam, & præstantiorem cæteris collum significat, vt Isaiæ 8. *& ibit per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet*, & rursum spiritum eius vsque ad collum eius. Idem de ceruice obseruari potest in libertatis, & seruitutis, atque etiam contumaciæ significationibus. Appellatur autem collum in sacris literis צואר SAVAR: sic autem à seruitute quæ in collo est, dicitur: Nam צור SOR petram, & metaphoricè fortitudinem significat: collo enim animalium robur, & fortitudo conspicitur, ad ferenda onera. 17

Caput XIII. DE OCVLO PARTE DISSIMILARI CAPITIS.

HActenus de capite parte suprema substantiæ sensitiuæ egi cùm autem facies pars sit capitis, faciei autem partes nobiliores, & præcipuæ sint oculi, multáque occurrant in sacris literis ad oculos spectantia, agemus hoc capite de oculo, & his quæ ad oculum pertinere videbuntur.

OCVLVS.

Sunt oculi pars corporis præstantissima, in quibus (vt Albertus Magnus inquit) maxima indicia amoris & odij existunt. Sunt enim veri cordis nuntij, in quibus animus inhabitat. Marcus Tullius 2. de natura Deorum: *Oculi*, inquit, *tanquam speculatores altissimum locum obtinent, ex quo plurima conspicientes funguntur suo munere.* Dictus autem oculus ab oculando, quòd superciliorum teguminibus oculatur: latent enim oculi sub ciliis & genis. Hinc Lactantius libro de opific. *Vt igitur*, inquit, *oculi munitiores sint ab iniuria ciliorum teguminibus oculuit*; vnde oculos dictos Varroni placet: candidum autem oculi, vt scribit Aristoteles lib. 1. de historia animalium cap. 10. magna ex parte simile in omnibus est: at quod nigrum vocatur variat: aliis enim atrum: aliis fuluum: aliis caprinum, quod morum optimorum indicium est, & ad cernendi claritatem primatum optinet. Sunt autem oculorum alij grandiores, alij parui, alij medij qui optimi habentur. Item alij nimium prominentes, alij conditi, alij modicè siti, qui conditi sunt clarissimè cernere in genere quoque brutorum animalium possunt. Aristoteles quoque idem lib. 2. de partibus animalium cap. 13. *Genus*, inquit, *hominum, auium, quadrupedum, tam viuiparum quàm ouiparum oculos, visus custodiendi gratia integunt, sed variè: quæ enim animal pariunt geminam habent palpebram, & conniuere vtraque solent. Aues tam leuiores, quàm grauiores, & quadrupedes ouipara palpebra inferiori conniuent.* 1

2 Plato verò in Timæo, de fabrica humani corporis loquens: *Oculos*, inquit, *participes factos illius ignis qui non vrit, sed gratam lucem diémque mundo affert, solarem ignem denotat:nam intimum corporis nostri ignem*,inquit, *huius cœlestis germanum per hanc partem, sed præcipuè per pupillam emanare Dij iusserunt: non tamen crassiorem illum & turbulentum,sed defecaciorem,& puriorem. Idcircò cùm diei lumen se huic nostro coniungit in complexu & cohærentia duarum rerum tam cognatarum eiusdémque naturæ fit visio.* Illa quæstio non est hoc loco tractanda, fiatne visio emisso in res ab oculo radio, an è rebus ad oculum recepto. Plato exire vult radium ab oculo,cuius sententiam Aristoteles in libello de Sensoriis refellit; in problematicis verò videtur probare.Stoici ad res ire radios dicunt,quos D.Augustinus in opere de Trinitate sequutus est, & multi Peripateticorum. Alexander Aphrodisius prodire ab oculis spiritus censet: alij ad oculos potius tendere, vt Plinius,Hali Arabs egredi & regredi ab oculo ad oculum species incredibili celeritate arbitratur. Recentiores Peripatetici sequuti Guilielmum Ochamum, & Durandum Portianum, nullas species hinc vel inde relinqui: Plato verò emittere aliquid oculum,& recipere vult.

3 Ab antiquis autem per apertum oculum vita significari solita est, veluti per eundem clausum ipsa mors designari consueuit.Hinc apud Homerum toties intueri solem pro viuere vsurpatur. Hinc etiam claudi lumina apud eundem, neque non apud nostros pro mori: oculos enim morientibus operire consuetum est.Præterea est sedes amoris oculus,præcipuè quòd per eum,tanquam per fenestram animus spectra & imagines concipiat,& interiùs admittat,quibus perculsus incidit in rei spectandæ desiderium. D. Basilius cap. 1. in Isaiam: *Inter sensuum nostrorum organa*, inquit, *vnum illud eorum quæ sensui subiacent,euidentissimam obtinet cognitionem & intelligentiam,nempe visus.* Denique hinc factum est, vt eorum quæ veritate nituntur speculatio, visio appellata sit, ob euidentiam & ratam certitudinem: eam ob rem vocabatur Propheta videns, & D. Hieronymus in Ieremiam cap. 19. *Vult*, inquit, *scriptura diuina, non solùm auribus doceri populum,sed & oculis: magis enim mente retinetur quod visu quàm quod auditu ad animum peruenit.* In quo videtur D. Hieronymus alludere ad Horatianum illud in arte poëtica:

Segnius irritant animum demissa per aurem,
quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

4 Prouerbium autem illud quod vsurpat D. Hieronymus in præfatione ad Cromantium in librum Paralipomenon;nempe *Cornicum oculos configere*,de iis dicitur,qui in re aliqua adeò doctè & ingeniosè scribunt,vt cæteris nihil amplius relinquant.Idem est enim quod callidos & versutos homines versutia & calliditate supplantare, & veteratores veteratoria fraude decipere. Cicero pro Murena: *Inuentus est*, inquit, *scriba quidam Gneius Flauius qui cornicum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, & ab ipsis cautis Iurisconsultis eorum sententiam corupilarit.* Cornicum autem configere oculos idem est, quod oculatissimis contradicendi occasionem tollere,& eorum configere oculos, vt amplius quod reprehendant non videant. Hoc ipsum præstitit D. Hierony

O C V L V S.

Hieronymus libros ſacros ex hebræo in latinum vertendo: ita enim Iudæorum confixit oculos, vt ipſi quomodo nobis illuderent non haberent.

Vocatur autem oculus in ſacris literis voce hebraica עין Aiin quæ vox fontem etiam ſignificat: eſt enim fons quaſi terræ oculus: ſicut enim ex oculo lacrymæ emanant, ſic ex fonte aqua: nam Geneſ. 16. verſ. 7. fons aquarum dicitur עין ה ערים En ha araiim: ſic enim legimus de Agar ancilla Saræ: *Cúmque inueniſſet eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in ſolitudine.* Significat etiam aliquando ſuperficiem: nam Exodi 10. verſ. 15. עין הערץ En ha eres ad verbum, *oculus terræ*, vertimus, id eſt, ſuperficies terræ, ſic enim transfert D. Hieronymus: *operuerúntque vniuerſam ſuperficiem terræ*, nempe locuſtæ vaſtantes omnia. Sic מעין Maian, id eſt, fons, ab עין Aiin, id eſt, oculo deducitur, litera ſeruili adiuncta. Porrò tenuiſſima membrana oculi appellatur דך Dok à tenuitate: eſt enim דדך Dadak attenuare. 5

6 Aliquando autem oculi in ſacris literis per faciem ſignificantur: facies enim ſæpe aſpectum ſignificat, & pro oculis vſurpatur: ſicque facies ad expoſitionem oculorum ponitur Iſaiæ 5. *Væ*, inquit, *qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*: hebraicè, *& coram facie prudentes*, quod magis explicatur Pſalm. 30. *proiectus ſum à facie oculorum tuorum.* In quo ſenſu accipiendum eſt quod dicitur Iob 16. verſ. 17. *Facies mea intumuit à fletu, & palpebræ meæ caligauerunt.* Facies mea, id eſt, oculi mei intumuerunt, opportunè autem hæc intumeſcentia & conturbatio oculis tribuitur, tanquam fonti clariſſimo & limpidiſſimo, quem ſiquis commoueat, & ſubſidentem luctû excitet, lutulentum & inquinatum efficit. Ideò oculum turbari interdum occurrit in ſacris literis: oculorum enim nomen idem eſſe quod fontis, apertè conſtat ex Deut. 33. *Oculus*, inquit, *Iacob in terra frumenti & vini*, vbi Septuaginta, & Complutenſis legunt: *fons Iacob*: nam Iſraëlitæ ex Iacob tanquam riuus ex fonte profluxerunt copioſa ſobole, & numeroſa poſteritate, quaſi impetu quodam ſcaturientis aquæ, iuxta illud Iſaiæ 27. *qui egrediuntur impetu à Iacob.* Oculi igitur qui ſplendidi limpidíque fontes ſunt, ſi vim humoris ex internis partibus expreſſi, & ab omni ægritudine & perturbatione concitati concipiant, turgêt, turbantur, tument, & æſtuant inſtar turbidi & æſtuantis maris; vnde illa ſuæ ægritudinis amplificatio Dauidis Pſalm. 6. *Turbatus eſt à furore oculus meus*, id eſt, præ copia, aut riuulis defluentium lacrymarum, & Pſalm. 30. *Conturbatus eſt in ira oculus meus*: diximus enim oculum eſſe veluti fontem: ſicut enim in fonte aqua, ſic in oculo humor aqueus chryſtallinus reperitur; atque illa ſolet eſſe phyſiognomorum de oculis doctrina, & humidi ſint non ſicci, & natare videantur in ſuo orbe, tanquam aqua in vaſe, ea videlicet eſt optima illorum diſpoſitio: nam vt Ariſtoteles docuit lib. de ſenſu & ſenſibili, ad aquam referuntur, & pupilla aquea eſt: tum etiam oculus frigidus & humidus eſt, vt idē docuit 2. de generatione animalium cap. 4. Quare Medici vt Hippocrates de morb. popular. lib. 6. ſection. 1. malum dicunt, cùm oculus increſcens fuerit velut ſpuma, atque etiam obſcuratus certè à ſplendore, & ab humiditate illa humoris triplicis aquei, vitrei, criſtallini.

Illud verò quod legimus Gen. 20. verſ. 16. *Hoc erit tibi in velamentum oculo-* 7

rum

OCVLVS.

rum, sic quidam exponunt, *Vt emas tibi operimentum pulcherrimum oculatum*, id est, plenum oculis. Septuaginta verò: *Hæc tibi erunt in pretium faciei tuæ*. Chaldæus autem: *in velamen amoris*, præterea Gen. 38. verſ. 21. legimus: *Vbi eſt mulier quæ ſedebat in biuio*: pro biuio in hebraico eſt ב עינים BE ENAIM, ad verbum, in oculis: duæ enim viæ quæ ex vna conſurgunt, ſiue diuiduntur, ſunt quaſi duo oculi. Quidam putauerunt eſſe nomen loci, in quo ſedebat Thamar. Alij interpretantur: *inter duos fontes*. Sunt qui exponunt, *in oculis*, id eſt, in manifeſto, & publico, quaſi expoſitā oculis omnium, vt eò loco dicat על ה דרך AL HA DEDEC, iuxta viam, & paulò ante in oſtio oculorum qui erant ad viam. Et Numer. 10. verſ. 31. legimus: *Noli nos relinquere: tu enim noſti in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter*, pro ductor noſter habes in hebraico לעינים LEENAIM, ad verbum, *Eris nobis vice oculorum*. Pro oculis, quaſi dicat: vt doceas nos viam bonam, ſicut oculi qui docent hominem viam ſuam, vel eris nobis præ oculis, quia videbimus te iugiter, & poterimus tibi bonum retribuere. Eundem ſenſum reddit D. Hieronymus, cum ſic dicit: *Eris doctor noſter*.

8 Notandum autem eſt quod iuxta Septuaginta legimus Pſalm. 72. verſ. 7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*: nam pro iniquitas eorum, in hebraico eſt: עינימו ENEMO *oculi eorum*, ſed Septuaginta legerunt עוונמו AVONEMO. Nam עון AVON iniquitatem ſignificat: עין AIIN verò oculum. Legerunt ergo Septuaginta literam ו, pro litera י. D. verò Hieronymus longè aliter legit quàm Septuaginta, quare interpretatur oculos, *Proceſſerunt*, inquit, *à pinguedine oculi eorum, tranſierunt cogitationes cordis*. Chaldæus verò Paraphraſtes: *Mutata eſt ob pinguedinem ſimilitudo vultus eorum, progreſſa ruga eorum, cooperuerunt tabulas cordis eorum*. In aliquibus exemplaribus legitur ſine ſecundo Iod עינמו ENEMO. Sic legerunt Septuaginta: *Egreſſi ergo ſunt oculi*, id eſt, vterque oculus; vel, *egreſſus eſt*, pro *egreſſi ſunt*. Non defuerunt qui pro aſpectu & colore ponerent, & *exire* ſiue *egredi*, pro ſplendere, vt vbi ſol exiiſſe dicitur ſuper terram, vt ſit ſenſus: eorum vultum & aſpectum ſplendeſcere & nitere præ pinguedine.

PVPILLA.

9 Pupilla eſt in medio oculi circulus tunicæ, quæ ῥαγοειδὴς à græcis dicitur, de qua Plinius lib. 11. cap. 37. *Media*, inquit, *oculorum cornea feneſtrauit pupilla, cuius anguſtiæ non ſinunt vagari in certam aciem, & veluti canali dirigunt, obiterque incidentia facilè declinant. Aliis nigra, aliis atra, aliis rubra, aliis glauci coloris orbibus circundatis, vt habili miſtura accipiatur, circumiecto candore lux, & temperato repercuſſa non obſtrepat, adeòque iis abſoluta vis, vt tam parua illa pupilla totam imaginem reddat hominis: eâque cauſa eſt, vt plerique alitum è membris hominum oculos potiſſimum appetant, quod effigiem ſuam in iis cernentes velut ad cognata deſideria ſua tendunt*. hactenus Plinius. Cicero verò de natura Deorum: *Acies*, inquit, *ipſa quà cernimus, quæ pupilla vocatur, ita parua eſt, vt ea quæ nocere poſſunt facilè vitet*. Plinius verò lib. 28. cap. 6. *Augurium*, inquit, *ex homine ipſo eſt, non timendi mortem in ægritudine, quam diu oculorum pupillæ imaginem reddunt*.

10 In ſacris autẽ literis pupilla nomen accipit ab imagine quam reddit, vocatur enim hebraica voce אישון ISON quòd appareat, ſeu conſpiciatur in illa figura,

gura, seu imago איש Is, id est, viri, & adiungitur ei Nun diminutiuum, quòd imago illa viri in oculo apparens sit parua. Alij putant sic appellatam pupillam quòd nigra sit: nam vox ista significat quoque obscuritatem noctis, & nigredinem. Sunt ergo qui ex nigra oculi pupilla lucem, & videndi facultatem produci putent Dei beneficio summo, & admirando opere, vt ille ex tenebris lucem produxit. Hinc pupillam noctis & tenebrarum dici putant Prouerb. 7. & 20. quasi nigerrimam noctem, nigerrimas & densissimas tenebras, quòd tenebræ nigrore pupillam oculi referant: sic etiam legimus Prouerb. 7. vers. 9. *Qui transit plateas iuxta angustum, & prope viam domus illius graditur in obscuro, aduesperascente die in noctis tenebris & caligine*. nam pro noctis tenebris, in hebraico est באישון לילה Be ison laiela; ad verbum, *in pupilla noctis*, id est, in pupilla priuata lumine, nempe in tenebris. Chaldæus Paraphrastes, *in tenebris noctis*, transtulit, sicut D. Hieronymus. Septuaginta verò, *silentium nocturnum*, interpretati sunt.

Prouerb quoque 20. vers. 20. legimus: *Qui maledixerit patri suo & matri, extinguetur lucerna eius in mediis tenebris*, vbi in hebraico pro in mediis tenebris, habes באישון חשך Be ison chosec, ad verbum, *in pupilla tenebrarum*, Chaldæus Paraphrastes transfert, *in caligine tenebrarum*, Septuaginta verò *pupillæ oculorum eius videbunt tenebras*. Itaque his duobus locis sacra scriptura nigredinem noctis, siue tenebrarum vocat אישון Ison *pupillam*, id est, nigredinem, obscuritatem. Quare putant huc allusisse Isaiam cap. 29. vers. 18. quando ait: *Et audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine verba cæcorum videbunt*, ac si dicat, de caligine illa quæ in pupilla conspicitur, oculi cæcorum videbunt. Huc etiam arbitrantur alludere verba illa Christi Matth. 6. vers. 22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit: si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Eo quoque respexit Paulus 2. Cor. 4. vers. 6. *Quoniam Deus*, inquit, *qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* De tenebris autem lux splendescere videtur, cùm de nigra & tenebrosa pupilla lux prodit. Huc etiam respexisse videtur Petrus 2. epist. cap. 1. vers. 19. verbis illis: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus nostris*, videtur enim pupilla cùm nigra sit, lucere in obscuro & caliginoso loco oculi. 11

Pupillam quoque in sacris literis vocari בבה Baba hebraica voce, & etiã בת Bath legimus Zachar. 2. & Thren. 2. Est itaque בבת Babath in regimine nigrum oculi, in quo apparet siue conspicitur imago siue pupilla: absolutum autem est בבה Baba, de qua pupilla Zachar. 2. vers. 8. sic habet scriptura: *Qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei*, in hebraico est בבבת Bebabath. Sunt qui putent vitiatam esse lectionem, cùm legimus pupillam oculi mei, legendúmque *pupillam oculi sui*, vel *eius*, eò quòd constet ex hebræo & græco, atque Chaldæo, vt ex D. Hieronymo, & ex multis latinis exemplaribus, Complutensi regia, & aliis: reddúntque hunc sensum: *Qui vobis nocet, sibi potius nocet quàm vobis, & pupillam oculi sui tangit, quoniam grauiter à Deo punietur.* 12

O C V L V S.

hunc sensum reddunt Cyrillus & Vatablus. Hieronymus verò & Theodoretus,& alij plures sic locum hunc interpretantur: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi eius*, id est, Dei, quasi dicat: vehementissimè Deum offendit: pupillæ enim similitudine res vnicè diligenda, ac summa cura seruanda intelligitur, vt Psal. 16. vers. 8. *Custodi me vt pupillam oculi*, vbi pupilla בת BATH appellatur: legimus enim in hebraico אישון בת עין ISON BETH AIIN, ad verbum, *pupillam filiam oculi*, dicitur autem filia oculi, quòd sit in oculo, vel intra oculum, vel quòd tenera vt filia, id est, puella. Forsitan ex hac ratione latini pupillam dixêre. Videtur autem Zacharias alludere ad illud Deut. 32. *Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui*; tangere autem est vel minimum lædere. Porrò quamuis huiusmodi lectio hebræo codici, græco, atque Chaldæo quadret, dici non potest non esse vitiatam: nam in editione Sistina iam recepta legimus: *tangit pupillam oculi mei* nec obstat quod in hebraico est ענו ENO nam facilè scribæ potuerunt literam Iod commutare in literam Vau. Itaque in hebraico legendum עני ENI *oculi mei*, restituendúsque ita locus ex nostra vulgata.

P A L P E B R Æ.

13 Palpebræ dicuntur pili extremitatem genarum ambientes, genæ autem teste Plinio lib. 11. cap. 37. dicuntur geminæ illæ pelliculæ, quibus oculi teguntur. Cilia autem dicuntur genarum extremitates, quibus pili adhærent, quos modò palpebras vocari diximus. Dictæ autem putantur palpebræ à palpitando, id est, tremendo, vel à palpando, id est, prætentando: ob id enim natura palpebras homini dedit, vt vallum quoddam visus essent, & prominens munimentum contra occurrentia animalia, aut alia fortuitò incidentia. Cicero autem palpebras aliquoties posuisse videtur pro ipsis genis, hoc est, folliculis oculum operientibus: sic enim habet 2. de natura Deorum, *munitæ sunt palpebræ tanquam vallo pilorum*. Dicitur autem palpebra à græcis βλέφαρον, significatur autem hac voce pellis oculis obducta, & hos tegens, quæ & κάλυμμα vocatur. Marcellus autem in Dioscoridem lib. 1. βλέφαρα exponit *cilia*, vtrinque oculum in summo & in occursu noxæ alicuius claudentia. Sic Gorreus ex Plinio, *genas* etiam interpretatur, dicens, partes esse membranosas pilis ornatas, suprà infráque oculos ambientes & claudentes. Dictum volunt hoc vocabulum quasi τοῦ βλέποντος φάγος; vnde à Poëta quodam græco non illepidè ὄμμα τὸ φῦλλον appellatur, perinde ac si oculi folium diceres, & à Cicerone *tegumentum oculorum*.

14 In sacris literis palpebræ hebraica voce עפעפים APHAPHAIM vocantur. Significat etiam hæc vox pupillam oculi, & inde fulgorem & claritatem. Dicuntur autem sic à motu & vibratione: est enim עוף VPH volare, & celerem in aëre agitationem alarum remigio, id est, volatu, vnde ad radiorum in aurora promicationem transfertur dictio hæc, quæ palpebras significat, vt Iob 3. vers. 9. sic enim habes: *Obtenebrentur stellæ caligine eius, expectet lucem & non videat, nec ortum surgentis auroræ*, vbi עפעפי שחר APHAPHE SACHAR, id est, palpebræ vertit D. Hieronymus: *ortum surgentis auroræ*, nempe fulgoris auroræ, seu luciferi. Sic quoque Psalm. 10. vers. 4. palpebræ pupillam ipsam oculi significant,

OCVLVS.

cant, vbi legimus: *Oculi eius in pauperem respiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominũ*: palpebræ; id est, pupillæ oculi eius, interrogant filios hominum, & Iere. 9. vers. 18. *Deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis*: id est, pupillæ oculi nostri: sicut etiam Psalm. 131. vers. 4. *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem*. At verò ibi legimus Prouerb. 6. vers. 25. *Ne concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius*: pro nutibus illius in hebraico est בעפעפיה BE APHAPHETH, ad verbum, *palpebris eius*. Alij vertunt *splendoribus*, siue *luminibus eius*. Nam & Iob 41 vers. 9. splendor auroræ vocantur palpebræ diluculi, cùm legimus: *sternutatio eius: splendor ignis oculi eius, vt palpebræ diluculi*, id est, splendoris diluculi. Præter hoc nomen עפעפים APHAPHAIM, quod palpebras significare diximus, dictio etiam שמורות SEMOROTH, id est, custodiæ, palpebras quasi oculorum custodias indicare videtur: legimus enim iuxta Septuaginta: *Anticipauerunt vigilias oculi mei*, quod quidam interpretantur: *tenuisti* שמרות SEMVROTH, *vigilias, quasi custodias*, id est, palpebras, quæ sunt custodiæ oculorum meorum, vt iugiter vigilarent, & non dormirent, nec clauderentur.

Cap. XIIII. DE FACIE PARTE DISSIMILARI CORPORIS.

DE oculis parte præcipua faciei actum est præcedenti capite: iam videtur agendum de reliquis faciei partibus: continentur enim in facie nares, maxillæ, os, dentes, & alia huiusmodi quæ omnia passim occurrunt in sacris literis.

FACIES.

1 Facies pars anterior hominis est capitis humani. Facies autem quæ πρόσωπον dicitur, & vultus qui πρόσωπ differunt, quòd vultus voluntatis sit indicium quod motu animi in facie ostenditur; vnde Seruius, *Vultus*, inquit, *est voluntatis indicium qui pro voluntatis varietate mutatur. Constat autem facies fronte, oculis, naso, malis, ore, & mento, de qua Aristoteles de partibus animalium lib. 3. cap. 1. πρόσωπον, id est facies, nempe quod inter caput & collum hominis est, nomen à re ipsa accepisse videtur. Quod enim vnus animalium homo erectus est, solus prospicit anteuersus, vocémque anteuersus mittit*. hæc ille. Est denique facies in homine ea pars, in qua sunt omnes sensus, & qua homo maximè innotescit, & ab aliis discernitur. Aliquando autem facies sumitur pro vultu, & è diuerso, & vtrinque aliquando sumitur pro cognitione & pro conspectu & præsentia. Facies etiam interdum idem est quod è regione, vt Iudith 2. *Qui erant contra faciem deserti*. Interdum idẽ quod furor, vt Gen. 16. vers. 8. *A facie Sarai dominæ meæ ego fugi*, verba sunt Agar ancillæ Saræ. Aliquando est facies idem quod superficies, vt 1. Reg. 14. vers. 25. *Omne*, inquit, *terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri*. Nonnunquam etiam vindictam facies significat, vt Leuit. 20. vers. 3. *Ego*, inquit, *ponam faciem meam contra illum, succidámque eum de medio populi sui*.

2 Denique faciem intentionum omnium speculum vocat, Tertullianus libr. de resurrectione carnis. vocatur autem facies פנים PANIM voce hebraica, in eo quòd aspiciat huc & illuc: est enim פנה PANA aspicere, respicere. In sacra ergo scriptura sæpe aspectum, vel partem anteriorem rei cuiusuis, vel extre-

FACIES.

mam rerum speciem, habitum vel gestum vox ista significat. Cæterùm פנים Panim siue facies Dei, seu Domini in sacra scriptura, & variis locis eius bifariam dicitur, vel de diuina essentia, gloria, & maiestate, quæ solis Angelis, & beatis in alia vita cernitur, vel de externa forma quæ sese exhibet, & conspici vult in verbo suo, & Sacramentis, ac rebus externis, quibus olim sæpe suam præsentiam declarabat Israëlitis, & Patribus, vt in arca, propitiatorio, columna nubis, & aliis. Sic facies Dei dicitur Ecclesia Catholica, & locus vbi colitur Deus, ita Gen. 4. vers. 16. *Egressus est Caim à facie Domini, & habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Edem:* sic enim quidam interpretantur hunc locum fugisse à facie Domini, id est, à loco vbi erat verus Dei cultus, & hac ratione res externæ, vt sunt Sacramenta nouæ legis, in quibus vult esse præsens, conspici & coli dicuntur facies more sacræ scripturæ, vt ex multis locis constat.

3 Si autem faciei Dei verbum lucis adiungatur, & interim sine eo lætitia, significatur fauor, beneuolentia & benedictio, tam interna quàm externa, vt Psal. 4. vers. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo,* & Psalm. 23. vers. 6. *Hic accipiet benedictionem à Domino: hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob*, & Psalm. 26. vers. 8. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuã Domine requiram*, id est, beneuolentiam, fauorem, benedictionem. Quod de facie Dei dicimus, de vultu etiam intelligenam פנים Panim, id est, faciem, per vultum quandoque reddunt interpretes. Denique hoc nomen Panim, id est, facies, latissimè patet, vt etiam tribuatur cœlo & terræ in nouo Testamento, Lucæ 12. vers. 56. *Cùm videritis nubem orientem ab occasu, statim dicetis, nimbus venit, & ita fit, vt cùm Austrum flantem dicitis: quia æstus erit & fit. Hypocrytæ faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis.*

4 Nonnunquam in malum sumitur facies pro ira, vt & אף Aph, nasus, quòd naribus & facie conspiciatur, vt Psalm. 33. vers. 17. *Vultus autem Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum*, vultus Doimini, ira Domini, & Threnor. 4. vers. 16. *Facies Domini diuisit eos.* Ponere etiam faciem ad aliquid, est, animum ad aliquid agendum obfirmare: sic in Euangelio Lucæ 9. vers. 51. *Et factum est dum complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmauit vt iret in Hierusalem.* Panes etiam facierum dicuntur, qui coram Domino apponebantur in mensa, quæ erat in Sancto ante adytum Exodi 25. vers. 30. *Et panes super mensam meam pones propositionis in conspectu meo*, semper לחם פנים Lechem Panim. Panem facierum græci dixerunt προσώπως, vel προθέσεως, noster interpres, *propositionis*, sicut & hebraicè interdum ה מהרכה Ha maaraca, *ordinationis*, quòd in mensa ordinarentur. Significat etiam facie ad faciem mutuam inter præsentes actionem vt Exodi 33. vers. 11. *Loquebatur autem Moyses ad Dominum facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum,*

NARES.

5 Nares propriè sunt nasi latiores partes, in quibus sunt spiracula per quæ trahimus aërem, & odoramus. Nasus autem ea pars dicitur, quæ à superciliorum confinio oriens, & quasi æquali porrecta iugo vtramque aciem simul discernit & munit, & in nares ipsas terminatur. Dicuntur autem nares, vt inquit

quit Donatus, à gnaritate, quòd nos odoratu doceant præsto ac prope esse, quod adhuc oculi non vident, siue vt alij volunt, quòd per eas odor, vel spiritus nare non desinat, vel à Græco ῥῖνες, per inuersionem literarum, vt τέρυν, tener. Itaque nares duo sunt nasi spiramina, geminíque hiatus, quos veluti quidam paries per medium ductus interscepit. Nasus autē sagacitatem indicat, nasutique vocabulum Festo sagacem notat, quòd vniuscuiusque rei odorem statim exploret, & prius scilicet sentiat, quàm inspexerit: sic auditum ab audiendi curiositate: sic oculatum qui exprōpto oculi vtitur beneficio: sic cordatum qui corde præstat. Sacræ literæ odoratum sæpe Deo optimo maximo attribuunt. De naso quidem vnum tantum nunc succurrit, quod ad hanc rem facere videatur: Nares quidam in Deo perscrutationem illam significare, qua ipse corda hominum odoratur, eóque spectare illud ex libris Regum: *Ascendit fumus de naribus eius*: Alibíque in sacris literis odorari, cuius indicium, & instrumentum est nasus, placere significat. Itaque Noë sacrificante, odoratus est Dominus odorem suauitatis, hoc est, placuerunt illi sacra, quæ vir ille probus obtulerat, idcircò lex hominem qui, vel paruo, vel magno nimis, vel obtorto naso fuerit, ab altari sancto submouet, ne scilicet accedat ad ministerium eius.

In sacris autem literis nasus vocatur Hebraica voce אף Aph, quæ vox si- 5
gnificat quoque iram, furorem: sed propriè nares, vel nasum per quem flatus accipitur, & pro tota facie, quòd ea pars in facie præcipuè emineat; vnde sumitur etiam pro nasi sufflatione quæ in ira fit, id est, pro ira, respondet Græco θύμος, quod animi concitati impetum significat. Dicitur autem אף Aph naris, quòd in naso iræ signum appareat. Illud autem quod legimus 1. Regum 1. vers. 4. *Annæ autem dedit vnam partem tristis, quia Annam diligebat.* Pro eo quod D. Hieronymus transtulit *tristis*, in Hebraico est אפים Aphaiim, quod quidam interpretantur *honorabilem*, vel *conuenientem faciei*, id est, partem nobilem. Alij verò exponunt: *Annæ verò vnam tantùm partem, eo quòd esset sola absque liberis, cuius rei gratia admodum irascebatur*, nempe vir eius. Et nota אף Aph significare iram, & faciem, & nasum; & quoniam in naribus, siue facie apparet ira, siue tristitia, propterea noster interpres consultius interpretatus est אפים Aphaim *tristis*, & Psal. 35. vers. 15. dicitur Deus ארך אפים Erec aphaim, ad verbum, *longus iris*, id est, tardus ad iram, pro quo *patientem*, reddit D. Hieronymus, sic enim habet; *Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & verax*: patientem dicit, id est, tardum ad iram. Sic quoque Prouerbiorum 14. vers. 17. impatiens dicitur קצר אפים Kesar aphaiim, ad verbum, *breuis iris*, id est, festinans ad iram D. Hieronymus interpretatur *impatientem*; sic enim habet scriptura: *impatiens operabitur stultitiam, & vir versutus odiosus est.* Itaque per impatientem, siue breuem irarum significatur homo velox ad irascendum, & qui citò irascitur, qui ob id Græcis dicitur ὀξύθυμος, id est, homo velocis iræ.

Porrò nares à natura homini datæ sunt, vt magnam spiritus copiam inspi- 6
rantes, & expirantes cordi calido, & æstuanti subuenire commodè possint. Hinc legimus Genes. 2. vers. 7. *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit*

FACIES.

in faciem eius spiraculum vitæ, quasi dicat non solùm animam rationalē creauit, sed etiam spirauit per nares eius spiraculum, aut habitum vitæ: illa enim fuit aptissima, & naturalis dispositio, vt cùm nares sint instrumentum viuendi, id est, respirandi, primum illud signum infundendæ animæ, & viuificandi hominem daretur insufflando in illius nares spiritum respirationis. Quare iuxta hebræum Aquila, & Symmachus dixerunt: *in nasum eius*. Hinc & vita nempe חיים Chaiim in Hebræo dicitur, quasi secundùm formam dualem, quod duobus nasi foraminibus, quorum vtroque reciprocatur, anima respondere debeat; Quare non est apud Hebræos eadem quæ apud Latinos nasi significatio: Nam Latini ex magnitudine nasi subsannatorium hominis ingenium colligunt, vt Martialis dixit,

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus
Quantum noluerit ferre rogatus Athlas.

At Hebræi ex magnitudine nasi ingenium mite, & quòd non facilè exæstuet cor: ex breuitate autem animum facilè excandescentem, & pronum in iras, vt qui non habeat satis aperta foramina, quibus irati animi spiritus inflammatos distilare possit. Nam qui angustis naribus sunt, fumos ex corde ascendentes citius concipiunt, & tardius efflant ob meatuum angustias. Præterea in ira sanguis circa cor efferuescit, & cor ipsum supramodum calet. Quo autem latiora sunt narium foramina, eo plus frigidi aëris immittitur, ad cordis refrigerationem, & homines placidiores minúsque ad irascendum apti fiunt. Quare cùm Dominus patientiam demonstrat, & iram repellit à se, vt hominum more loquamur, dicitur in sanctis literis latus naribus: sic enim in Hebræo appellatur aliquando, vbi in nostra editione dicitur patiens, vt Numer. 14. vbi nos legimus: *Dominus patiens, & multa misericordia, ferens iniquitatem & scelera:* pro patiens, est in Hebræo, *latus naribus*. Sic etiam Ioëlis 2. vbi nos in nostra Latina editione habemus: *Quia benignus, & misericors est, patiēs & multa misericordia*, in Hebræo pro patiens legimus ארך אפים *longus*, siue, *latus naribus*, quod Septuaginta verterunt μακρόθυμος, id est, *longanimis*. Chaldæus solet vertere: *qui longè propellit iram*.

MAXILLA.

6 Maxilla, siue mala, pars faciei est, eminens inter oculum, nasum, & buccam, quæ & gena dicitur, mala appellata, quòd rotundam speciem mali præseferat. De malis autem siue maxillis Plinius lib. 11. cap. 37. *Infra oculos*, inquit, *malæ homini tantùm, quas prisci genas vocabant, ibi ostenditur pudor*. Cicero in Oratore Malam à maxilla dictam esse ostendit, abiectis mediis literis: *Quin etiam*, inquit, *verba sæpe contrahuntur, non vsus causa, sed aurium: Quomodo enim ex axilla ala facta est, nisi fuga literæ vastioris, quam literam etiam è maxillis, è paxillo consuetudo elegans Latini sermonis euellit*. Sic Tullius. Itaque maxilla non est diminutium à mala, vt putauit Priscianus, sed mala à maxilla fit per detractionem mediæ syllabæ, sicut docet Cicero in Oratore ad Brutum. Est autem maxilla propriè in qua fixi sunt dentes, quamuis etiam de parte exteriore quandoque dicatur, quæ barbam emittit in viris: hinc dens maxillaris, qui etiam dicitur molaris.

7 Vocatur autem maxilla Hebraica voce לחי Lechi in sacro eloquio: significat

FACIES.

ficat autem maxillam, siue mandibulam, in qua fixi sunt dentes Iud.15.vers.14. vbi legimus: *Inueniam maxillam, id est, mandibulam Asini, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros, & ait in maxilla Asini, in mandibula pulli Asinorum deleui eos.* Pro mala autem, siue gena sumitur Psal. 3. vers. 8. Nam quod legimus iuxta Septuaginta: *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa, dentes peccatorum contriuisti*: Pro sine causa, in Hebraico est לחי Lechi pro בלחי Balechi, quod quidam interpretantur: *percussisti in maxilla.* Hieronymus verò trãsfert: *percussisti omnium inimicorum meorum maxillam*, quasi dicat percussione contemptibili, qualis esse solet maxillæ percussio. Est autem percussio maxillæ ingentis dedecoris, & extremæ ignominiæ, non tam ex grauitate ictus ac vulneris, quàm ex dignitate, aut præstantia partis quæ percutitur, videlicet humanæ faciei. Nomine autem percussionis maxillæ in sacris literis quodcunque aliud opprobrium intelligitur, aut contumeliosum nocumentũ: sic enim accipienda sunt verba illa Matth.5. vers.39. *Dico vobis non resistere malo*(hoc est Diabolo in impiis operanti.) *Sed siquis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram, & qui vult tunicam tuam tollere, præbe ei & pallium.* Quòd sic explicat Augustinus Epistol.5. ad Marcellinum: *Maxilla, inquit, dextera securior est, quòd non respondeat dextra manui, sed sinistra aduersarij percutientis, tum etiam melior, & honoratior est: cùm ergo meliora bona tibi voluerit inimicus auferre, cùm interiorem tunicam, & animæ virtutis expone terrena omnia bona, & sinistram maxillam, externúmque pallium, quæ cùm ille abstulerit, nihil quod verè bonum sit, amisisse te puta,* &c. hæc Augustinus.

Nomine verò percussionis maxillæ significari quamcunque aliam contumeliam, etiamsi percussio non fiat manu, indicant verba illa Iob 16. vers. 11. 8
Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, vbi verba præcedentia, *aperuerunt super me ora sua,* testantur percussionem illam maxillæ Iob non reipsa aut manu, aut colapho fuisse inflictam, sed verbis, & opprobiis eo sensu quo dicebat Apostolus 2. Corinth. 11. *siquis vos in faciem cædit*, quod statim explicat, cùm subiicit: *secundùm ignobilitatem dico*, id est, cùm quis vos contemnit, & despicit velut ignobiles: Neque enim minus grauis est contumelia & opprobrium, quàm colaphus, aut fustis, aut gladius, aut vulnus. De fuste quidem satis constat ex illo loco Prouerbiorum cap.14. *In ore stulti virga superbiæ*; quasi dicat stultus, superbus, & contumeliosus in ore fustem habet, id est, linguam qua alios cędit, & diuerberat. Hoc ipsum etiam satis ostendunt verba Hierem. cap.18. illorum qui aduersus Hieremiam dicebant: *venite percutiamus eum lingua.* Sed quantum verò vulnus efficiat tactus linguæ, aut verbi ictus, abundè illa declarant, quæ aut gladium ancipitem, aut sagittam acutam linguam esse testantur. Omni autem gladio crudeliorem, & acutiorem esse linguæ ictum Ecclesiasticus confirmat cap. 22. cùm ait: *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus excepto conuitio.* Sicut ergo percussio linguæ contumeliam significat, non ictum corporis aut vulnus, sic percussio maxillæ, id est, quam recipit maxilla, non ictum, aut vulnus in maxillam, aut faciem, sed contumeliam, aut aliud nocumentum illatum in hominem designat.

FACIES.

Os.

9 Os propriè eſt concauum illud intra quod lingua, & dentes concluduntur cuius oſtia ſunt labia. Interdum autem os ſumitur pro lingua, vt Geneſis 25. *Quod os meum loquitur ad vos*, id eſt, lingua mea. Eſt aliquando idem quod maledictum, vt Iob 16. *Aperuerunt ſuper me ora ſua.* Nonnunquam mandatum ſignificat, vt Iob 22. *Suſcipe ex ore ipſius legem.* Nonnunquam idem eſt quod teſtimonium, vt Proueb. 19. *Os impiorum demonſtrauit iniquitatem.* Aliquando os vaticinium denotat, vt 2. Paralip. 18. *In ore omnium prophetarum eius.* Itém os gladij eſt acies, & os putei, & os ſacci eſt ipſe introitus. Ariſtandri autem Telmeſij ſententia eſt os, & eius partes eſſe typum domus, dentes autem incolas oſtendere; hoc verò dupliciter accipi: incolæ enim, aut domeſtici ſunt, aut alienigenæ. Itaque ſuperiores dentes domeſticorum incolarum ſigna ſunt, propterea quòd pars illa ſuperior tota ferè capiti adglutinata eſt atque cognata; Inferiores verò dentes alienos ideò commonſtrant, quòd maxilla ea quæ illos ſuſtinet, tota ſit mobilis, atque ita aduentitium quid præſeferre videatur.

10 Vocatur autem os in ſacris literis פה Pe, ſunt qui reducant vocem iſtam ad פנה Pana reſpexit, Num litera per ſyncopem reſecta, quòd reſpectum includat, vt differat à פנים Panim facie, ſicut pars à toto 1. autem Samuelis 13. verſ. 21. vbi legimus: *Retuſæ itaque erant acies vomerum, & lignorum, & tridentum:* pro acies vomerum in Hebraico eſt ה פצי רה פים Ha pesi ra pim, id eſt, *vomer orium,* id eſt, multa habens ora, id eſt, valdè obtuſus. Nota etiam illud Geneſ. 47. verſ. 10. *Et alebat eos, omnémque domum patris ſui præbens cibaria ſingulis*, vbi pro, *ſingulis*, Hebraicè legimus: ל פי ה טף Le phi ha taph, ad verbum, *ſecundùm os pueruli*, id eſt, ſecundùm menſuram paruuli, aut quemadmodum paruulus alitur: ſic Exod. 19. verſ. 4. quod transfert D: Hieronymus: *Iuxta numerum animarum quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni*, in Hebraico eſt, לפי אכלו Lephi oclo, ad verbum, *ſecundùm os eſus eius, ſecundùm comedere ſuum*, hoc eſt, quemadmodum vnuſquiſque comedit talia, ſiue quantum quiſque comedere poſſit pro ratione pro rata iuxta æſtimationem, & Prouerb. 5. verſ. 4. gladius biceps dicitur Hebraicè חרב פיפיות Chereb pipiioth, ad verbum, gladius duorum orium, id eſt, duarum acierum: ſignificat enim פי Pe aciem ab incidendo, & mordendo: *Nouiſſima*, inquit, *illius amara quaſi abſynthum, & acuta quaſi gladius biceps.*

11 Quoniam verò homines loquutione manifeſtant quod volunt, hinc fit, vt in ſacris literis os pro voluntate accipiatur: dicere enim ſolemus, *faciam quod dixeris*, pro *quod volueris.* Inde apud Hebræos, & Chaldæos אמר Amar, id eſt, dicere, ſumitur pro iubere, vt Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt*, in eodem ſenſu dictum eſt Matth. 4. *Dic vt lapides iſti panes fiant:* Ideò os pro voluntate ſumitur Geneſ. 24. *Vocemus*, inquit, *puellam, & quæramus eius voluntatem*, in Hebraico eſt, *& quæramus os illius.* Eundem ſenſum faciũt verba illa Iſaiæ 30. *Qui ambulatis vt deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis:* Denique transfertur os in ſcripturis ad ſignificandum ſtragem gladij; quare percutere in ore gladij, eſt omnes occidere, & nemini parcere, quod eſt percutere quantum gladius percutere velit, ad os gladij, id eſt, ad volunta

FACIES.

luntatem gladij: os enim, vt dictum est, voluntatem etiam significat: in quo etiam sensu accipitur illud Exod. 17. *Fugauitque Iosue Amalech, & populum eius in ore gladij*, & illud Num. 21. *A quo percussus est in ore gladij*. Itaque in his locis, aut aliis similibus non accipitur os gladij pro acie gladij, sed pro maxima percussione & strage: Est enim propria Hebræorum phrasis; vnde Septuaginta quia suæ linguæ proprietatem callebant, vbi occurrebat *in ore gladij* nequaquã verterunt *in acie gladij*, aut *in ore ἐν στόματι*, sed ἐν φόνῳ μαχαίρας, id est, *in morte gladij*. Quod autem Lucas cap. 21. dixit: *& cadent in ore gladij*, ἐν στόματι μαχαίρας, Græcè loquens, Hebraicam phrasim voluit imitari, vt aliquando faciunt Apostoli, & Euangelistæ, etsi aliquando os gladij pro acie gladij sumatur: sed illa est phrasis Græca non Hebræa: dicitur enim gladius vtraque parte acutus δίστομος, id est, gemini oris, vt Hebræ. 4. *Penetrabilior omni gladio ancip*. Sumitur autem στόμα, id est, os pro acie Hebræ. 11. *Effugauerunt aciem gladij*.

Ponere autem manum super os in sacris literis est hominis tacentis, & quid respondeat nescientis, vt Eccles. 5. *Si est*, inquit, *tibi intellectus, responde proximo: sin autem pone manum tuam super os tuum ne capiaris in verbo indisciplinato*. Quem etiam sensum habent verba illa Micheæ 7. *Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua, ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt*, id est, non audebunt quicquam contra loqui: neque enim habebunt quid dicant. Quando autem in sacris literis occurrit aperire os, indicatur oratio de rebus grauissimis futura, quem sensum habent verba illa Psal. 77. *Aperiam in Parabolis os meum*, id est, loquar insignes quasdam memorabilésque sententias de recónditis mysteriis: ideò subiungit: *loquar propositiones ab initio*, id est, quasdam antiquas, & maximas propositiones de rebus diuinis. Græci hîc legunt *problemata*: Hieronymus, *iuxta fontem ænigmata antiqua*. Eiusdem Phrasis vsus, & vis est Matth. 5. & Actorum 8. vbi oris apertio indicat gestum habitúmque magistri doctorísque sapientissimi, in cuius os, & verba singula conticentes omnes intenti sunt. Significatur quoque apertione oris quædam dicendi libertas & maiestas, quam sibi vsurpasse visus est Eliu Iob 33. his verbis: *Ecce aperui os meum, loquetur lingua mea in faucibus meis*. Significat etiam apertio oris orationem consilio, & præmeditatò factam, & propterea veritatem aque æquitatem eorum quæ dicuntur: Nam quæ præmeditatè quis loquitur studet, vt non leuiter, sed ex ratione, & æquitate locutus videatur: sic Prouerb. 8. vers. 9. *Aperiantur labia mea, vt recta prædicent*, & cap. 31. vers. 9. *Aperi os tuum, discerne quod iustum est*. Huc refertur illud Apostoli 2. Cor. 6. vers. 11. *Os meum patet ad vos ô Corinthij*, quasi dicat conciones quas habiturus sum apud vos de rebus grauissimus & verissimis quæ semper versantur ante oculos. 13

LABIVM.

Labium & labrum dicuntur extremitates, & opercula oris, velut vallum quoddam, ad dentium deformitatem tegendam, à natura datum, deseruiunt etiam ad sumendum, & retinendum cibum & potum, & ad formanda verba, significátque varia in sacris literis: Aliquando circulum, vt Exod. 25. *Fecitque illi labium aureum*. Est etiam labium eloquentia Iob 12. *Commutans*, inquit, *labium veracium*. Significat interdum ipsum os, vt Deuter. 23. *Egressum est de labiis* 14

tuis verbum, & Iob 1. *Non peccauit Iob labiis ſuis.* Deſignat quoque idioma, vt Geneſ. 11. verſ. 1. *Erat terra labij vnius*, id eſt, vnius linguæ. Vocatur autem in ſacris literis labium שפה Sapha, & quia labium propriè eſt oris extremitas: hinc fit, vt figuratè ſit rei cuiuſque margo & ora, fimbria & limbus. Hinc labium maris eſt littus maris, & labium fluminis littus fluminis ſiue ripa. Sic etiam labia Pſal. 140. dicuntur oſtium: *Pone*, inquit, *custodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis*, in Hebraico eſt על דל שפתי Al dal Sephatai, ad verbum, *ſuper oſtium labiorum meorum:* & appellantur labia oſtium, quòd aperiantur, & claudantur more oſtij, & Iob 41. verſ. 5. *Portas vultus eius quis aperiet*, id eſt, labia eius; eſt autem דלת Deleth oſtium, & differt à פתח Petach, quòd ipſam aperſionem ſignificet, דלת Deleth autem ſit tabula, qua clauditur, vel aperitur ipſum oſtium; ponitur autem in hoc Pſal. loco citato דל Dal, pro דלת Deleth.

D E N S.

14 Dentes ſunt inſtrumenta oſſea in ore animalium ad terendum, & mandendum cibum, quo facilius in ſtomacho digeratur. Molares autem ſunt maiores & latiores, fixi in maxillis, & ad terendum cibum aptiores. Dens autem dicitur ab edendo: ſed & omne quo aliquid teri, vel diſſecari poteſt, ſolet dens appellari. Dentes autem diuerſa ſortiuntur nomina: qui enim primùm apparent apertis labiis primores vocantur, & aduerſi, lati, & acuti, quibus cibus inciditur, qui non cibo tantùm, & alimentis neceſſarij ſunt, ſed vocis etiam ſermoniſque regimen tenent, concentu quodam excipientes ictum linguæ. Illi verò qui ſequuntur quaſi rotunda ſpecie acuti ſerrati dicuntur: Antiquis canini appellantur in quocunque animali. Sequuntur maxillares dentes intimi, qui duplices ſunt, cibúmque conficiunt, ob id molares dicti; nouiſſimi autem naſcuntur homini. Porrò animalium alij ſunt dentes continui, vt homini & equo, aliis exerti, hoc eſt, extra os producti, vt Apro, & Elephanto. Dentes autem oſſium naturam æmulari in colore docet Ariſtoteles lib. 3. de hiſtoria animalium cap. 9. ſcribit quoque lib. 7. cap. 10. pueros dentare incipere ſeptimo menſe, tradit etiam lib. 3. cap. 9. dentes Ethyopum, & oſſa candeſcere, & lib. 2. cap. 1. ait dentes primores vt plurimum acutos eſſe, & interiores planos, & dentes maxillares nullum animal mutare. Lib. verò 2. cap. 3. docet animalia quibus plures ſunt dentes, viuaciora eſſe: quibus verò pauciores vitæ breuioris. Lib. verò 8. cap. 6. ſcribit animalia dentibus ſerratis bibere lambendo: quibus verò continui ſunt, ſorbendo, & lib. 2. cap. 1. ait dentata vtrinque non eſſe cornigera, & lib. 9. cap. 46. quæ dentium ordine ſuperiore carent, omnia eſſe cornigera.

15 Ab acuendo autem dicitur dens in ſacris literis Hebraica voce שן Sen; Nam שנן Sanan eſt acuere, quòd dens ſit acutus; vnde & ad rupes, & ad alias res acutas transfertur, quæ figuram dentium, & ſpeciem referunt. Dentes verò dicuntur שנים Sinaiim in duali ob duplicem ſeriem dentium: ſuperiorem & inferiorem. Notandum eſt illud Iob 19. verſ. 20. *Derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos*; ad verbum eſt, *quaſi cum pelle* שני Sinai *dentium meorum*, quaſi dicat: non remanſit mihi pellis perfecta, niſi ea quæ hæret radici dentium

F A C I E S.

dentium meorum, id est, gingiuæ. Significat autem שן Sen aliquando ebur, siue dentem Elephantis, & interdum metaphoricè scopulũ, vt 1. Reg. 14. vers. 4.

Solent autem dentes quauis ætate renasci, & duobus esse plures in viris, 16
quàm in fœminis; sæpius autem remanent à busto tardiúsque corrumpuntur, quo fit, vt inueniantur posterius in sepuchris, & superstent reliquis partibus corporis. In littore autẽ Vticensi, quod est Aphricæ dens inuentus est gigantis, in tantum ingens qui si minutatim in modulos nostrorum dentium concideretur, centum dentes nostrorum inde fieri possent: refert hoc Sigebertus in Chronicis, Licosthenes in ostentis D. Augustinus de ciuitate Dei testatur, se corpus vnde dens ille exciderat vidisse, cuius ossa maxillaria æquipenderent illis hominum plusquam centum.

Porrò in sacris literis stupor dentium dolorem quendam significat cum in- 17
dignatione mistum, quasi nos culpa nostra illum nobis comparauerimus, qualis est in iis qui acerbos, & immaturos fructus comedunt, suáque intemperantia ita dentes hebetarunt & obstupefecerunt, vt eis vti nequeant ad mandendum: inde enim metaphora desumpta est: in quo sensu accipiendum est illud Eccles. 30. *Non corrideas illi, neque doleas, & in nouissimo stupescent dentes tui*, id est, tibi ipsi maximè indignaberis, quòd molliter filium educaueris; vnde meritò Dominus Hieremiæ 31. & Ezech. 18. irascitur Iudæis dicentibus: *Patres nostri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*: incusabant enim diuinam prouidentiam, quòd cùm non soleant stupere dentes, nisi eorum qui acerbum aliquid ederunt, ipsi qui nihil comederant, stuporem dentium paterentur, hoc est, cùm alij peccassent, alij plecterentur: quem etiam sensum habent verba illa Amos 4. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris*; sensus est: sæpe vos puniui, & dolebitis atque indignabimini cùm videritis vos ipsos tanta mala conciliasse.

L I N G V A.

Lingua membrum est hominis nobilissimum intra os clausum, vocibus 18
formandis, dignoscendísque saporibus destinatum, ita dictum, quòd eius ministerio lingẽtes vtamur. Est & lingua minor quæ à Græcis Epiglottis dicitur operculum Cartilaginosum, quod fistulam in gutture claudit, ne quidpiam in eam deerret. Hæc cum ridemus attollitur, quia risus omnia concutit; Quapropter periculosum est, ne nos risus inuadat dum deglutimus: Hoc enim operculum natura instituit, ne quid esculenti poculentíque ad pulmonem feratur, quod si accideret, nisi reiiceretur, hominem strangularet. Accipitur quandoque lingua pro certo genere, & ratione loquendi. Sumitur etiam lingua pro obloquutione, rumoribus, maledictis, obtrectatoribus, vocibus & sermonibus. Est præterea lingua, siue lingula promontorium, vel alia quæuis terra oblonga & angusta, quæ in modum linguæ exertæ in mare excurrit. Denique sermonis diuersitas in vna lingua, nempe διάλεκτος lingua dicitur, vt in græca lingua quinque præcipuè: Attica, Æolica, Ionica, Dorica, & Communis. Lingua autem Bubula genus est herbæ, quam Græci βούγλωσσον dicunt, boum linguæ similis. Lingua canina alia herba est, quæ κυνόγλωσσον appellatur

 à Græcis.

FACIES.

à Græcis. Lingua autem petrea genus est lapilli, quod inter gemmas connumeratur.

19 Nullus ex animalibus rationis expertibus articulatius humanas explicat voces, quàm psitacus: id quod ideò præstat, quòd linguam habeat latiorem, carnosiorem, & humanæ propemodum similem: Nam quæ angustam habent, literas proferre non possunt: & hanc autem verisimile est inter eas quas Psaphon Lybicus enutriuit & instituit, præcipuam obtinuisse: Ille enim cùm alioqui vir esset perditissimus, & omni scelerum obscenitate contaminatus, viam excogitauit qua non modo se purgaret infamia, sed diuinos etiã honores post mortem assequeretur: aues enim magno numero in seductum penetrale clausit, quas cicuratas nemine conscio docuit canere μέγας θεὸς ψάφων, Magnus Deus Psaphon, mandauítque moriens penetrale illud nulla interposita mora dissectis fenestris patefacerent, atque ita prouolantibus per vrbem totam totúmque agrum auibus, & Magnus Deus Psaphon vbique concinentibus Græcè, factũ est, vt sit creditus Deus. & tẽpla sacra fuerint illi instituta. לשון Lason autem vox Hebraica in sacris literis non solùm linguam corporis membrum significat, sed etiam sermonem, & sermonis idioma: & sicut nomina פה Pe, & שפה Sapha labium transferuntur ad significandam rem quamlibet quæ linguam refert eorum similitudine, sic dictio Hebraica לשון Lason Isaiæ 11. scopulum & saxum designat: *Et desolabit*, inquit, *Dominus linguam maris Ægypti*, id est, scopulum qui est instar linguæ. Et Iosuë 7. ornamentum aureum significat, formatum instar linguæ: nam pro regula aurea in Hebraico est לשון Lason lingua aurea. Significat etiam flammam aliquando quæ linguæ more res allambit comburendo, vt Isaiæ 5. vers. 24. *Propter hoc*, inquit, *sicut deuorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit, sic radix eorum quasi fauilla erit.* Transfertur etiam ad sinum maris in terram excurrentis; vernaculè dicitur *braco de mar*, sic intellige locum illum Isaiæ 15. vers. 2. *Initium eius à summitate maris salsissimi, & lingua eius quæ respicit ad meridiem*, à lingua eius, id est, à sinu eius in terram excurrentis. Quod Chaldæus כפה Cepha, id est, saxum, petram, siue promontorium interpretatur.

20 Denique pro doctrina etiam sumitur in sacro eloquio: est enim lingua instrumentum potissimum ad docendum; in quo sensu accipitur illud Prou. 12. vers. 18. *Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientia: lingua autem sapientium sanitas est*, lingua, id est, doctrina sapientium. Eundem sensum habet illud Psal. 44. *Lingua tua calamus scribæ velociter scribentis.* Transfertur etiam interdũ linguam ad designandam nationem aliquam, sic Isaiæ 11. vers. 15. *Desolabit*, inquit, *Dominus linguam maris Ægypti*; quem etiam sensum habent verba illa Danielis 3. *Vobis dicitur populis tribubus, & linguis*, & Romanor. 14. *Omnis lingua confitebitur Domino*, id est, omnis natio. Aliquando verbum ipsum significat quod instrumento linguæ profertur: sic Psalmographus loquitur Psal. 38. *Vt non delinquam*, inquit, *in lingua mea*, id est, in verbo meo: sic Prouerb. 25. *Lingua mollis confringet duritiam*, id est, verbum suaue & blandum.

FAVCES.

21 Faux siue Fauces (nam singularis numerus raro est in vsu) est superior pars gulæ

F A C I E S.

gulæ mento propinqua, sed interior vbi os angustatur. Plinius lib. 11. *Summum gulæ fauces vocantur.* Fauces etiam per translationem dicuntur stricti ingressus vallium, seu alterius loci, vt fauces orci. Dicuntur autem fauces voce hebraica חך CHEC. Hinc Psalm. 118. vers. 103. *Quã dulcia fuerunt eloquia tua faucibus meis,* Quidam hanc vocem palatum, interpretantur, reddentes hunc sensum: *quàm dulcia eloquia tua palato meo* sed D. Hieronymus, vt plurimum, *guttur, & fauces,* reddere consueuit. Guttur autem pars colli anterior est, vocatúrque voce hebraica גרון GARON, de quo Plinius lib. 11. cap. 37. *Guttur,* inquit, *homini tantũ, & suibus intumescit, aquarum quæ potantur plerunque vitio.* Accipitur item pro via ea, qua spiritus à pulmone ad os transmittitur, quæ in homine aspera arteria appellatur. Dicitur autem guttur sic apud hebræos à גר GAR, quod ruminare significat, siue à גרה GARA, quod est miscere.

G V L A.

Gula autem est fistula colli interior, constans ex carne & neruo, per quam 22
cibus, & potus in ventriculum defluit. græci οἰσοφάγον appellant. Plinius lib. 11. cap. 36. de Epiglotide loquens: *Opera eius gemina duabus interposita fistulis: interior earum appellatur arteria, ad pulmonem atque cor pertinens. Hanc operit in epulando, ne spiritu ac voce illac meante, si potus, cibúsque in alienum deerrauerit tramitem torqueat: altera exterior est, appellatur sane gula, qua cibus atque potus deuoratur, tendit hæc ad stomachum, inde in ventrem.* hæc Plinius. Inuenitur nonnunquam gula sumpta pro anteriore parte colli, quam iugulum vocamus. Per translationẽ verò gula sumitur pro voracitate, & nimio delicatorum ciborũ appetitu, vnde in sacris literis apud hebræos ab absorbendo nomen accipit: dicitur enim hebraica voce לוע LOA: est enim לוע LVA absorbere. Hinc LOA guttur, gula, locus absorsionis.

P A L A T V M.

Palatum est oris cœlum, quod labiis, dentibusque quasi palis munitum sit, 23
à capiendo autem dicitur in sacris literis palatum apud hebræos. dicitur enim hebraica voce מלקוח MALKOACH, nempe pars quæ supra linguam est: sic autem vocatur, quòd cibum excipiat tempore masticationis. Psalm. autem 21. vers. 16. vbi legimus: *adhæsit lingua mea faucibus meis*, pro faucibus in hebraico est מלקחי MALKOCHAI, ad verbum, *palatis meis*, Idem ferè est sensus: nam palatum est pars oris supra linguam: faux verò pars superior oris supra gulam.

Cap. XV. DE DORSO PARTE DISSIMILARI CORPORIS.

D O R S V M.

Dorsum est tota posterior corporis pars, à collo vsque ad os sacrum, non 1
solùm autem dicitur de hominibus cæterisque animantibus, sed inanimatis etiam & de littoribus, aquis, montibus, & huiusmodi. Antiqui tamen dossum dicebant, quod nunc dorsum dicimus; vnde dossuaria iumenta à Varrone dicta libr. 20. cap. 10. quæ in dorso vehunt, *Ad quam rem,* inquit, *habent dossuaria iumenta Domini.* Alij equas, alij pro his quid aliud quod onus dorso ferre possit. Hinc dorsualia tegumenta, quibus equi & boues teguntur. Dor-

 sum

DORSVM.

ſum ceruici ſubiicitur,ſolet autem eſſe giber in dorſo. Significat verò giberoſus homo eum qui,vt in ſacris literis habetur,reiicitur à ſacris, eúmque ſignificat qui flagitiorum ſarcina oneratus eſt, neque tamen errorem aut delictum intelligat ſuum , vtpote qui non videat quod in tergo eſt. Significatur autem in ſacris literis per dorſum fuga : hinc Pſalm. 20. *Pones eos dorſum terga eorum:* Nam qui fugiunt perſequentibus dorſum dant.

2 Vocatur autem dorſum in ſacris literis voce hebraica גב GAB ab eo quòd emineat,& excelſum ſit: ſignificat enim גב excelſum , altitudinem : hinc גבן GIBEN dicitur giboſus , quod eius altitudo ob curuitatem ſit depreſſa. Hinc etiam Pſal.128.verſ. 3. *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores*, in hebraico eſt, ſupra גבי GABI, ad verbum eſt, *Arauerunt arantes*, ac ſi dicat : poſuerunt me curuatum ante ſe. Denique quidquid in vnaquaque re eminet ſuper alias res hebraicè intelligitur hoc nomine; vnde in Euangelio גבתה GABATA Syriaca voce,græcè verò λιθόςρωτος,id eſt,ſuggeſtum eminens,lapidibus ſtratum dictum eſt,quod legerunt Gabatha.

SCAPVLA.

3 Dorſi autem partes ſunt ſcapulæ , ſpina , & infra lumbi è regione ventris, ſuntque in eo vtrinque coſtæ communes partibus ſuperioribus , & inferioribus, dicitur etiam dorſum tergum. Scapulæ autem propriè dicuntur oſſa duo in poſteriore corporis parte figura triquetra,externa facie tumeſcente,extrema ſua parte in acetabula quædam deſinentia , quæ humerorum capita excipiunt.Tergum autem,cùm idem ſit quod dorſum, eſt tota poſterior corporis pars.Tergum autem à terendo dici videtur,quoniam vehendis oneribus teritur.Ariſtoteles de hiſtoria animalium lib. 3.cap. 7. *Omnia*, inquit, *prorſus animalia quæ ſanguinem habent , dorſo conſtant,aut oſſeo aut ſpineo , cætera oſſa aliis inſunt, aliis deſunt,vt enim partes corporis quæque habentur , ita quoque oſſa ad partes accommodata.*

COSTA.

4 Coſtæ ſunt oſſa illa ſpinæ cohærentia.Vocatur autem coſta צלע SELA,& quia coſta eſt in latere , transfertur ad rem quamuis ſignificandam quæ eſt in latere,vt tabulam,valuam,exedram,& latus cuiuſque rei. Quare D.Hieronymus Ezech.41.verſ.6. לצלעות LASELAOTH *latera* interpretatur, vbi legimus: *Quæ ingrederentur per parietem domus in lateribus per circuitum.* Alij pro exedris exponunt : *cellæ erant in lateribus templi conſtructæ.*

LATVS.

5 Latus dicitur ea pars humani corporis, quæ infra alam, & brachia eſt , daturque latus dextrum & ſiniſtrum , & generaliter latera ſunt, quæ præter , ſeu iuxta ſurſum & deorſum conſiderantur , vt ponitur in cœlo latus dextrum & ſiniſtrum:hinc lateris dolor , quem græci πλευρίτιδα vocant. Aliquando latus pro viribus & ſpiritu ponitur, à latere autem dicuntur cari amici principium qui eorum lateribus ſemper adſunt. Vocatur autem latus in ſacris literis voce hebraica צד SAD,ab inſidiando : eſt enim צדה SADA inſidiari , & צוד SVD eſt venari : ſic autem dicitur, quòd inſidiæ & retia à latere tendantur , non in conſpectu.Hinc intelliges locum illum Iudicum 2.verſ.3.*Quamobrem nolui delere*

DORSVM.

lere eos à facie vestra, vt habeatis hostes, & Dij eorum sint vobis in ruinam. Nam pro *vt habeatis hostes*, in hebraico est, לצדים LESIDIM, ad verbũ, *erunt vobis ad latera*, id est, in hostes, ad latera, siue in spinas, ad latera, vel in lateribus. Alij exponunt, *erunt vobis in latera*, id est, in retia, quòd à latere tendantur, iuxta illud Prouerb. 1. vers. 17. *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Septuaginta transferunt: *erunt vobis in angustias*, Chaldæus verò Paraphrastes, *in tribulantes.* Illud autem Isaiæ 60. vers. 4 quod D. Hieronymus transfert: *filiæ tuæ de latere surgent*, alij exponunt: *filiæ tuæ de latere nutrientur*, in nostra vulgata editione Sistina legimus: *de latere surgent.*

LVMBVS.

Lumbus à rei anatomicæ peritis dicitur pars inferior spinæ, quinque constans vertebris, quæ mediæ sunt inter os sacrum & vertebras dorsi. Dicuntur autem vertebræ spinæ, ossa in crassiores quosdam modos cõglobata, & in medio sui concaua, vt spinali transitum præbeant: firmissimis autem vinculis alligata, quorum beneficio interiores cohærescunt. Harum munus est, vt corpori flectendi se, curuandique præbeant facultatem, quod sine illis prorsus rigidũ esset & inflexibile. Dicuntur etiam lumbi de brutis: hinc lumbis caret, vel potius qui lumbos confractos habet & inualidos: bona enim pars virium in lũbis sita est, vt qui soli nullius alterius ossis adminiculo superiorem corporis compagem sustentent: hinc factum est, vt elumbis accipiatur pro debili: sic etiam delumbis pro molli & effœminato. Hinc Cicero delumbare sententias per translationem posuit, pro neruis illas & robore spoliare. Lumbi itaque dicuntur partes inferiores spinæ, quæ sunt è regione ventris, quibus interiùs renes adhærent, vnde aliquando sumuntur pro renibus, & etiam pro vi generatiua & concupiscentia.

Quia verò duo sunt lumbi, dicuntur in sacris literis מתנים MATHNAIIM 6
numero duali Deut. 32. vers. 11. & Ierem. 13. vers. 11. & aliis locis. Quod autẽ legimus Ezech. 9. vers. 2. *Vestitus erat lineis, & atramentum scriptoris ad renes eius*, pro ad renes, in hebraico est ב מתנים BE MATHNAIIM, *ad lumbos eius*, vel *in lumbis eius*, idem est sensus, quasi dicat in cingulo ad lumbos eius, vel in lumbos eius, vel in lumbis eius, ad quos accingebant: sumuntur enim sæpe renes pro lumbis, & lumbi pro cingulo. Dicuntur quoque lumbi חלצים CHALASAIIM etiam secundùm formam dualem, quia duo sunt lumbi dicti, vt quidã volunt, quod illis genitale semen extrahatur, nam חלץ CHALAS significat extrahere, & interdum expediri, seu accingi ad militiam, quare à cinctura potius armatorum videntur lumbi sic appellati. Nam חלצים CHALVSIM, id est, expediti, & ad militiam accincti, à quibusdam à חלצים CHALASAIIM, id est, lumbis, deducuntur, quod ad lumbos accingantur.

Confortare autem lumbos in scripturis sanctis idẽ est quod robur, & for- 7
titudinem assumere, vires colligere & excitare in se fortitudinem, & animum intrepidum ad quiduis audendum: in lumbis enim posita est, magna pars roboris animalium, quod testantur verba illa 2. Paralip. 10. *Minimus digitus meus grauior est lumbis patris mei.* Hinc Prouerb. vltimo *Accinxit fortitudine lumbos suos.* Lumbi autem præcincti in sacris literis hominem indicant expeditum, & paratum

DORSVM.

ratum ad ambulandum:quem ſenſum habent verba illa Tobiæ 5. *Inuenit iuuenem ſplendidum ſtantem, præcinctum, atque paratum ad ambulandum*, in quo etiam ſenſu accipiendum eſt illud 4.Reg.9. *Accinge lumbos tuos, & tolle lenticulam olei hanc in manu tua.* Quo etiam pacto intelligitur illud Lucæ 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris*, id eſt, parati eſtote: vt cùm Dominus pulſauerit ianuam curratis: Et illud Pauli Epheſ. 6. *State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate*, id eſt, ſtate, ne fugiatis ex acie, ſed parati eſtote ad pugnandũ.

8 Significat quoque in ſacra ſcriptura, *accingere lumbos*, carnis libidinem cohibere: lumbis enim quædam eſt cum officio gignendi propinquitas: hinc illud Gen. 35. *Reges de lumbis tuis egredientur*, & heb. 7. *adhuc enim in lũbis patris erat.* Inde etiam Pſalm. 37. *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus*, quod D. Hieronymus, & Euthymius exponunt, *libidinoſis concupiſcentiis*, quare illud Lucæ 12. *ſint lumbi veſtri præcincti*, de caſtitate ſeruanda interpretantur D. Hieronymus & Rupertus ſuper Nahum cap. 2. & D. Gregorius homil. 13. in Euangelia. Porrò vulnerare lumbos in ſacro ſermone, eſt affectus, ſiue deſideria alicuius diſſipare: ſignificant enim lumbi, ſiue renes ardentiora deſideria, & teneriores affectus animæ, in quo ſenſu accipiendum eſt illud Iob cap. 16 verſ. 14. *circundedit me lanceis ſuis, conuulnerauit lumbos meos, nõ pepercit, & infudit in terram viſcera mea*, quaſi dicat: in lumbos meos in omnes meas cogitationes & munitiſſima quæque mentis ac cordis arcana penetrauit, ita diuina ardentiora deſideria omnes ſpes meas & affectus fruſtrauit & diſſipauit.

RENES.

9 Renes viſcera ſunt vtrinque non procul à vena caua ſita, ſanguinis ſerum, hoc eſt, vrinam per venas emulgentes attrahentia, & per longos quoſdã meatus, quos οὐρητῆρας græci vocant ad veſicam tranſmittentia. Dicti quidam exiſtimant à verbo græco ῥεῖν fluere, quòd per eos tanquam per colum quoddam fluat vrina Apud hebræos verò in ſacris literis renes nomen acceperunt: dicũtur enim כליות CELAIOTH: eſt autem חלה CALA deſiderare. Sic ergo dicti ſunt, quòd in renibus ſit deſiderium coitus, ſiue vis deſiderij coitus, vt alij volunt. Per tranſlationem verò ſignificat hæc vox grana frumenti, quod renibus ſint ſimilia, vt Deut. 32. verſ. 14. *Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Baſan, & hircos cum medulla tritici*, vbi pro tritico habes כליות חטה CELAIOT CHITA, ad verbum, *renes frumenti*, id eſt, grana frumenti. Sunt autem multi ex recentioribus, qui hanc vocem reuocant ad כלי CELI, id eſt, vas: ſicque dictos putant renes, quód ſint vaſa ſeminaria, & inſtrumente ad liberos procreandos parata. Sunt etiam qui putent ſic dictos renes à perficiendo & conſummando: nam כלה CALA perficere quoque ſignificat, & conſummare: in illis enim collocant vim conſultandi & conſummandi conſilij, ſunt enim ſedes principij & conſummationis affectuum. Hinc ſcriptura renes pro affectibus, cogitationibus, & intimis hominis vſurpat.

10 Vocantur etiam in ſacris literis renes טחות TECOTH eò quòd ſunt inducti & operti adipe: eſt enim טוח TVACH linire, oblinire, & incruſtare. Alij per hanc vocem interiora hominis intelligunt, quaſi obducta vel abſcõdita dicas: ſic intelligendus locus ille Iob 39. verſ. 36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam.*

D O R S V M.

tiam, vel quis dedit gallo intelligentiam, vbi pro eo quod vertit Hieronymus *visceribus*. est in hebraico טחות TVCHOTH, ad verbum, *in renibus hominis*. Alij, *in absconditis hominis*. Nonnulli *loca occulta*, interpretantur, quæ sunt intentiones cordis: sic quoque Psalm. 50. vers. 8. *Ecce veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientia tua manifestasti mihi*, pro *incerta*, legimus in hebraico טחות TVCHOTH, ad verbum, *in renibus: & occultis sapientia tua*, id est, in corde intimo: quod Septuaginta reddiderunt *incerta*, D. Hieronymus interpretatur *absconditum*.

Quia magna pars roboris animalium in lumbis est, & renibus: hinc fit, vt 10
renum & lumborum defectio, magnam defectionem virium indicet in sacris literis: sed ad hoc rectè intelligendum vis vocabulorum obseruanda est: nam ὀσφὺς, quo vocabulo sæpe vtuntur Septuaginta interpretes, & à latinis interpretibus vertitur *lumbus*, siue *lumbi*, latius patere videtur, quàm lumbus: significat enim & inferiorem spinæ partem, inter dorsum & os sacrum vertebris quinque constantem, vt est apud Galenum lib. 12, quæ non propriè lumbus dicitur, lumbi enim cornei videntur esse non ossei, & duo sunt, eámque spinæ partem inferiorem ex vtroque latere obsident. Inde lumbi potius dicunt latini quàm lumbus, quia duo sunt, & hebræi duali numero vocem hebraicã proferunt, quæ lumbos significat. Renes autem summis lumbis intrinsecùs adhærent: Et quoniam tres hæ corporis partes valde inter se coniunctæ sunt, sæpenumerò vocabula permutãtur in sacris literis, & quod vnius est alteri tribuitur: nam vis animalium non tam est in lumbis, quàm in illa parte spinæ quæ dicitur ὀσφὺς, cuius vertebræ si magno ictu dissoluantur, animal valde infirmũ & imbecillum redditur. Sæpe etiam sine vllo ictu hoc accidit in magno timore: læsa enim facultate motrice animalis, partes inferiores quæ spinali medulla reguntur, læduntur & imbecillæ fiunt, quia facultas animalis motrix, siue sentifica ad illas partes imbecilla peruenit, vnde fit vt neque possint rectè sẽtire, neque moueri. Est igitur defectio in renibus, defectio in iis quos magis propriè vocari lumbos diximus, quos medici musculos lumborum vocant. Nam plerunque quinque illæ vertebræ cum musculis & renibus lumbi appellantur. Porrò sedes libidinis non est propriè in lumbis, sed renibus tribuitur & lumbis, quoniam vasa seminis quę præparantia dicuntur tam venosa quàm arteriosa, à regione renum per lumborum partem internam deferuntur. Ponitur autem in sacris literis defectio renum pro defectione virium, & etiam defectio lumborum siue lumbifragium, quo verbo Paulus vtitur: quod facilè constat ex scriptura, & indicant verba illa Daniel. 5. *Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur*, id est, vertebræ illæ inferioris spinæ. Hoc ipsum patet ex Ezech. 9. *& innitentibus*, inquit, *eis super te comminutus es & dissoluisti omnes renes eorum*, id est, vires abstulisti.

A N V S.

Anus autem pars posterior est, podex etiam dicitur pars pudenda. Vocatur 11
autem in sacris literis טחור TACVR, significantur verò per hanc vocẽ claustra ani, per quæ cum contentione excrementa egeruntur, vt colligi videtur è Psal. 77. vers. 66. *Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis*. Eius mentio fit 1. Samuel. 6. vers. 10. sic enim legimus: *& posuerunt arcam*

D O R S V M.

Dei super plaustrum & capellam, quæ habebat muros aureos, & similitudines anorum. Quod autem legimus 1. Reg. 5. vers. 6. *percussit eos in posteriore parte natium*, putát quidam hanc percussionem, siue infirmitatem ani fuisse tuberculum, hoc est, irritum egerédi conatum, ficum aut marescam: alij hemorroidem: alij *τένεσμον* hoc est, irritum egerendi conatum cum tremore & inflammatione sedis Cæterùm anus 1. Samuel. 5. vers. 6. & Deut. 28. vers. 28 vocatur proprio nomine עפלים Aphólim, legitur tamé ab hebræis doctor. טחורות Tachvroth.

N A T E S.

12 Nates est caro conglobata versus os sacrum, sedédi officio aptissima, à [illegible] tendo vt quidam existimant: ibi enim est caro firmior quàm in cæteris membris, ne premente corporis mole ossibus offendatur. Dicuntur autem nates in sacris literis voce hebraica מפשעה Miphsaa, & significatur propriè hac voce pars ea corporis sub natibus, qua gressus incipit: est enim פשע Pasa deâbulare. Itaque à deâbulatione hæc res pudéda vocatur honestatis causa, sicut phrasi hebraica pedũ voce ea pars vocatur: nã tegere pedes est aluũ exonerare.

Cap. XVI. DE BRACHIO PARTE DISSIMILARI CORPORIS.

B R A C H I V M.

1 Brachium aliquando totum membrum cum manu comprehendit, aliquãdo ab humero ad cubitum, id est, pars superior est qua armus dicitur: nã armos humeros cum brachiis dicimus, à cubito verò vsque ad vertebrã manus lacertus nuncupatur, transfertur interdum brachium ad maris & montium sinuosos flexus. Itaque brachium est pars humani corporis, coniuncta humeris, in cuius extremo est manus, quo instrumento opera & labores exercemus. Vocatur auté brachium in sacra scriptura voce hebraica זרוע Zeroa ab aspergendo & ventilando: nam & cum זרה Zara quod est spargere, & si longius colludit radix eius est זרע Zara seminare, serere. Dicitur etiam de armo bestiarum. Item quòd in brachio sit robur pro potentia & sustentatione sæpe sumitur: Numer. 6. vers. 19. pro armo arietis ponitur. Nam pro armo in hebraico est זרוע Seroa.

H V M E R V S.

2 Humerus est pars illa corporis à qua dependent brachia, quæ alio nomine vocatur armus auctore Festo, quòd ab ea parte arma dependeãt: humeri etiam de bobus dicuntur, dicuntur etiam humeri in auibus, à quibus dependent alæ. Vocatur autem in sacris literis humerus כתף Ceteph, vt Isaiæ 11. vers. 14. *& volabit in humeros Philisthiim, per mare simul prædabitur filios Orientis.* Quidam pro humeros, exponunt: *latera, angulum Philisthiim*, id est, terra Philistinorum, & quoniam יעף Iaaph est lassare, fatigare, pro volare, quod עוף Vph significat, exponunt aliqui: alij verò: *Erunt lassi propter percussionem in humeros Philisthinorum.* Appellatur quoque humerus שכם Secem: significat enim partem illam corporis erectiorem & sublimiorem, in quam ceruix desinit, apta gestandis oneribus. Sumitur etiam pro parte aliqua vel portione, vt Gen. 48. vers. 22. vbi ait scriptura: *do tibi partem vnam extra fratres tuos*: vbi pro parte שכם Secem legimus, alluditque Iacob ad vrbem Sichem, quæ cessit tribui Ephraim, quæ ex

Ioseph

BRACHIVM.

Ioseph descendit. Significat itaque שכם Secem portionem quæ erogatur & confertur. Est & Secem viri Heuei nomen filij Henor, de quo Genes. 34. & etiam oppidum Gen.12.vers. 6. & aliàs. Vocatur etiam שכם Secem vrbs Sichem, quæ Ioann.4.legitur Sichar.

MANVS.

3 Manus pars est hominis in extremo brachij posita, quinque digitis, & palma, siue vola constans, quæ cùm sit instrumentum ad omnia, quæ homo operatur, variè accipitur. In sacris verò literis manus voce hebraica nuncupatur יד Iad, reducique vox ista potest ad ידה Iada, quod est proiicere manu. Quidam ad extensionem referunt: sicut latinis manus dicitur ab emanando, & quia variæ sunt multæque conditiones & officia manus, ideò ad varia significanda transfertur. Sæpe in sacris literis pro verbo siue iussione sumitur, & pro omni loquutione qua aliquid præcipitur, vt 2.Reg. 14. *Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis*, id est, num Ioab præcepit tibi vt hæc diceres? Sic Iosue 17. *Dominus*, inquit, *præcepit per manum Moysis, vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum*: in quo etiam sensu accipiendum est illud Esdræ 3. *steterunt sacerdotes in ornatu suo*, &c. *vt laudarent Deum per manus Dauid Regis Israel*, id est, verbis psalmorum, quibus Dauid frequenter omnes ad laudẽ Dei hortatur; inde manus Domini super aliquem fit, cùm Dominus ei loquitur, & aliquid præcipit, vt 3.Reg.18. *Et manus Domini facta est super Eliam*.

At verò manum extendere in sacro eloquio idẽ est, quod incipere aliquod opus: in quo sensu dictum est illud Prouerb. vltimo: *manum suam misit ad fortia*, & illud Actor.13. *misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia*. Manus autem leuare gratulantium est, vt Nehem.8. *& benedixit Esdras Domino Deo voce magna, & respondit omnis populus Amen amen, eleuans manus suas, & incuruati sunt, & adorauerunt proni in terram*. Interdum eleuare, siue leuare manum est orantis, vt Psal.27. *dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuũ*. Nonnunquam est gestus aliquid libenti animo facientis, vt Psal.118. *& leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi*. Aliquando vocantis vt Isaiæ 49. *Ecce leuo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum*. Sæpe est auxiliãtis & protegentis, vt cùm dicitur manus leuari pro aliquo: sic Ezec.20. *Et leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob, & apparui eis in terra Ægypti* &c. At verò si manus leuatur in aliquem, aut cõtra aliquem, est vlciscentis: quem sensum habet illud Psal. 37. *leua manus tuas in superbias eorum*, ex quo intelligimus illud Iob 31. *Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem*. 4

Comprimere autem manum super aliquem, est præ magnitudine gaudij insultare alicui & manibus applaudere, vt Nahum. 3. *Omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te*. Manu autem altera alteram ferire plaudendo exultantis est, sic Psal.46. *omnes gentes plaudite manibus*. Mouere autem manum, est gaudentis & simul irridentis, vt Sophoniæ 2. *Omnis qui transibit per eam sibilabit, & mouebit manum suam*. Manum autẽ alterius manu apprehendere signum est magnæ tristitiæ: sic intelligendum illud Zachar. 14. *In die illa erit tumultus Domini magnus in eis, & apprehendet vir manum proximi sui*, &c. In manu autem esse, vel ad manus tradi in sacro eloquio aliquando protectio- 5

BRACHIVM.

nem significat,& defensionem,qua ratione iusti dicuntur esse in manu Dei,vt Psal. 9. *tu laborem & dolorem consideras* (quo scilicet opprimuntur iusti ab iniquis(vt,deinde,*tradas eos in manus tuas*,,id est,vt illos tuearis, & illorum patrocinium suscipias,& sic cohæret quod sequitur, *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*,.Interdum in manu alicuius esse,& esse in eius potestate: significat enim manus potestatem,vt Psal. 88.*ponam in mari manum eius*:est hypallage pro, *ponam mare in manu eius*, vt non solùm terræ imperet, & cum lapidibus regionis,pactum ineat,atque terræ bestiæ pacificæ sint illi,id est, Christo, sed vt & venti,& mare obediant ei.

PVGNVS.

6 Pugnus manus est clausa,& in condylos contracta. Dicitur autem pugnus à pugna, aut pugna ab ipso pugno. Quidam à græco πυγμὴ deducunt, quod inter cætera pugnum significat:pugillus verò significat paruulum pugnum. In sacris verò literis pugnus hebraica voce appellatur קומץ KOMES à colligẽdo siue congregando:est enim קמץ KAMAS congregare:pugno enim colliguntur & congregantur digiti,& vola manus contrahitur. Quod autem legimus Gen.41.vers.27. *venit fertilitas septem annorum, & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti*:pro in manipulos,in hebraico est לקמצים LIKMESIM quod quidam ad verbum interpretantur: *ad congregationes*, id est, vt congregarent fruges multas.Alij sic, *protulit terra fructum multum*, quasi dicat, ex grano vno multos pugillos.

DIGITVS.

7 Digiti sunt partes manus quibus cum tota manu aliquid apprehendimus, stringimus,& operamur.Súntque quini in singulis manibus ac pedibus, est & digitus mensura Exod.25.Quidam autem digitum deriuari putant à digerendo,quòd natura decenti ordine digitos digesserit. Digitorum autem nomina sũt hæc:pollex,index,infamis,siue famosus,medius seu annularis, & minimus seu auricularis.Indicẽ autem qui pollici proximus est, alio nomine salutarem veteres vocauerunt.Medius digitus alia habet nomina: nam dictus est verpus à verrendo podice,ob quam causam infamis vocatus est:& cùm porrigebatur signũ erat derisionis. Aristoteles lib.4.de part.animal.cap.10.ait:pedes homini maximos proportione magnitudinis meritò esse, quia solus erectus est, & ita quia pondus corporis suscepturi erant, longitudinem latitudinémque obtinere debuerunt.Digitorũ etiam manus magnitudo,contra quam pedis maior est:manus enim officium est,carpere & premere. Itaque lõgi sint digiti oportet:manus enim parte qua se flectit,cõprehendit: pedis verò officium est tutè constare,quòd ea parte pedis efficitur quæ infissa est:breues etiam minus offẽdi possunt:quare hominum pedes multifidi & breuidigiti sunt. Auibus scribit Aristoteles lib.4.cap.12.digitos quaternos esse,æquè omnibus, tam multifido quàm palmipedi generi,sed cùm omnibus quaterni digiti sint,tres parte priore habẽtur, vnus posteriore pro calce.In scriptura sacra digitus dicitur אצבע ESBA à colorãdo siue tingendo.Sic ergo dicitur digitus quòd in eo pingimus & operamur,vnde digitus Dei pro diuina energia & efficacia sumitur Exodi 8.vers.19. vbi legimus: *digitus Dei est hic*, sicut & Lucæ 11. Christus digitum Dei appellat Dei spiritum,quo dæmonia eiiciebat.

Caput

Cap. XVII. DE ANTERIORE PARTE CORP. DISSIM.

PArs anterior corporis in animali dorso, siue posteriori respondet. Sequitur ergo, vt de partibus dissimilaribus anterioris partis corporis quæ occurrunt passim in sacris literis aliqua recenseamus.

PECTVS.

Pectus est anterior pars animalis à gula vsque ad ventrem, quod in homine 1
latum est, in reliquis verò animalibus in modum carinæ, estque costis compactum & aliis ossibus, quæ velut firmamenta pectoris sunt. Accipitur nonnumquam pectus pro corde, quod sub pectore latet, vel pro ipso animo, quem in corde residere nonnulli antiquorum putauerunt. Pectus inter lacertos homini constitutum esse, scribit Aristoteles de partibus animalium lib. 4. cap. 10. cæteris verò inter crura priora: latum autem esse in homine ratione permittitur, cùm nihil lacerti adiuncti lateribus impediant: At quadrupedibus quod ante se crura cùm ambulant locúmque mutant, protendunt. Pars hæc coarctata est, vnde fit ne quadrupes eo loco habeat mammas: Nam homini quod, & laxitas spatij permittit, & carnosa ea pars est; cùm operiri sedem cordis conueniat; Mammæ pectori efformatæ sunt, cæteris autem animantibus mãmæ in pectore haberi inter crura non possunt: ita enim gressum impedirent; pluribus autem locis aliis habentur sine impedimento. Vocatur autem pectus Hebraica voce in sacris literis גחון Gachon, quam vocem, *ventrem*, quidam interpretantur: sed D. Hieronymus vbique *pectus*; cuius mentio fit Genes. 3. vers. 15. vbi dicitur serpenti: *super pectus tuum gradieris*, Septuaginta transferunt: *super pectus, & ventrem gradieris.*

MAMMA.

Mamma dicitur receptaculum lactis in fœmina, quo fœtum educat, quod 2
& vber dicitur. Plinius lib. 11. cap. 40. *Quibus solida*, inquit, *vngula nec supra geminos partus hæc omnia binas habent mammas.* Vocatur autem mamma in sacris literis voce Hebraica שד Sad, quam vocem deducunt à שדד Sadad, quatenus significat in vniuersum permeare, quod dicunt intelligi posse in bonum, & in malum: aiunt enim mammam sic dici, quòd eius succus per vniuersum corpus permeat, & puerorum quoque corpus permeans humectet & alat. Hinc Genes. 49. vers. 25. *Deus*, inquit, *patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum benedictionibus vberum & vuluæ*, in Hebraico est שדים Sadaiim *vberum.* Quidam hoc sic exponunt, vt benedictiones cœli, & abyssi sint idem quod benedictiones vberum & vuluæ: cœli enim cùm dant pluuiam sunt velut mammæ, & terra cum fructus profert velut nutrix siue vulua. Alij pro *benedictionibus vberum & vuluæ*, prolis benedictionem intelligunt, contra illud quod dicitur Oseæ 9. vers. 14. *Quid dabis eis: da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.* Isai. verò 60. vers. 16. *Et suges*, inquit, *lac gentium, & mamilla regum lactaberis, & scias quia ego Dominus saluans te*: mamilla regum, id est, delitiis regum. Illud autem Iob 24. vers. 9. *Vim fecerunt deprædantes pupillos, & vulgum pauperem spoliauerunt.* Alij ita exponunt: *rapient*, משד Misad *ab vbere pupillum*, id est, ab vbere matris suæ, hoc est, à sua delectatione. D. Hieronymus exponit משד Mosad, *à præda.* Nam שוד Sod est vastator, prædo, id est, præter multitudinem prædæ

quam faciunt, etiam pupillum rapient. Sunt qui sic interpretentur: *rapient pupillum a præda*, id est, ita vt nullus possit eum amplius prædari, cùm ipsi rapuerint illi omnia: Septuaginta transtulerunt, *rapuerunt pupillos ab vbere*: Chaldæus verò Paraphrastes cum D. Hieronymo, *rapuerunt à præda*.

S I N V S.

3 Sinus curuitas illa est sita intra pectoris brachiorúmque complexum. Per translationem quoque sinus vocantur littora curua duobus quasi brachiis longius in mare procurrentibus inclusa: Hinc Plinius totam Europam qua Mediterraneo mari alluitur, in quatuor præcipuos diuidit sinus. Item sinus dicuntur concauitates illæ quibus lacrymæ erumpentes primum excipiuntur. Est autem gremium inter complexum femorum fœminarúmve, in quo complexu mulieres concipere solent. Differt autem à sinu, quoniam sinus est intra pectoris brachiorúmque complexum: Per translationem autem gremium terræ appellamus, cùm semen suscipit conceptúmque retinet, quasi viuentem fœtum postea paritura; Quare cùm lactantur infantes ad sinum admouentur: à sedentibus autem matribus vtique cùm illis blandiuntur, ad gremium accipi solent.

4 In literis verò sacris sinus voce Hebraica חיק Chek nuncupatur. Quidam hanc vocem ad חקק Chakak, quod est statuere, scribere, quasi circunscriptionem, & complexum dicas, partem scilicet corporis, certis constitutam, & circūscriptam limitibus, anteriorem scilicet à pectore versus pedes intra brachia, id est, sinum: & quia hæc concaua pars, & recessus corporis ad cuiuslibet rei concauitatem, & recessum significandum transfertur, hinc fit vt sumatur pro intimo rei cum quis intimo animi affectu aliquem complectens, velut in pectore impressum habet, vnde Ioan. 1. *Filius qui est in sinu patris*, id est, intimus, & velut meus caracter ac verbum patris: sic cap. 13. Ioan. quidam exponunt illud: *Vnus ex discipulis recumbens in sinu, quem diligebat Iesus*, & quia sinus est corporis medium, transfertur ad significandum medium cuiusque rei: sic 3. Reg 22. vers. 35. *Commissum est ergo prælium in die illa, & Rex Israël stabat in curru suo contra Syrios, & mortuus est vespere: fluebat autem sanguis plagæ in sinum currus*, id est, vsque ad medium currus. Sic etiam intellige locum illum Ezech. 43. vers. 17. *Et sinus eius vnius cubiti per circuitum: gradus autem eius versi ad Orientem*, ו ה חיק לה Ve ha chek la, id est, & sinus eius, id est, medium eius, nempe locus medius & æqualis ei, æqualiter distans ab extremis.

V E N T E R.

5 Venter est tota illa pars corporis anterior à nothis costis vsque ad pubem extensa; venter etiam sumitur pro ventriculo, in quem cibus receptus commutatur in chylum. Ventriculus autem cibi, & potus receptaculum est, primæque coctionis instrumentum, quod stomachum nonnulli appellant. Vocatur autem venter voce Hebraica בטן Beten &, quia venter est in medio corporis: per translationem significat medium locum. Designat quoque vox Hebraica קבר Keber ipsum ventrem, qui sic dicitur, quòd sit in medio corporis: Nam קרב Karab est appropinquare, & קרב Kerab est idem quod medium. Metaphoricè verò indicat intimum cuiusque rei & cogitationem: sicque

PARS CORPORIS ANTERIOR.

ſicque appellatur generaliter quicquid eſt propinquiſſimum & intimum, vt cor,& exta ac viſcera, indéque ad mentem, & cogitationem humani cordis, quæ in homine intima eſt, ſignificandam transfertur, & ad cuiúſque rei intimum,& medium. Sic intellige illud Pſal. 63. verſ.7. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*, in Hebraico eſt, ו קרב איש Ve kereb is, id eſt, intimum vniuſcuiuſque, & cor altum ſiue profundum, vt ſit ſenſus: *Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio: accedet homo ad cor altum & profundum*, ac ſi dicat quicquid pôteſt homo ſcrutari & inueſtigare, totum hoc poſitum eſt in corde profundo & alto, ב קרב איש Be kereb is in intimo,in corde viri,nempe in conſiliis,& cogitationibus cordis eius,quæ profundiſſima ſunt.

Porrò in ſacris literis fructus ventris non ſolùm dicitur qui primogenitus eſt,ſed omnes liberi,ſiue mares ſint,ſiue fœminæ,ſiue de filiis mulieris ſit ſermo, vt Lucæ 2. *Benedictus fructus ventris tui*, ſiue de filiis viri, vt Pſal. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Denique ventris nomine ſolent Hebræis viſcera ſignificari, quæ in perturbationibus animi commoueri ſolent, vt ira, dolore, miſeratione, quale eſt illud 3. Reg. 3. *Commota ſunt quippe viſcera eius ſuper filio ſuo*: Hinc perturbari dicitur venter,cùm aliquo triſtium horum affectuum concitamur, in quo ſenſu accipiendum eſt illud Pſal.30. *Conturbatus eſt in ira oculus meus, anima mea, & venter meus*, & illud Pſal. 21. *Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei.* Nuſquam denique ſcripturam ventris commotionem, aut perturbationem in lætitia vſurpare videmus, quod ex iis quæ diximus, & aliis multis locis facilè conſtare poteſt,vt ex Thren. 2. Eccl.vltimo,& Abac. 3.

VMBILICVS.

Vmbilicus dicitur ligamentum inteſtinorum, quod mediam fere ventris planitiem obtinet: ad hoc factus,vt per eum dum eſt in vtero matris, nutriatur. Dicitur etiam vmbilicus quidquid in aliqua re eſt medium: vox autem Hebraica ſignificans vmbilicum eſt טבור Tabvr, & quia vmbilicus eſt in medio corporis: hinc per tranſlationem medium terræ appellatur טבור Tabvr, ſicut & cor maris appellatur eius profunditas,quòd cor hominis in profunditate,& medio ſitum ſit; Quare Ezech. 38. verſ.12. *Et ſuper populum tuum, qui eſt congregatus ex gentibus,qui poſſidere cœpit, & eſſe habitator vmbilici terræ.* & Iudicum 9. verſ.37. *Rurſum Gaal ait: Ecce populus ab vmbilico terræ deſcendit, & vnus cuneus venit per viam quæ reſpicit quercum.* Vocatur quoque vmbilicus שרר Sorer, ſiue שר Sor. Quidam à catena deducunt, quòd hoc modo in medio ventris non ſecus ac catena venter ipſe colligetur, vt reliquum corpus neruis & oſſibus: vnde illius ruptura lethalis. 6

Caput XVIII. DE PARTIBVS DISSIMILARIBVS intra corpus animalis.

HActenus de partibus diſſimularibus quæ in dorſo corporiis, vel in parte eius anteriori exteriùs poſitæ ſunt. Præter hæc occurrunt in ſacris literis variæ partes diſſimilares, intra ipſum corpus contentæ, de quibus etiam dicendum erit.

Cor.

PARTES CORPORIS INTERIORES.

COR.

1 Cor præcipua est pars animalium, vnde dicitur vita procedere. Appellatúrque sedes animæ, & sæpe pro anima sumitur, & intellectu & voluntate, & pro ipsa cogitatione, & proposito: & quia cor est in medio animalis, sumitur pro medio rei vt cor maris. Corculum autem veteres pro solerti, & acuto dicebant; Quare Apostolus ad Romanos scribens, nomine cordis partem rationalem intelligit, non carneam, cùm ait: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis:* Quis enim putet quod dicit, *in cordibus*, in membro corporis quod cor appellatur, tanquam in membrana aliqua legem scriptam intelligi: vnde enim caro tantos prudentiæ sensus concipere, vel ostendere posset, aut tanta memoriæ receptacula continere? Nam & quod diuinæ literæ cor Dei sæpe nominant, intelligendum ex eo arcanum illud diuinæ sapientiæ, quæ à Patre est, vt Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum*, innuens filium Iesum Christum ab intelligentissimo, & sapientissimo patre genitum.

2 In sacris literis cor Hebraica voce appellatur לבב Lebab, siue לב Leb. Quidam putant verbum לבב Labab à corde deductum in coniugatione Niphal idem esse atque effici cordatum, sicque interpretantur locum illum Iob 11. vers. 12. vbi nos legimus: *Vir vanus in superbiam erigitur, & tanquam pullum onagri se liberum natum putat*, reddúntque hunc sensum: *Vir vanus, & vacuus,* ילבב Ilabeb, *efficietur cordatus*, aut si Latinè sic loqui liceat, *cordificabitur*, id est, scientificabitur: Quippe homo in principio cùm primùm nascitur est inanis, & vacuus scientia, ac si nulla esset in eo mens, subinde autem cordatus efficitur, estque illi cor & scientia: sed reuera sensus postulat magis, vt hoc verbum contrario significatu exponatur: dixerat enim homines vanos esse, & Dei consilia inscrutabilia, subdítque hominem mente vacuum corde carere, seu excordem esse, & esse pullo onagri similem, rudem, & rerum omnium ignarum; Quare optimè D. Hieronymus cor pro superbia intellexit: *Vir*, inquit, *vanus in superbiam erigitur*.

3 Porrò in sacris literis aliquando dicitur conuerti cor pro eo quod est mutare sententiam: quem sensum habet locus ille Psal. 104. *Conuertit cor eorum, vt odirent populum eius*. Denique cor sedes est audaciæ; quare in sacris literis cor dissolutum, aut languens, aut tabescens, aut liquefactum vehementem timorē, & deiectionem animi cum magno dolore coniunctum indicat, quæ omnia solent sæpe significari hoc verbo מסס Masas, vt Iosue 2. *Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum*, & cap. 7. *Pertimuit cor populi, & ad instar aquæ liquefactum est*, & 1. Reg. 17. *Fortissimus quisque cuius cor quasi leonis pauore soluetur:* Præterea ponere cor super aliquid, aut ponere aliquid super cor in sacra scriptura idem est quod diligenter meditari, aut considerare, quod satis perspicuū est ex illo loco Isai. 47. *Non posuisti hæc super cor tuum nec recordata es nominis tui.* Quem etiam sensum facit illud Ezechiel. 40. *Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia quæ ostendam tibi.* Idem intelligitur, cùm absolutè dicitur ponere cor, vt Danie. 6. *Et pro Daniele posuit cor, vt liberaret eum.*

VISCERA.

4 Viscera non tantùm exta significant, cuiusmodi sunt iecur, cor, pulmo, & lien,

lien, in qua significatione propriè accipiuntur apud medicos,& rei anatomicæ peritos, verùm etiam carnem ipsam quæ est inter ossa & cutem. Dicuntur etiam viscera terræ interiora, & penitiora eius. Appellantur autem viscera in sacris literis apud Hebræos מעי Mei. Hæc dictio comprehendit omnia membra interanea, sicut apud Latinos, vt cor, hepar, pulmonem. Quod auté legimus Ionæ 2. verſ. 1. *Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus*, in Hebraico est, ב מעי ה דג Be mee ha dag, id est, in visceribus, in interioribus piscis. Sic etiam vocatur venter Cantic. 5. verſ. 14. vbi legimus: *Venter eius eburneus distinctus saphiris*, id est, viscera eius eburnea.

I E C V R.

5 Iecur est viscus incrassato sanguini simile, sedes concupiscentiæ, venarum omnium principium, & primum sanguinis generandi instrumentum ventriculum lobis quibusdam quasi digitis circumquaque complectens: à Græcis dicitur ἧπαρ. Plinius lib. 11. cap. 37. *Iecur*, inquit, *in dextra parte est in eo quod caput extorum vocant magnæ varietatis.* Vocatur autem Hebraica voce in sacris literis כבד Cabed, Exod. 29. verſ. 13. *Sumes*, inquit, *adipem totum, qui operit intestina, & reticulum iecoris*, & Prouerb. 7. verſ. 23. *Donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum*: à grauitate sic dictus, quòd sanguine grauatum sit: est enim כבד Cabad eius radix idem quod grauare, aggrauare.

P V L M O.

6 Pulmo inter viscera est viscus spongiosum, ad vngulæ bubulæ similitudinem dissectum, follis modo spiritum attrahens, eundémque reddens, calorémque natiuum leniter refrigerans. In sacris literis nulla vox est quæ pulmonem significet. Nam quod legimus 3. Reg. 22. verſ. 34. *Vir autem quidam tetendit arcum in incertum, sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israël inter pulmonem & stomachum*, in Hebraico ad verbum est: *inter iuncturam & loricam*, quem etiam sensum reddit Chaldæus Paraphrastes; Septuaginta transtulerunt: *inter pulmonem & pectus*. Itaque D. Hieronymus, & Septuaginta ad sensum attendentes, *pulmonem*, posuerunt: Nam vox Hebraica שרין Sirian loricam significat, dictio autem דבקים Debakim adhæsionem, siue iuncturam. Percusserunt ergo eum in ea iunctura loricæ, quæ respondebat pulmoni & stomacho, siue pectori.

L I E N.

7 Lien viscus est in humano corpore sinistram partem occupans, concaua sui parte in dexteram hepar versus gibba ad spinalium costarum extrema conuersum, humorésque melancolicos ex hepate per vas venosum ad se attrahens, quorum partem tenuissimam in sui alimentum conuertit, reliquam per proprium quendam meatum quem stomachum vocant medici, in ventriculum eructans, alio nomine splen dicitur. Tradunt autem Physici lienis magnitudinem risus intemperantiam gignere; Intumescit autem aliquando lien, vt cingere hominem videatur; vnde Plautus in Curcul. *Nam quasi zona liene cinctus ambulo, geminos in ventre haberéve videor filios: nihil metuo, nisi medius disrumpar miser.* Celsus lib. 4. *Splen*, inquit, *in sinistra parte est intestino innexus, natura mollis & rarus, longitudinis & crassitudinis modica.* In sacris verò literis nulla est vox

Hebraica quæ hanc animalium partem designet, neque eius fit mentio in sacra scriptura, ideò eius nomen Hebraicum ignoratur.

ILIA.

8 Ilia partes sunt imi ventris, inter coxas, & pubem positæ, teste Celso lib. 4. cap. 1. Plinius lib. 11. cap. 37. Ilia appellat arterias quasdam quæ inter vesicam, & aluum sitæ tendunt ad pubem. In sacris literis iliorum fit mentio, & vocantur כסלים CESALIM: Nam verba illa Iob 15. vers. 27. *Operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina dependet*, ita interpretantur nonnulli, vt pro lateribus, ilia intelligant: est enim in Hebraico עלי כסל ALE CASEL: dicunt autem כסלים CESALIM ilia significare, pro quo D. Hieronymus, *latera*, posuit in Latino. Nam & Leuit. 3. vers. 4. vbi legimus: *Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis*, eandem dictionem כסל CESEL idem Hieronymus, *Ilia*, interpretatur; Quare Psal. 37. vers. 8. *Lumbi mei impleti sunt illusionibus*, Quidam quoniam pro, *lumbis*, dictio כסל CESEL ponitur, interpretantur, *Ilia mea impleta sunt illusionibus*. Significat ergo כסל CESEL ilia, quæ sunt coniuncta renibus sub lumbis.

Cap. XIX. DE PARTIBVS ANIMALIVM DISSIMILARIBUS quæ in cruribus sita sunt.

VT dissimilarium partium tractationem absoluamus, restat vt de his partibus agamus, quæ in reliqua corporis parte sitæ sunt, nempe in cruribus: occurrunt enim sæpe in sacris literis.

CRVS.

1 Crus tota illa pars est, quæ à coxendicis ceruice incipit, & ad extremos pedis digitos pertingit; à currendo dictum nonnulli putant, quòd crurum ministerio in cursu vtamur, siue, vt aliis placet, à Græco verbo *χρόνω*, quòd inter ingrediendum huc atque illuc feriant. Coxa autem siue coxendix pro eodem accipiuntur. Sunt autē coxendices, siue coxæ ossa duo, sacro ossi vtriq; astricta cauaque quædam habentia acetabula, quibus ossium femoris capitula inseruntur. Græcè *ἴσχια* appellantur; vnde Ischiadicus morbus, qui coxendices infestat: *Coxa*, inquit, Valla lib. 4. *Pars supra femora vertebrumque ipsum quoties vitiatum est, aut os illud quod vertebro voluitur, fractum, coxa vitiata fractaque dicitur.* Propriè autem & strictè crura sunt à genibus vsque ad inferiorem pedem, non æquali modo ducta, sed teretibus suris clementer extantibus, sensimque tenuatis firmatam.

2 Itaque coxa Græcè vocatur *ἰσχίον*. Ita vt, Ischia dicantur interdum ligamentum ipsum quo femur coxendicis acetabulo colligitur, interdum ipse articulus, interdum partes carnosæ ex vtroque sacri ossis latere, quæ & *σκόφια* à Græcis vocantur, à Latinis clunes nominari creduntur: Atque adeò sunt qui nomen eis inditum existiment *παρὰ τὸ ἴσχειν τοῖς καθημένοις*, quòd sedentes sustineant carnosæ illæ post lumbos vtrinque eminentiæ. In sacris verò literis vox Hebraica שוק SOK, crus & coxam significat, siue armum. Eius mentio fit Exod. 29. vers. 2. & Iudicum 15. vers. 8. & etiam 1. Reg. 9. vers. 24. Hinc nascitur verbum שקק SAKAK, quod iugiter ambulare, & discurrere significat; est

eſt autem à coxa ductum hoc verbum, quod ambulando feſtinanter coxæ moueantur: quo verbo ſacræ literæ vtuntur Nahum 2. verſ. 4. Ioël. 2. verſ. 9. atque Iſaiæ 33. verſ. 4.

FEMVR.

Femur à ferendo dicitur, quòd præcipuè his partibus ſuſtineatur animal, 3
atque feratur. Femen autem idem eſt quod femur: propriè tamen femina, teſte Valla, ſunt interiores partes: femora verò exteriores. Apud Græcos femur μηρὸς dicitur, Hebraica verò voce in ſacris literis appellatur ירך IEREC, vt Geneſ. 24. verſ. 9. vbi legimus: *Poſuit ergo ſeruus manum ſuam ſub femore Abraham Domini ſui*, vbi pro, *femore*, dictio iſta Hebraica ponitur quæ aliquando transfertur ad ſignificandum latus, vt Leuit. 1. verſ. 11. *Immolabitque*, inquit, *ad latus altaris quod reſpicit aquilonem coram Domino*, & Ionæ 1. verſ. 5. ſignificat latera nauis, quod D. Hieronymus vertit, *interiora nauis*.

GENV.

Genua ſunt curuaturæ illæ quibus crura, & femora committuntur; ſacræ 4
verò literæ Hebraica voce vocant ipſum genu ברך BEREC, quòd placidè flectatur benedicendo aut ſalutando, vt nonnulli volunt: eſt enim ברך BARAC benedicere & ſalutare; vbi autem legimus Geneſis 41. verſ. 43. *Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum clamante præcone, vt omnes coram eo genua flecterent*, in Hebraico pro *genu flecterent*, eſt dictio אברך ABREC, de qua voce variæ opiniones; aliqui putant ſignificare idem quod pater tener, eſſeque vocem compoſitam ab אב AB pater, & רך REC tener, à verbo רכך RACAC molleſcere, tenerum fieri, quia tener adhuc Ioſeph ſenili dotatus eſt grauitate & prudentia. Quidam verò interpretantur hanc vocem, *pater regis*, quaſi dictio ſit ex Hebraico nomine אב AB pater, & Arabico רך REC, id eſt, rex compoſita: Nam רך REC quæ apud Arabes regem ſignificat, mutata litera C, in X, apud nos regem deſignat. Sunt etiam qui vocem exiſtiment Ægyptiacam gratulantis, & bene ominantis, vt ſit idem quod Hebraicè ברוך BARVC benedictus, vel laudabilis, quaſi ita Ioſeph gratulatione acclamatum ſit: ſed præſtantior eſt interpretatio D. Hieronymi, qui, *genu flecte*, exponit, vt א, ſit loco ת, vel eſt ſignum futuri, vt idem ſit ac ſi dicat: omnis homo viuens clamet ante eum, אברך ABAREC genu flectam.

TIBIA.

Tibia propriè eſt os cruris oppoſitum ſuræ; eſt autem ſura poſterior pars 5
cruris carnoſa, quæ tantùm homini eſt, reliqua autem omnia animalia habẽt crura. Celſus lib. 8. cap. 1. *Ipſum* inquit, *crus eſt ex oſſibus duobus*, &c. Verùm alterum os ab exteriore parte, & alterum à priore parte poſitum, cui tibiæ nomen eſt, longius & in ſuperiore parte plenius ſolum cum femoris inferiore parte committitur: ſicut cum humero cubitus. Tibia item vocatur inſtrumentum muſicum, oblongum teres, & foraminoſum quod inflatum & digitis modò adductis modò reductis temperatum non iniucundam reddit ſymphoniam. Has primum ex gruum tibiis confectas exiſtimant, & inde nomen accepiſſe. In ſacris verò literis tibia in Hebraico idiomate idem nomen ſortitur quod crus, vocatúrque שוק SOK, deductum à שקק, vt dictum eſt.

PARTES CRVRIS.

CALCANEVS.

6 Calcaneus pars est posterior pedis imi. Dicitur autem Hebraica voce עקב Akeb: significat & ipsam plantam pedis: Hinc עקב Akab supplantauit, seduxit, dolosè egit; vnde Genes. 27. vers. 36. *At ille subiunxit: iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit me enim altera vice*: sic Hierem. 9. vers. 4. *Vnusquisque se à proximo suo custodiat, & in omni fratre suo nō habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet.* Planta autem est tota pars pedis inferior, cui insistimus, quem & imum pedem vocant.

PES.

7 Pedes dicuntur quibus vtimur in gradiendo. Simpliciter autem pes totum dicitur, quod est à femore ad calcem, diuiditúrque in coxendicem, femur, genu, femen, poplitem, crus, suram & imum pedem, qui calx appellatur: diuiditúrque in conuexam pedis, quæ pars superior est, & calcaneum quæ est pars posterior: item in volam, quæ est pars medij pedis caua, & plantam, quæ pars tota inferior est: prætereà in digitos & vngues. In sacris verò literis pes vocatur רגל Regel, dictus autem sic à רגל Ragal, quod est detrahere, obloqui, accusare, quod detractores iugiter eant, & enarrent verba huius alteri, quasi dicat pedare, id est, pedibus deferre. Quod autem legimus Genes. 30. vers. 30. *Modicum habuisti antequam venirem ad te & nunc diues effectus es, benedixitque tibi Deus ad introitum meum*, in Hebraico est לרגלי Leragli *ad pedem meum*, id est, ad introitum pedis mei. Quidam hunc locum sic interpretantur, *ad pedem meum*, id est, quod hac illac currens omnia perlustrarem, sicque dicitur de aliquo *pes bonus est tali*. Alij exponunt ad pedem meum, causa mei, siue propter me; quem sensum reddit Chaldæus. Isaiæ autem 7. vers. 20. רגלים Raglaiim pudenda significant: *In die illa radet Dominus in nouacula, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput, & pilos pedum*, vbi honestiori vocabulo per pedes pars minus honesta significatur: hoc autem ad eam phrasim spectat, qua Hebræi honestè מי רגלים Me raglaiim aquas pedum appellant lotium: sic tegere pedes suos pro aluum exonerare; vnde illud Iudicum 3. vers. 24. *Seruique regis ingressi viderunt clausas fores cœnaculi, atque dixerunt forsitan purgat aluum in æstiuo cœnaculo*, in Hebræo est, *purgat* את רגליו Et raglav *pedes suos*, id est, ventrem suum: alij *membrum suum*, id est, mingit. Hinc iuxta quosdam fullo dicitur רגל Rogel, quod sub pedibus pannos lauet & conculcet, quare illud Samuelis 2. cap. 17. vers. 17. *Ionathan autem, & Achimas stabant iuxta fontem Rogel*, pro *Rogel*, interpretantur *fullonem*: putant enim aliqui hunc fontem fuisse fullonis, vbi pannos lauabant.

Caput XX. DE PARTIBVS SIMILARIBVS corporis animalium.

PRæter dissimilares partes corporis animalium, de quibus hactenus tractatum, occurrunt etiam in sacris literis similares aliæ, quales sunt ossa, sanguis, nerui, & cæteræ huiusmodi, de quibus hoc vigesimo capite agemus, vt huic libro quarto finem imponamus.

OSSA.

PARTES CORPORIS SIMILARES.

O S S A.

Os significat solidamentum illud corporis, quod neruis abligauit natura, teste Cicer. l. de nat. Deor. in sacris verò literis os dicitur עֶצֶם Esem, à roborãdo: est enim עצם roborari, vtuntur hac voce hebræi pro substãtia, ob ossis soliditatem, vnde dicunt עצמו Asmo, pro eo quod est ipsemet. Vocatur quoque os in sacris literis גרם Gerem, hinc גרם Garam est confringere ossa: quare Prouerb. 25. vers. 15. *Patientia lenietur princeps, & lingua mollis confringet duritiam*, pro *duritiam*, est in hebraico גרם Gerem, ad verbum, *confringet ossa*, estque singulare pro plurali, quasi dicat confringet duritiam durissimam, quòd nihil sit durius, aut solidius. 1

Quarto verò Reg. 9. hac dictione גרם Gerem, quæ os propriè significat, designatur fastigium siue tribunal: sic enim legimus: *Festinauerunt itaque & vnusquisque tollens pallium suum, posuerunt sub pedibus eius in similitudinem tribunalis, & cecinerunt tuba*, &c. vbi pro *in similitudinem tribunalis* in hebraico est אל גרם ה מעלות El Gerem ha maloth, ad verbum, *super os graduum*, siue *ascensionum*, id est, super substantiam graduum, ac si dicat super gradus ipsos, nempe super fastigium. Sunt qui ad literam exponunt: *apud os graduum*, vt tribunal significetur quòd ex ebore esset, aut candidum ossis more: Quomodò & forsan D. Hieronymus intellexit, quia tribunalia plerunque fiebant ex ebore, ideò transtulit: *in similitudinem tribunalis*. Non desunt qui per hæc verba, nempe *os ascensionum*, siue *graduum*, horarum graduum intelligant, id est, in quo erat horarũ signum, & sic interpretantur illud Isaiæ 38. vers. 8. *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum per quas descenderat in horologio Achaz in sole*, vbi pro, *vmbram linearum per quas descenderat in horologio*, habes in hebraico צל ה מעלות Sel ha maaloth, ad verbum, *vmbram graduum*, nempe vmbram lapidis horarum: gnomonem intelligit, seu horologium solare, vt apparet ex narratione. Alij verò pro Gerem, *substantiam*, hoc est, fastigium graduum, interpretati, intelligunt supremum è gradibus, more regio, vice throni vestibus suppositis. 2

Os autem illud colli, quod situm est in ea ceruicis parte, quæ à trunco abrumpitur, vocatur in sacris literis מפרקת Maphreketh quod ab hebræis dicitur עצם מפרקת Esem maphreketh os abruptionis, quod varias interruptiones & nodos habeat, vnde & פרק Perek, pro nodo sumunt. Fit autem huius ossis mentio 1. Reg. 4. vers. 18. vbi legimus: *Cùmque ille nominasset arcã Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est*: nã מפרקת Maphrecheth, *ceruices* interpretatur D. Hieronymus. Illud etiam notandum est in sacris literis כף Caph præter volam manus, quam à curuando significat: est enim כפף Caphath curuare; designare quoque neruum femoris, os concauum, in quo vertitur femur, quod etiam sic dicitur à curuitate, quia os, in quod ingreditur os femoris, curuum est. Hinc D. Hieronymus Gen. 32. ver. 25. *neruum femoris* vertit, *Qui cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius*: sed alij interpretantur, *tetigit os femoris eius*. 3

N E R V I.

Nerui prima sunt in corpore animalis sensus motúsque instrumenta, à cerebro & spinali medulla orta, totius corporis membris mouendi sentiendíq; 4

vim conferẽtia, teste Cicero. 2. de natura Deor. Et quia in neruis robur existit hinc quandoq; neruus pro firmamento sumitur. Hinc Cicero pro lege Manil. milites, classes, & vectigalia metaphoricè appellat neruos reipublicæ, quòd in his cõsistat omnis Reipublicæ fortitudo, neruus etiam vinculi genus est, quo pedes aut ceruices impediuntur, ex quo est illud Catonis: *Fures priuatorum furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt, fures verò publici in auro & in purpura.* Vocatur autem neruus in sacris literis גיד Gid, cuius fit mentio Gen. 32. *Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob*, &c. At verò Isaiæ 48. vers. 4. quia in neruo robur, est ceruix Israel vocatur neruus ferreus & frons ærea: appellatur autem sic quia nerui sunt in ceruice & eam maximè roborant: erant enim Israelitæ duræ ceruicis.

Pellis.

5 Pellis dicitur cùm est à carne separata, quæ cutis antea dicebatur: dicta autẽ à pellendo, quòd iniurias repellat. Hæc postquam concinnata est ad calceos & cætera opera facienda, aluta dicitur. Vocatur autem in sacris literis pellis עור Or. Hinc Gen. 3. vers. 21. *& fecit Dominus ipsi Adam, & vxori eius tunicas*, עור Or pellis, id est, pelliceas. Dicitur verò sic pellis, quòd pilis sit excitata: est enim עור Or excitare. Alij putãt sic potius dictam, quòd nudetur, & detrahatur, quãquam nondum detracta hoc nomine vocatur, tam in homine quàm in bestiis: nam עור Or quoque nudare significat: hinc δέρας dicitur, & δέρμα à δέρω, quod est excoriare, pellem detrahere. Vocatur quoque pellis גלד Geled, cuius mentio fit Iob 16. vers. 15. *saccum consui super cutem meam.*

Caro.

6 Caro propriè mortuorum animalium est, quod careat anima, inquit Donatus: inter carnem autem, & pulpam hæc distinctio est, vt caro sit quæ sanguine, venis, ossibus, neruísque constringitur: pulpa quæ manducatur, eò quòd pulsetur, & concidatur, & non solùm de animalibus, sed etiam de piscibus, pomísque caro dicitur. Quidam hoc nomen à græco deriuant Κρέας. In sacris verò literis caro generali nomine dicitur בשר Basar, & interdum capitur pro homine, quandoq; pro omni animato. Significat, & pellem, & etiam propinquum, & partes quoque pudendas. Interdum in bonam partem sumitur, & opponitur duritiei, vt Exechiel. 11. vers. 19. *Et auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent.* Interdum sumitur in malam partem, vt opponatur spiritui, tam in nouo quàm in veteri testamento: vbicunque reperitur כל Col cùm בשר Basar designat omnem creaturam, & per antonomasiam animam, vel hominem complectitur, Isaiæ 58. vers. 7. propinquum significat: *Frange esurienti panem tuum, egenos, vagósque duc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris*, ומבשרך Vemibesarech, ad verbum, *& à carne tua*, id est, propinquo tuo, *ne abscondas te*, propinquus enim, siue consanguineus est homini tanquam eius caro. Hic locus ab Augustino doctè explicatur de doctr. Christ. lib. 2. cap. 12.

7 Ex hac dictione fit verbum in Piel, quod significat nuntiare, lætum scilicet nuntium, quod græci εὐαγγελίζειν dicunt, nempe בשר. Non desunt qui ab ea significatione, qua carnem designant, deducant, quasi sit carnea, id est, suauia & mollia

mollia nunciare. Semel in malum legitur de tristi nuntio, vt 1. Reg. 4. vers. 17. *respondens autem ille qui nuntiabat*, in hebraico est מבשר MEBASER *nuntius*, licèt nonnulli bonum fuisse nuntium dicant, quòd licèt patri tristis fuerit nuntius de morte filiorum, cunćto tamen populo lætus fuit, cùm esset à tam sceleratis sacerdotibus liberatus. Cæterùm aliis in locis semper bonum nuntium & lætum significat, vt Ierem 20. vers. 15. *Maledictus qui annuntiauit patri meo, dicens: natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificauit eum.* Ezech. verò 23. vers. 20. בשר BASAR, id est, caro pudenda significat: *Insaniunt*, inquit, *libidine super concubitũ eorum, quorũ carnes sunt vt carnes asinorum, & sicut fluxus equorum fluxus eorũ.*

Vocatur quoque in sacris literis caro שאר SEER, dicitúrque sic à שאר SAAR, quod est remanere, superesse. Propterea quòd sit, vt quidam inquiunt, reliqua pars animalis post animam. Hinc transfertur ad significandam carnem propinquam, id est, propinquos & affines: sic sumitur Leuit. 18. vers. 6. *Omnis homo ad proximum sanguinis sui non accedat*, vbi שאר SEER pro בשר BASAR carne significat קרוב KAROB, id est, propinquum secundùm carnem: sicut etiam vers. 12. & 13. eodem capite *turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia* שאר SEER *caro est patris tui. Turpitudinem sororis matris tuæ non reuelabis, eò quòd* שאר SEER, id est, *caro sit matris tuæ*, nempe propinqua. Passim ergo in lege Moysi שאר SEER pro consanguinitate sumitur, quasi reliquum dicas, siue reliquias: Sic Apostolus Paulus Iudæos vocat carnem suam, ex eadem nimirum carne, siue ex eodem natos sanguine, vt habes Rom. 11.

SANGVIS.

Sanguis est humor rubeus per venas animalis diffusus, qui iuxta Aristotelem de historia animalium lib. 3. cap. 19. oritur primùm in corde, & vt docet cap. 2. continetur in venis, præter exiguum qui est in corde. Est calidus & humidus qui sensu caret, & intra venas omnium animalium palpitat & pulsat, atque dormientibus partes deserit externas, vt idem Aristoteles docet cap. 19. Prohibetur verò sanguinis vsus in lege: primò ad excludendum idololatriam, quia Ethnici bibebant de sanguine victimarum, vt dicitur Deut. 32. *de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.* Secundò, vt horrerent sanguinis effusionem. Tertiò, quia sanguis est maximè necessarius ad vitam, ratione cuius dicitur anima esse in sanguine, ideò vt ostenderetur à Deo nobis esse collata vita, in honorem Dei effundebatur sanguis. Quartò quia per hoc sanguinis Christi effusio significabatur, & figurabatur. Vocatur autem sanguis in sacris literis hebraica voce דם DAM: quidam à rubro colore reducunt ad אדם ADAM, id est, rubrum esse, rubescere. Vocatur quoque sanguis Isai. 63. vers. 3. נצחם NISCHAM: *Aspersus*, inquit, *est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Appellatur autem sanguis, hoc nomine, quòd sit fortitudo, & vita hominis: est enim נצח NASACH roborare, & quod dicitur versu 6. *detraxi in terram virtutem eorum*, ad verbum est, *& descendere faciam in terram* נצחם NISCHAM *fortitudinem eorum*, quod alij reddunt: *& effudi in terram sanguinem eorum.* 8

MENSTRVVM.

Menstruum, id est, menses mulierum, profluuium est, & purgatio frigidi, & indi- 9

PARTES CORPORIS SIMILARES.


indigesti humoris, quem natura quasi noxium expellit. Dicta autem sunt mẽstrua, quòd vno quoque mense mulieribus, quæ eius ætatis sunt, vt possint concipere, solent accidere: vnde etiam menses appellamus. Horum fœditatem describit Plinius lib. 7. cap. 15. In sacra verò scriptura menstruum vocatur hebraica voce נדה Nida, dicitur autem ab elongatione, & seperatione: Mulier enim נדה Nida, ad verbum est, mulier separationis, & elongationis, quod mulier quo tempore menses patitur, & à marito remouebatur, & quicquid attingebat, immundũ erat: est enim נדד Nadad remouere, elongare, vocatur quoque mulier menstruata דוה Dava, id est, infirma: sic Leui. 20. vers. 18. *qui dormierit*, inquit, *cum muliere in fluxo menstruo*, ad verbum, *qui dormierit cum muliere* דוה Dava *infirma*, hoc est, menstruata: est enim דוה Dava infirmari, ægrotare, languere, pertæsum esse, vt accidit mulieribus menstrua patientibus: sic etiam vocatur mulier menstrua patiens Isai. 30. vers. 22.

CAPILLVS.

10 Capillus quasi capitis pilus, qui etiamsi pro quocunque pilo sumatur, Pilus tamen generalius est quàm capillus: propriè enim capillus de iis tantùm dicitur, qui caput vestiunt, cùm pilus omnium partium corporis sit communis, hæc autem differentia nonnunquam confunditur. In sacris verò literis pilus siue capillus voce hebraica שער Sear. Hinc שער Sa[illegible] dare à pilo deducitur, quasi sit horrere, horripilare, vt sic dicã. Sic inte[illegible] lud Zachar. 13. vers. 4. *In die illa confundentur Propheta, vnusquisque in visio[illegible] cùm prophetauerit, nec operientur pallio saccino vt mentiantur*, אדרת שער Aderet sear, ad verbum, *clamyde pili*, id est, pilosa & villosa, qua Prophetæ indui solebant: erat enim pallium ex materia sacci pilosi ex pilis confecti factum.

ADEPS.

11 Adeps medicis, cæterisque qui anatomem ex professo tractant, dicitur vnctuosum illud, quod musculorum extremitatibus membranisque accrescit ex frigida portione sanguinis, quæ è venis excidit exanguibus, ideóque frigid[illegible] membranis adhæret, ideóque non secus atque oleum frigore crescit, vnde [illegible] in corporibus quibus frigidior est natura, copiosior, & calidioribus parcior gignitur, in ventre inferiore magna eius copia colligitur, quòd ea pars membranosa sit. Vocatur autem adeps hebraica voce חלב Cheleb. Hinc fit, vt electum & optimum cuiusque rei per translationem dicatur חלב Cheleb, sicut pinguedo & aruina est optima & lectissima pars carnis. Sanè adeps est quasi lac coagulatum, vnde ad fructus & fruges transfertur, quæ sunt lacteæ, medullatæ, succulentæ, & pingues: dicitúrque de lacticiniis, & cibo molliore, & laxiore; vnde & ipsum lac חלב Chalab vocatur. Quod autem legimus apud Septuaginta: *Coagulatum est sicut lac cor eorum*, Psal. 110. vers. 70. alij legunt, כחלב Cacheleb, *sicut pinguedo aut adeps*, id est, impinguauit se sicut adeps cor eorũ.



FINIS LIBRI QVARTI.

LAVS DEO.